49. 3. 37.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
14 F
31

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

COMMENTARIA IN VNIVERSAM LOGICAM;

VNA CVM LVCIDISSIMIS QVAESTIONIBVS,

Quæ totam hanc facultatem luce meridiana clariorem reddunt, nunc denuò Typis demandata.

Auctore VINCENTIO IVSTINIANO Antiſtio, Valentino, Sacri Ordinis Prædicatorum.

Acceſsit etiam eiuſdem Auctoris locupletiſsimus Theſaurus quæſtionum ijs, qui aut diſputaturi, aut aſſertiones defenſuri erunt, admodum neceſſarius.

CVM DVOBVS INDICIBVS LOCVPLETISSIMIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS,

Apud Franciſcum Zilettum. M D LXXXII.

12. 14. F. 21

ILLVSTRISSIMO,
ET REVERENDISSIMO
MICHAELI BONELLO,
S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO,

Pro eximijs meritis inſtituti Prædicatorij protectori &c.
D. ſuo colendiſsimo.

Franciſcus Zilettus Bibliopola Venetus. S. D.

CVM totius vniuerſi varietatem, ordinem, & pulchritudinem intuemur Illuſtriſſime, & Reuerendiſſime D. non tantùm ea, quæ naturam humanam concernunt, & quibus ſe quiſque, vitam, corpusq́; tuetur, ac ſeruat, (quod nobis cum cæteris animantibus commune eſt). verum etiam quoniam Deus Opt. Max.

Os homini ſublime dedit, cœlumq́ue videre
Iuſſit & erectos ad ſidera tollere vultus.

Curis, affectionibusq́ue à longè præteritis, cùm ſupra mundanas actiones intellectum dirigimus, ipſum naturæ noſtræ authorem propius, velut per ſpeculum in ænigmate contemplamur, fideq́; ipſum cognoſcimus, intuemur & colimus, verumtamen iſta ex ſummi opificis operibus intelligentia, & intellectus ex timore profectus nondùm verè Eccleſiam conſtituunt. Fuerunt ſanè quàmplurimi qui res eiuſmodi admirabiles mentis, atq; ingenij acumine perueſtigarunt, quiq́; ſplendidiſſimum cœli ornatum, & ſtellarum rationem complexi ſunt. Qui naturæ varietatem, & rerum ordinem accuratè perſpexerunt, animalium multitudinem, ortus, formas, victum, remedia conſiderantes, æternam & ſapientiſſimam mentem Deum eſſe dixerunt. Hinc elogia illa vetuſtiſſima emanarunt, Deum eſſe infinitam mentem & maieſtatem, qui omnia compoſuit, res in ſua natura diſpoſuit, nunc autem

Appoſitum ſimile.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Spiritu vegetat, & ratione moderatur, ineffabilis, inexcogitabilis, ac nulli notus, niſi ſibi ipſi, cui originem, tutelam, & rerum denique conditarum moderationem attribuerunt. Quæ Mens omnia gerens & ſuſtinens, ipſa immortalis, ſempiterna, excellentiſſima, liberrima, ſummæque potentiæ & bonitatis, cultu & veneratione digniſſima ſit, neceſſe eſt. Et quamuis hi homines acres & peruigiles ſcrutatores fuerint, & ex quàmplurimis, ijsque mirificis operibus in quandam perobſcuram Dei notitiam peruenerint, nihilominus eò quoniam protoparentum ſuorum placita cōtempſerant, & obliuioni dederant, Dei Eccleſiam minimè ingreſſi ſunt. Accedit, nam naturæ ductu, & mentis acumine, quæ Dei voluntas erga homines eſſet non aſſequebantur, nec de vero ipſius cultu ab vllo certiores facti, ſibi quiſque nouam pro arbitrio religionem, immo potius irriſionem conflabat, ita vt ineffabile Dei nomen ad bruta, & quod magè dolendum eſt ad inſenſibilia uſque traduxerint, vt Tharſenſis clamat Apoſtolus. Et mutauerunt imaginem incorruptibilis Dei in imaginem hominis corruptibilis, volucrum, ſerpentium, & quadrupedum. Ex quo varia, pèneque innumera ſuperſtitionis prodigia, & cultus non modò Deo non grati, verùm nepharij prodiêre. Sapientiores vt Chaldæi & Perſæ ignem, Græci & Romani reliqua elementa pro numinibus habuerunt. Lumina verò cœleſtia, Solem & Lunam adorauerunt Medi, Scythæ Stellas, cætera Sydera Phœnices, & Aſſyrij venerati ſunt. Quàmplurimi verò mortales aut metu potentiæ territi, aut beneficiorum magnitudine allecti, latriæ honorem hominibus tribuerunt. Aras, Lucos, flamines, ſacrificia, templa dicarunt, & hi ferè qui cùm animos extingui cū corporibus crederent, Deum eſſe voluerunt id, quo nihil eſſe amplius ipſi ſenſibus comprehenderent. Aegyptij omnium leuiſſimi ab intelligente natura ſummum cultum ad belluas vſque tranſtulerunt, ſeq; coram Bobus, Ibe, Cocodrilo, Oxyrrincho ſupplices proſtrarunt. Nec his contenta hominum deſipientia, in Syluarum arbores, & ſaxorum congeriem, & montium molem, Dei nomen, cultumque deriuarunt. Nunquid enim Dryades & Oreades ſuas inde appellationes à Græcis non acceperunt? Nonne placarunt hoſtijs Erycem montem Siculi, Athlantem Mauritani, Amanum Cappadoces? Nonne vrbem in foro ſtatuentes Romani eam cum Venere adorauerunt, & tandem in arce ſua cum Minerua Athenienſes? Quarè Numinum fictorum vanitatem cultus immanitas cōfeſtim

Rom. 1.

Peſsimum malum eſt ſuperſtio.

ſecuta

ſecuta eſt, ita vt Deum hominum cæde & ſanguine placari exiſtimauerint. Hoſtes & peregrinos mactatos à Scythis, Thracibus, Italis, Gallis, & Britannis memoria proditum eſt, Liberos ſuos immolauerunt Pœnorum Reges, & Mohabitarum, nec ab his facinoribus abſtinuerũt Manaſſes Iudæ & Achas Iſraelis Reges in Dei populo educati & præpotentes? Cultellis, gladijſque in ſua ipſorum membra ſæuierunt Cybeles & Bellonæ Sacerdotes, idemque Baalitici fecerunt, eorumque ſectatores Maumethani Monaci imitantur in hunc vſque diem. Spartani pueros ad necem flagellis Dianæ cędebant, Archades puellas Dionyſio. Tandem omni pudore ſublato, ac honeſtate, libidinum fœditate Diuinitatem delectari crediderunt, idque ſacrificuli tradere auſi, rerum etiam publicarum Rectores fieri paſſi ſunt. Corinthij puellas virgines religione, Aſſyrij præconio, Locrenſes uoto, Sicienſes lege, Heliopotæ conſuetudine, Cyprij mandato, Rycij mollitie proſtituerunt. Quo habitu per dies quadraginta ante Memphin mulieres Aegyptiæ religionis gratia ſtetiſſe, dicere me pudet. Verùm quis aut meminerit, aut enumerabit omnia inſaniæ humanæ & vanæ ſuperſtitionis prodigia? Cùm autem hæc non ſingulis hominibus, nec ab vna dumtaxat gente prodita, commiſſaque ſint, nec à Barbaris ſolùm nationibus vſurpata, verùm in cultis, eruditiſque vrbibus comprobata, cùmque negligentia & ſecuritate mala hæc chriſtianam religionem irrepſerint: Conſpicuum ſanè eſt cunctos homines in maximis ignorantiæ tenebris verſatos, & verſaturos fore cum Dei Opt. Max. contemptu & odio, niſi noua luce, atque cœleſti, mens irradiata à tàm ridicula, tàm ſanguinaria, tàm fœda ignorantia, & cæcitate auocata fuiſſet. Cupiens itaque Deus omnes homines ſaluos fieri, & ad veritatis agnitionem venire, 1. Tim. 2. Prophetis quàmplurimis præmiſſis, qui veritatis viam adumbrarent, Meſſiamque venturum pronunciarent: Tandem generis humani miſertus, vnigenitum coæternum & conſubſtantialem filium ſuum, quo demùm manifeſtius ac apertius longè latèque toto Orbe notum faceret, quòd ipſe ſit, qui ritè, digneque coli velit, qui cunctos homines de ſua in ipſos voluntate inſtruxit: Cùm ſit Ioan. 2. lux vera: quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Qui venit vt mentem noſtram excitaret, & ob id ipſe homo factus, nephandiſſimam in ara Crucis mortem obijt, euacuatis principatibus, & poteſtatibus, deſtructoq; chirographo, quod nobis contrarium erat, vt homo hac via fidentius ambularet ad

veri-

veritatem,ſe pro nobis omnibus obtulit: vt ſibi mundam, innocentem, ſacram & perpetuam Eccleſiam veritatis baſim, ac firmamentum ſtabiliret. Nam etſi aliquando contingat (quod fit plerunq;) vt hæreſeon grauiſſimis perturbationibus impetatur, euerti nulla ratione poteſt, fundata enim eſt ſupra firmam petram, aduerſum quam nec inferi portæ præualere poſſunt. Quod longè ante diuinus vates prædixerat, dicens: Sæpe expugnauerunt me a iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi. Fides enim illius & doctrina, qua paſcitur, alitur, & uegetatur, inuiolabilis ita ſtat, & immota, vt quantò grauioribus machinis ab hoſtibus eius ſibi nomen, & authoritatē falsò arrogantibus oppugnatur, tantò & clarior fiat, illuſtrior, & vegetior, & magis magisque propagetur. Quod nedum Apoſtolorum tempore contigiſſe conſpicuum eſt, verùm etiam hoc noſtro infelici ſæculo, omniumque teterrimo; quando impunè à nōnullis in falſi huius quinti Euangelij diſciplina, quod ferro propagatͬ, & armis perperā quàmplurimi inſtruuntur. Quam ob rem tot animæ à fide catholica deficientes periēre, & continuè pereunt, vt eas enumerare immenſum prope foret, tot item bellorum tragediæ, tot monaſteria ſolo æquata, diuexata, crudeliter expugnata, & flammis etiam ſuccenſa, tot inſontes monachi, & ſacerdotes aut à pijſſimo ſuo ſcopo auerſi, & deprauati, aut excoriati, & trucidati ſunt. Tot ſacræ virgines ſtupro conſpurcatæ, & à ſuis cœnobijs expulſæ milleque modis laniatæ, tot caſtæ, & honeſtæ mulieres raptæ, tot ædes ſacræ profanatæ, pollutæ, direptæ & depopulatæ ſunt. Horreſco referens, toties ſacrum euchariſtiæ ſacramentum pedibus conculcatum, equis & canibus oblatum: tot ſacrilegia, furta, incendia, homicidia, flagitia, eaque innumera ex ſectariorum officina pro miraculis fluxerunt, ut & politiori quodam ſtylo non deſcribere, ſed ſolùm enumerare volentem, non epiſtolam proculdubio, uerùm opus eximium Iliadi Homericæ nulli cedens aggredi oporteret. Sed quoniam huius funeſtiſſimi tēporis, veluti vmbram quandam, & imaginem ſub ſectariorum omnium doctrina diſertiſſimè delineatam, & quicquid hiſtoriç Eccleſiaſticæ authores de omnibus ſectarijs ab Eccleſiæ naſcentis initijs ad hæc vſque tempora, plenius, & cumulatius D. Thomas complectitur: Atque cunctas obiectiones, quibus Caluiniſtæ Arianizantes ad fidei noſtræ integritatem lacerandam, & euertendam uti non uerentur, ſumma cum dexteritate retundit & ſoluit, paſſim etiam ſalutaria pharmaca, quibus aduerſum noſtro-

Matth. 18.
Pſal. 118.
Impietas malorum omnium nutrix.

noſtrorum temporum mala uti liceret, cùm eius doctrina relatore Innocentio Pontifice Maximo in ſermone de commendatione D. THOMAE, cui titulus eſt: Ecce pluſquàm Salamon hic, præ cæteris excepta canonica proprietatem habeat verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum, ita quòd qui eum tenuit, nunquàm inueniatur à veritatis tramite deuiaſſe, & qui eum impugnauit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus. Quod ſanè crucifixi vox clara eum alloquens faſſa eſt, dicens; Benè ſcripſiſti de me THOMA, quam ergo recipies pro labore tuo mercedem? Quam rem ſumma cum prudentia conſiderans PIUS QUINTUS Pontifex Maximus auunculus tuus, mandauit ad omnium emolumentum, cuncta tanti Doctoris opera integra imprimi, ut quiſque ex D. THOMAE lectione ſectariorum furori occurrere poſſet, vt ex decretis ſanctiſſimæ Synodi Tridentinæ D. THOMAE doctrina in cunctis deciſionibus euidentiſſima apparet. Quæ cùm non amplius integra inueniantur, verùm paſſim mutilata vendantur, ad omnium bonorum vtilitatem, & ad denuo retundendam ſectariorum immanitatem in animum induxi meum, omnia ipſius opera in integrum cudere, appoſita doctiſſimorum hominum, quorum ſereniſſima Venetiarum ciuitas abundat cura, vt correctiora in manus hominum appareant, tibiq; tanquàm meo ſingulari patrono dicare, qui ſanctiſſimi auunculi tui idolum es, atque exemplar, ut ſicut ille curauit pontificatus ſui tempore imprimi, tu inſtituti prędicatorij protector & pater optimus cures recudi, atque ſupremo nitori reſtitui, idque ea ratione curabis fieri, ut mihi modum in aliqua parte præſtes, quò id, quod animo concepi, (cùm ſit mihi curtà ſupellex ad tàm præclarum opus exequendum) re ipſa præſtare valeam. Nam ſicut Aeneas ille (vnde populus Romanus originem traxiſſe fertur) Troianorum mens à Græcis Ilium obſidentibus dicebatur: Ita tu & mens, & oculus prædicatorij inſtituti meritò exiſtimeris & appelleris. Neque enim Aeneas plus utilitatis ſuo cōſilio rebus Troianis perturbatis, & periclitantibus attulit, quàm tu noua hac editione omnium operum D. THOMAE toti orbi periclitanti ob ſectariorum impietatem afferes. Quod vt tibi ſignificarem, & vt perpetuum apud te eſſet teſtimonium propenſi animi mei erga ſanctiſſimam religionem Dominicanam, opus hoc aureum non tantùm ad dialecticam, verùm ad cunctas ſcientias utiliſſimum, nunquàm ſatis pro dignitate laudati eximij, & eruditiſſimi Theologi patris fratris Vincentij Hiſpani ex tuo prædicato-

Summa doctrinæ D. Thomæ laus.

Appoſitum ſimile.

rio

rio inſtituto dicare volui. Tibi itaque patrone colendiſſime has tanti patris vtiliſſimas vigilias nuncupauimus, & ſub tuo nomine Typis mãdandas curauimus, cùm vt tuorum erga nos officiorum apud omnes gratiſſimum eſſet indicium, tùm ut ſub tanti nominis uelamento, & quaſi quodam amuleto ab omni liuore, atq; obtrectatione tutas poſteritatis memoriæ commendarentur. Quod fieri certum eſt, ſi has (vti ſpero) hilari animo, ſerenaque fronte receperis. Id autem ut facere digneris, te omni officio & uneratione precor & obteſtor. Vale. Venetijs anno à generis humani reparatione. M D L X X X I I.

TOTIVS OPERIS ARGVMENTVM

Ad Lectorem.

EX omnibus Dialecticæ tradendæ rationibus ea mihi probatur maximè, quæ quamuis Ariſtotelicis libris intelligendis omninò inſiſtat, non priùs tamen eos contingit, quàm ſummatim ea, quæ Ariſtoteles docet; & alia quædam ad ipſum penitùs intelligendum neceſſaria, percurſa animo, & propè decantata diſcipuli habeant. Nam cùm data opera obſcuritatem ille affectauerit, nec voluerit ea, quæ nouerat omnibus communicare; quin potiùs ita perplexè non Metaphyſicam ſolùm, ſed omnia ferè ſcripſerit, ut perinde ac ſi minimè ſcripſiſſet habeantur. Optimum conſilium eſt à magiſtro, cui Ariſt. & viſus & reuiſus eſt, ea quæ ille obſcurè docet, plano quodam ſtylo auditoribus explicari: quo facilior eis ſit, atque paratior ad ipſum aditus. Quare nunquam mihi eorum opinio probari potuit, qui tyronibus ſtatim Ariſtotelem legendum tradunt; tametſi omnem in eo explicando adhibeant diligentiam. Solidus enim cibus, qui grandiores alit; infantes, quibus lac debebatur, perdit. Quis enim neſciat multa in Ariſtotele inueniri, quæ nulla ratione ab adoleſcentibus intelligi poſſunt, niſi millies eis, & interiectis quidem temporibus, planiori primùm ſtylo, deinde verò ſubtiliori proponatur? Alioqui non ſcientiam ſibi iuuenes comparabunt, ſed rudem quandam & indigeſtam veritatum, aut errorum potiùs, molem. Meritò igitur ea docendi ratio, de qua initio dixi, in hac Valentinorum inclyta Academia ab antiquis temporibus obſeruatur. Hanc ego nonmodo aliorum conſuetudine obſtrictus ſeruaui, ſed propria etiam experientia omnino ſeruandam cognoui. Bis enim de integro Dialecticæ operam dedi, & bis publicè legi; ſemel autem priuatim quibuſdam amicis. Quare cùm toties hoc Dialecticum iter confecerim, iam videor poſſe & quid expediat intelligere, & de rebus ipſis iudicium ferre. Nec ſanè hæc commemoraſſem, niſi viderem hanc antiquorum

cōſuetudinē à quibuſdam iunioribus reprehendi. Ego ab iniurijs, & contumelijs, à quibus illi non abſtinent, omnino abhorreo; ac Deum ipſum teſtor, me ita ſentire, vix poſſe quempiam egregios in Dialectica progreſſus facere, ſi ſtatim, & hoſpite (quod aiunt) inſalutato, Ariſtotelem in manibus ſumat. Volui autem id iuramento firmare (diuina enim lex ea tantùm iuramenta prohibet, quę aut veritate, aut iudicio, aut iuſtitia deſtituuntur) ut honori & exiſtimationi meæ conſulam. Audiui enim quoſdam publicè aſſeruiſſe, nos non ideò hanc docendi rationem ſequi, quòd ita fieri oportere credamus; ſed partim aſſentationis cauſa, ut maioribus noſtris gratificemur, partim auaritiæ, vt ſcilicet iuuenes opuſcula noſtra emant. Itaque non iam de genere rei tractant, ſed temerè etiam corda, quæ ſoli Deo ſunt peruia, iudicant. Quamobrem hanc docendi rationem, quam tot celeberrimis viris (quibus vtinam ego comparari poſſem) probari intelligo, in meis lectionibus ſum ſequutus. Et primùm Inſtitutiones quaſdam, minutiores tamen inſerendo quæſtiones, dictaui: deinde elapſis aliquot menſibus, ad Ariſtotelis commentationem acceſſi. Tum enim iam diuturnis diſputationibus, & tanquam velitationibus aſſueti diſcipuli, meliùs poterant graniores controuerſias, quas Ariſtot. interpretans agitabam, comprehendere. Cumq; ſcripta noſtra à pleriſque etiam extraneis deſiderari intelligerem, videremq; ea iam per totam Aragoniæ prouinciam ferri, immo & Trinacriam deducta eſſe cognoſcerem, timui ne, vt in gymnaſio à me dictata fuerant, typis ab aliquo mandarentur. Quocirca decreui omnia cudere, Inſtitutiones primùm vnà cum facilioribus difficultatibus, & deinde (ſi Deus, qui omnia poteſt, id conceſſerit) longiores quæſtiones in Dialecticam Ariſtotelis. In octo autem libros opus diuiſi, quorum primus tanquam veſtibulum eſt, atque aditus ad omnes ſequentes: proponuntur enim in eo Dialecticæ elementa, ut ſtatim iuuenes artem diffiniendi teneant, diuiſiones intelligant, & argumentari poſſint; ac verba ea percipere, quibus paſſim vtemur. Reliqui ſeptem vniuerſas Dialecticæ partes expediunt, & quaſi ante oculos ponunt. In ſecundo enim de quinque vocibus Porphyrianis agitur: in tertio de Categorijs, ſeu Prædicamentis: in quarto de Enunciatione: in quinto de omni Argumentatione; pręſertimq; de Syllogiſmo: in ſexto de Demonſtratione: in ſeptimo de probabili Ratiocinatione: in octauo denique de reprehenſionibus Sophiſtarum. Hæc igitur ſumma eſt omnium, quæ in hoc opere explicantur:

cantur: Exceptis autem nonnullis capitibus, in omnibus alijs mitiora quædam argumenta ſubieci; hoc conſilio: vt capitum doctrina ingenia alerentur, argumentis autem legendis acuerentur; & haberent porrò iuuenes argumenta, quibus in quotidianis diſputationibus vterentur. Quòd autē ſeparatim, & alijs characteribus argumenta, ſeu dubia excludi voluerim, hæc cauſa fuit. Volui enim ea, quæ aut omnino, aut quaſi neceſſaria ſunt, ab his, quæ tantùm vtilia videntur, ſeiungere. Qui igitur ſolam doctrinam legere, obiectiones autem in aliud tempus reijcere volet, facilè poterit: Rurſus qui ſolis argumentis, eorumve ſolutionibus indigebit, in promptu habebit, quod requiret. Sed in omnibus diuum Thomam totius Eccleſiæ lumen ſequimur. Ipſe eſt enim, cuius doctrinam Romani Pontifices miris laudibus efferunt: eam nanque Ioannes XXII. diuinitus infuſam eſſe docet; Innocentius ſolidam; Vrbanus V. viridicam & Catholicam; & Pius V. certiſſimam Chriſtianæ doctrinæ regulam. Ipſe eſt, cuius miram eruditionem tota Eccleſia in oratione veneratur, eiusque intelligentiam inſtantiſſimè à Deo poſtulat. Ipſe denique eſt, cuius ſcripta Crucifixi imago mirabiliter approbauit: & quidē hoc vltimum minimè aſſeruiſſem, niſi à tribus grauiſſimis & ſanctiſſimis Patrib. referretur: nimirum à diuo Vincentio Ferrario in Sermonibus, à diuo Antonino Archiepiſcopo Florentino 3. par. Hiſtor. tit. 23. cap. 7. & à beatiſſimo domino Pio 5. in Bulla quadam. Ex hoc igitur diui Thomæ quaſi quodam ſancto & auguſto fonte, noſtra omnis manabit oratio. Sed poſt diuum Thomam in ducem elegimus Cardinalem eruditiſſimum, & religioſiſſimum Caietanum, ex cuius profectò libris ſi aliquot dogmata etiam ad Theologiam & Canonicos libros pertinentia delerentur, nihil in eis, tanto viro indignum ſupereſſet. Finem ſcribendi faciam, ſi inſtituti mei cauſam circa vocabulorum vſum expoſuero. Tractandarum enim rerum duo ſunt apud autores modi: nam alij antiquioribus vtuntur vocabulis, diuq; apud omnes ſcholas receptis; alij hanc ſermonis ſimplicitatem, & intolerādam barbariem contemnentes, ſe totos verborum nitori, & ſententiarum venuſtati dederunt. Nos autem, quibus muta potiùs antiquitas, quàm garrula nouitas placet, priorem ſcribendi rationem tenere decreueramus. Sed quoniam iuuenes ſumus, rem totam cum Reuerendo admodum Patre Ludouico Nadal ſacræ Theologiæ eruditiſſimo profeſſore, ac Prouinciæ Aragoniæ digniſſimo Præſule communicauimus. Volui enim eundem in hoc primo ope-

re ſtyli magiſtrum habere, quem à pueritia Theologiæ Doctorem habueram. Ille autem in antiquitatis, nouitatisq; diſceptatione cùm aliquandiu fuiſſet, rationibus vtrinque perpenſis, mediam mihi viam oſtendit. Si enim Scholaſticis Doctoribus;quibus (ſacræ tamen ſcripturæ,& nobiliores Eccleſiæ Doctores excipiantur) nihil eſt feratius, nihil fœcundiùs, nihil ſapientius, prætermiſſis, iuniores ſequerer, verborum ſanè floſculis abundarem: ſed doctrinæ ieiunitatem incurrerem. Sin antiquos ſolùm imitarer,multam ſapientiam, ac penè diuinam paucis verbis liber contineret: ſed fortaſſe multos offenderet. Sunt enim quidam ita Ciceronianis verbis addicti, ut eos, qui enucleandarum rerum gratia aut noua nomina faciunt, aut Scholaſticorum vocibus iam receptis vtuntur, grauiſſimè inſectantur: & rerum etiam vtilium ignorationem,tantæ verborum impuritati præferendam iudicent. Quare diui Thomæ,diſcipulorumq; eius ſcripta omnino contemnunt. Et quidem ſi hoc malum in ipſis reſideret ſolis,ut deſperatos iam eos relinqui oportebat: ſed latè iam peſtis graſſatur: quoniam ſui ſimiles diſcipulos tanquam filios procreant: qui quoniam nullam omnino vocem ex ijs, quæ à Latinis interpretibus, Chriſtianis præſertim, aſſumuntur,in adoleſcentia audiunt: ſi Theologiæ operam dare incipiunt, difficiliora eis diui Thomæ ſcripta videntur, quàm ſi Chaldaica eſſent. Quare vix dici poteſt, quàm inſolens eos Theologiæ Scholaſticæ faſtidium ſumat. Tanti igitur doctoris mei conſilio fretus mixtum quoddam ſcribendi genus, ſilumq; orationis excogitaui:& in quauis re pertractāda Scholaſticas, & Ciceronianas voces amplector. Vtroque enim verborum genere iuxta ſe poſito, meliùs omnia intelligentur. Itaque & iuniores antiquorum libros percipient, & qui antiquos amant, ſi quando in iuniorum Commentaria incident, meliùs eorum errata cognoſcent, ac refellent promptiùs. Quædam alia ſunt, quæ hoc loco ſcribere voluiſſem, ſed in tribus vltimis octaui libri capitibus inuenientur. Vtere igitur Lector laboribus noſtris, & vale.

DIALECTICARVM QVAESTIONVM INGENS THESAVRVS,

VINCENTIO IVSTINIANO ANTISTIO Valentino, Sacri Ordinis Prædicatorum Auctore.

Studioſo Lectori.

CVM ea quæ in Dialectica aut ex profeſſo, aut obiter diſputamus, à Phyſicis ſæpe, ac Metaphyſicis, & Theologis clariùs, doctiusque tractétur; nec raro accidat, alicuius Dialectici libri proprias controuerſias in alijs eiuſdem artis voluminibus inueniri, operæpretium me facturum exiſtimaui, ſi omnia ferè diui Thomæ, aliorumque grauiſsimorum Patrum ſcripta percurrerem: & quæcunque in eis ad Dialecticam ſpectantia inuenirem, in hoc opuſculum, tanquam limpidiſsimas aquas in meum hortulum, deriuarem. Nemo tamen exiſtimet, omnes Dialecticas quæſtiones, quæ ab his autoribus diſputantur, in hũc indicem eſſe relatas; ſed eas tantùm, quas non erat facilè inuenire. Quare quum Quinque vocum, Categoriarum, & Demonſtrationis quęſtiones adducam, nequaquam citabo Cardinalem Caietanum, aut Dominicum Soto, qui propria in huiuſmodi res commentaria ediderunt, niſi fortè in alijs locis aliqua ſcripſerint, quæ ad prædicta accõmodari queant: aut in quibuſdam capitibus eorundem commentariorum aliquid habeant, quod ad alia capita referatur. Hæc autem ſunt loca, ex quibus hunc libellum collegimus.

1 Ex diui Thom. ſumma Theologiæ, quatuor libris Contra gentes, Sententiarum Commentarijs, Quæſtionibus diſputatis, Quodlibetis & Opuſculis.

2 Ex Durandi Meldenſis Epiſcopi Commentarijs in 4. lib. Sentent.

3 Ex Fratris Ioannis Capreoli Commentarijs in eoſdem libros.

4 Ex Dominici à Flandria quæſtionibus in Poſteriora, & in libellum Elenchorum diui Thomæ.

5 Ex Fratris Pauli Soncinatis quæſtionibus Metaphyſicis.

6 Ex Thomæ à Vio Cardinalis S. Sixti & Epiſcopi Caietani ſcriptis, in Partes diui Thomæ, & in Prædicabilia, & Prædicamenta, & Poſteriora. Item ex Opuſculis eiuſdem.

7 Ex Franciſci Ferrarienſis totius Ordinis Generalis Commentarijs in quatuor libros Contra gentes diui Thomæ.

8 Ex Fratris Chryſoſtomi Iauelli Inquiſitoris Placentini quæſtionibus Phyſicorum, de Anima, & Metaphyſicorum.

9 Ex Fratris Dominici Soto Quæſtionibus Procemialibus, Prædicabilium Prædicamentorum, Poſteriorum, & Phyſicorum, & Sententiarum.

Ex his autē Capreolus per concluſiones citatur, reliqui frequentiùs per quæſtiones aut capita, ſeu tractatus; quoniā quæſtiones Capreoli longiſsimæ ſunt. Illud præterea ſcito, quoties diui Thomæ Summa, quæ vulgò dicitur *Las Partes*, citatur toties intelligi etiam Caietani in eam Commentaria, quamuis non ē diuerſo: quod idem de libris diui Thomæ Contra gentes & Ferrarienſe intelligatur. Demum quum hunc Caracterem R. alicubi poſitum cernes, intellige eam quæſtionem, quanquam non ſit eiuſdem loci propria, multa continere, quæ ad eiuſdem loci pleniorem intelligentiam faciunt. Quem autem ordinem in collocandis & librorum, & capitum quæſtionibus ſeruem, nunquam intelliges, niſi Inſtitutionum noſtrarum octo volumina legeris. Vale.

In ſequenti indice, ar. deſignat articulum. |arg. argumentum. |c. caput. |con. concluſionem, |p. partem Summæ diui Thomæ. |q. quæſtionem. | ¶ incipere caput. | .loca Inſtitutionū, in quibus aliquid ad idem caput pertinens inuenietur.

QVAESTIONES LIBRI PRIMI, IN QVO de primis Dialecticæ elementis agitur.

Cap. 1. de Dialecticæ inuentore.*. In hoc nulla ſe offert quæſtio à prædictis autoribus diſputata: ſed lege obiectionem ſecundam tertij capitis huius libri: item cap. vltim. lib. 8.

Cap. 2. de Dialecticæ definitione.*. Lege q. 1 cap. 4. lib. 6.

Circa hoc autem caput multas habent Dialectici quæſtiones, quæ in prædictis autoribus legi poterunt.

1 Vtrum ſcientia differat ab alijs habitibus intellectus. D. Thom. 1. 2. q 57. ar. 1. & 2. |Fland. 1. q. 49. art. 2.

2 Vtrum habitus, quo prima principia cognoſcuntur, ſit naturalis, ac ſine diſcurſu. Ferrar. 2. Contra gent. cap. 78.

3 An ſcientia ſpeculatiua propriè differat à practica fine & materia. Capr. in prol Sent. q. 2. concl. 1. |Iauell. 6. Metaph. q. 5.

4 Num aliqua ſcientia non actu & ſimpliciter Practica, poſsit actu & ſimpliciter practica reddi. Capr. in prolog. Sentent. q. 2. con. 3.

5 An habitus ſit præcipuè ex obiecto practicus. Soncin. 6. Metaph. q. 4. |Iauel. 6. Meta. q. 5.

6 Agatne Metaphyſica de his, quę ſunt ſine materia. D. Tho. in Boethium de Trinit. q. 5. art. 4.

7 Vtrum Phyſica de his quę ſine materia & motu eſſe nequeunt, diſputet. D. Thom. in Boeth. de Trinit. q. 5. ar. 2.

8 Num Mathematica res abſque materia & motu cōſideret. D. Tho. in Boet. de Trinit. q. 5. ar. 3.

9 An Mathematica abſtrabat à fine. Caiet. 1. p. q. 5. ar. 3.

10 Num Aſtrologia & Muſica ſint magìs Phyſicæ, quàm Mathematicę. Iauel. 2. Phy. q. 8.

11 R. An Thologia ſit practica, vel ſpeculatiua. D. Tho. 1. p. q. 1. ar. 4. | Duran. in prolog. Sent. q. 6.

12 R. An ſcientia, quam Deus habet, de rebus ſit ſpeculatiua. D. Tho. 1. p. q. 14. ar. 16.

13 R. Vtrum ſcientia, quam Deus de ſeipſo habet, ſit practica. Caiet. 1.p.q. 14.ar.16.
14 Num Dialectica ſcientia ſit. Dominicus à Soto q.2.procemiali Logicæ.R. vide eum 1.Pyſi.q.1.con.2.
15 Num Dialectica ſit ſpeculatrix ſcientia.Soto q.4. procemiali Logicæ.R.vide eum 1.Phyſic.q.1.concl.3.
16 Sitne Logica vna ſcientia. Soto q.3.procemiali Logicæ.R.vide eum 1.Phy. q. 1.concl.4.

Alias quæſtiones quæ ad vnitatem ſcientiæ pertinent, vide infra poſt quæſtiones cap.4.lib.de Demonſtr.additamento 1.

17 An pars Demonſtratoria Dialecticæ ſcientia ſit.Fland.1.poſt q.3.art.1
18 An pars Demonſtratoria ſit practica, an potius Speculatiua.Fland.1.Poſter. q.3.art.2.
19 An pars Sophiſtica Logicæ ſit ſcientia.Fland.in opuſc.diui Thomæ de Fallacijs quæſt.1.
20 Num ſcientia ſpeculatrix quæratur propter ſe,& practica propter aliud.Ferrar.3.Contra gent.cap.25.
21 An practicum & ſpeculatiuum ſufficienter diuidant habitus intellectus.Sōci.6.Metaph.q. 5.
22 Sitne omnis ſcientia aut practica, aut ſpeculatrix.Iauell.6.Metaph.q 6.
23 Num bene diuidatur ab Ariſtotele 6. Metaph. ſcientia ſpeculatrix in Phyſicam,Metaphyſicam,& Mathematicam.Diuus Thomas in Boeth. de Trin.q.5. art.1.|Sonci.& Iauel.6.Metaph.q.7.
24 Vtrum Dialectica ſit ars artium.Fland.1.Poſter.q.1.ar.4.
25 An actus intellectus verè dici poſsit Praxis. Capr.in prol.Sent.q.2.concl. 4.|Sonci.6.Metaph.q.2.|Ferrar.3. Cont.gent.cap.25.|Iauell.6.Metaph.q.4.
26 Num ex quauis relatione ad praxim habitus poſsit dici practicus. Capr.in prol.Sent.q.2.concl.5.

Quæſtiones autem ad ſubalternationem ſcientiarum pertinentes, lege infra poſt.4.cap.lib.de Demonſt.additamento.1.

Cap.3.de neceſsitate Dialecticæ.✱.lege lib.7.cap.2.

An Dialectica ſit neceſſaria Soto q.1.procem.Logicæ.R.Vide eum 1.Phyſi. q.1.con.1.

Cap.4.de Fine Dialecticæ.✱ Lege cap.1.lib.7.ad finem.

Cap.5.de Officio Dialectici. Cap.6.de Materia Dialecticæ.✱. Lege cap.1. lib.2.

1 An ſubiectum ſcientiæ & eius obiectum idem omnino ſint. Capr.in prol. Sent.quæſt.4.con.2.
2 Quænam ſit ratio obiecti formalis ſcientiæ.Capr.in prol.Senten.q.4.con.3
3 An diſtinctio formalis ſcientiarum ſumatur ex diſtinctione formali obiectorum.Sonci.6.Metaph.q.8.
4 Num obiectum Dialecticæ ſit ens rationis. Soto q.5.procem.Logicæ.
5 Vtrum ens uerum, id eſt ens rationis ſit obiectum Metaphyſicæ. Iauell.6. Metaphyſic.q.vlt.
6 An Logica ſit circa actus rationis tanquam circa propriam materiam,Fland. 1.Poſter.q.1.art.3.

7 Vtrum

7 Vtrum ad dirigendas mentis operationes peculiaris ſcientia requiratur. Fland.1.Poſter.q.1.ar.2.

8 Quomodo Logica & Metaphyſica circa omnes res diuerſis rationibus uerſentur. D.Thom.opuſc.42.id eſt de Natura generis,cap.4.& 5.|Fland.1.Poſte. quæſt.25.ar.2.

9 R.Quod ſit Theologiæ ſubiectum.D.Thom.1.p.q.1.ar.7. & omnes Doctores in prolo.Sententiarum.

10 R.Quod ſit naturalis Philoſophiæ ſubiectum. Caiet.in peculiari opuſculo.|Iauell.1.Phyſi.q.1.

Cap.7.de Inſtrumentis Dialecticorum. * Lege cap.2.lib.7.

1 An tantùm ſint quatuor quæſtiones uerè ſcibiles. Fland.2.Poſt.q.1.ar.2.| Caiet.2.Poſter.cap.1.multa de his quæſtionibus ſcitu digna tradit.

2 Num cognitio.An res ſit, præcedat cognitionem quid ſit.Caiet.2.Poſter. cap.7.q.4.| Ferrar.1.Cont.gent.cap.66.

3 Significetne definitio rem eſſe,aut non eſſe.Fland.1.Poſter.q.24.ar.2.

Cap.8.de Definitione.* Lege lib.2.cap.6.controuerſiam,& cap.10.ad 2.|lib.c.6.in q.2.|& c.11.obiect.1.|liq.6.c.4.arg.2.|lib.7.c.4.|lib.8.cap.11.

1 An Logicus definiat per materiam, & Phyſicus per formam. Iauel.1. de Anima q.11.

2 Quæ ſit uia inueſtigandi definitionem.Fland.2.Poſter.q.14.| Caiet.2.Poſter.cap.10.q.1.& 4.|Iauell.1.de Animo.q.6.

3 An faciliùs ſit ſingularis, id eſt ſpeciei, quàm vniuerſalis,id eſt generis,definitionem inueſtigare.Caiet.2.Poſter.cap.10.q.3.

4 Quomodo partes definitionis cum definito comparentur.Ferrar.2.Contra gent.cap.58.

5 An definitio habeat partes reſpōdētes partibus definiti.Iauel.7.Met.q.15.

6 An ſi definitio habet partes ſecundùm rationem, definitum habeat ſecundùm rem. Iauel.1.Phy.q.13.

7 Vnde ſumatur genus & differentia in omnibus rebus. Ferrar.2.Cont.gen. cap.65.

8 An materia ſit pars quidditatis rei compoſitæ.Iauel.7.Metaph.q.9.

9 Vtrum per definitionem ſola forma,an etiam materia ſignificetur. D.Tho. in q.de Formis,q.4.ar.1.

10 Vtrum forma prædicetur de re, cuius eſt forma. D. Thom. in q. de Formis.q.4.artic.2.

11 Num potentiæ per actus, & actus per obiecta diſtinguantur.Iauell.2.de Animo q.11.

12 Sitne quodquid eſt proprium definitionis ſignificatum.Fland.2.Poſter.q. 8.arti.2.

13 Num ſola prædicata eſſentialia ponantur in definitione ſubſtantiæ compoſitæ. Iauell.7.Metaph.q.6.

14 An ſola accidentia per additamentum definiantur, Sonci.7.Metaph.q.6.

15 Liceatne in definitione traſponere nomina.Caiet.2.Poſt.c 10.q.2.

16 Vtrum dicendo Naſus ſimus, committatur nugatio.Iauell.7. Metaph.q.7.

17 Definiaturne vnum relatorum per aliud. Sonci.5.Metaph.q.33.|Caieta.in Porphyr.cap.de Specie.

18 Num

18 Num in relatis & abſolutis poſsit definitio eſſe circularis.Iauel.1.Phyſico. quæſt.14.

19 An quodquid eſt id eſt definitio,poſsit demonſtrari de re cuius eſt.Flan. 2.Poſter.q.3.art.2.|q.4.ar.1.|q.1.ar.1.& 4.|q.6.ar.1.|q.7.ar.2.| Caiet.2.Poſt. a cap.3.vſque ad 6.

Cap.9.de Diuiſione.* Lege q.3.cap.7.huius libri.

1 Quomodo differentia diuidat genus. Caie.in Porphyr.cap.de Differentia.quæſt.vlt.

2 An diuiſio debeat eſſe bimembris. Caiet.2.Poſter.c.4.ad finem.

3 Quomodo analogum in ſua inferiora diuidatur. Caiet.opuſc.de nominum analogia cap.9.

4 R.An diuiſio ſubſtantiæ, quam tradit Ariſt.2.de Anima, ſit analogi in analogata.Iauel.2.de Animo.q.2.

Cap.10.de Argumentatione.* Vide 5.lib.& ſequentes.

1 An ex antecedente poſsibili ſequatur ſemper conſequens poſsibile: & an conſequens impoſsibile ex antecedente ſolum impoſsibili colligatur. Iauel.9. Metaph.q.11.

2 Vtrum concluſio neceſſaria poſsit inferri per medium non neceſſarium. Fland.1.Poſter.q.18.ar.2.

Cap.11.de partibus Dialecticæ.* Lege cap.2.lib.2.

Vtrum tertia pars Logicæ optimè diuidatur in Inuentiuam,Iudicatiuam, & Sophiſticam.Fland.1.Poſter.q.2.ar.2.

Quæſtiones lib.2.de Quinque vocibus.

Cap.1.de ſubiecto Dialecticæ.* lib.1.cap.6.| & in hoc lib.cap.8.ob.5.| & lib.3.cap.10.

1 An prima & ſecunda intentio ſint mentis conceptiones.Capr.1.Sent.d.23. q.1.con.1.| Iauel.3.de Anima q.2.de Conceptu.

Hic poſſunt multæ quæſtiones proponi,tam de intellectu,alijſque animi noſtri viribus, quàm de earum actibus. Sed lege D. Thom.1.p.q.77.78.79.item 85.86.87.|præterea Ariſt.interpretes.2.& 3.de Anima.Has tamen accipe.

2 Num intellectu patiens ſit ab omni organo corporeo ſeparatus.Iauell.3.de Anima q.1.de Intellectu poſsibili.

3 Quæ ſint munera intellectus agentis. Iauell.3.de Anima q.2.& 3.de Intellectu agente.

4 An ſint ſpecies intellectiles. Dura.2.d.3.q.6.|Iauell.3.de Anima.q.1.de Specie intelligibili.

5 A quo producantur ſpecies intellectiles. Iauell.3. de Anima q.2. de Specie intelligibili.

6 An in definitionibus eorum de quibus Logica diſputat, definiantur naturæ, an notiones. Caie.in Porphyr.cap.de Genere,& in Categor. Ariſt.cap.de Subſtantia.q.1.

Alia præterea loca habes in inſtitutionibus in hoc cap.quæ (ſi placet) conſule. Vide etiam quæſtiones, quas habes in Theſauro quæſtionum.c.6.lib.1.

7 An entia rationis cauſam habeant, quæ eis tribuat Eſſe. Sonc.6. Meta.q.18.

Cap.2.de diuiſione Dialecticæ.* cap.vlt.lib.1.

1 Vtrum ad dirigendas mentis operationes, aliqua peculiaris ſcientia requiratur.Fland.1.Poſter.q.1.ar.2.

2 Vtrum idonea ſit Logicæ diuiſio per tres mentis operationes.Flan.1. Poſt. q.2.artic.1.

3 An practicus intellectus differat re, an ſola ratione ab ſpeculatiuo.D.Thom. 1.p.q.79.ar.11.| Iauell.3.de Animo q.7.de Principio mouente.

Cap.3.de ordine librorum Dialecticæ.* cap.1.lib.6.

1 An proceſſus a cauſis ad effecta ſit compoſitorius, an reſolutorius. Caiet. 12.q.14.artic.5.

2 Vtrum genus implicitè contineat ea, quæ ſub ipſo continentur.D.Thom. opuſc.42.id eſt de natura generis cap.9.

Cap.4.de ſubiecto & neceſsitate libri Quinque vocum. ✠ argumen.2. cap.4.lib.6.

De Vniuerſis habes duo integra opuſc.D.Thom.ſcilicet 55.& 56.Item tractatum 1.opuſc.48.quod Logicæ Compendium dicitur.

1 Quō ſpecies intellectilis ſit vniuerſalis.Ferrar.2.Contra gent.cap.49.

2 Quomodo ſcientia ſit vniuerſalium.Caiet.1.Poſter.c.9.q.penult.

Cap.5.de Genere & Specie.* lib.7.cap.5.

1 Vtrum genus & ſpecies ſint idem conuertibiliter.Sonc.7.Metaph.q.38.

2 Vtrum poſsit eſſe aliquod genus, ſub quo tantùm ſit vna ſpecies. Fland.1. Poſt.q.17.ar.2.

3 Vtrum diuiſio generis & ſpecici ſit rationis.Sonc.5.Metaph.q.11.

4 An determinans ſibi aliquod genus, determinet ſibi aliquam ſpeciem. Ferra.3.Cont.gent.cap.4.

5 An ſpecies, ut ſpecies eſt, de pluribus prædicetur.Ferrar.4.Cont.gent.c.35.

6 An omnia quæ habent eandem materiam, ſint eadem numero. Sonc.5.meta.q.12.|Iauel.5.Metaph.q.14.

7 An omnis contrarietas diuerſitatem ſpeciei cōſtituat.Iauel.10.Meta.q.20.

8 An genus & ſpecies eius ſint idem, aut diuerſa genere: item an ſint idem, aut diuerſa ſpecie. Iauel.10.Metaph.q.19.

9 An materia ſit principium diſtinctionis genericæ. Sonc.10.Metaph.q.25.| Iauel.10.Metaph.q.22.

10 An genus per ſe de differentia prædicetur.Sonc.4.Metaph.q.20.| Iauell.3. Metaph.q.2.

Cap.6.de Differentia.✠ cap.10.huius lib.ad 2.

1 An illud a quo res ſumit ſpeciē, debeat eſſe indiuiſibile.Caie.1.2.q.52.ar.1.

2 An differentia ſit de eſſentia generis.Ferrar.1.Cont.gent.cap.24.

3 An genus & differentia tantùm ratione differant.Son.7.Metaph.q.36.

Cap.7.de Proprio.* lib.3.c.2.dubit.3.| lib.7.c.1. ad mediū quæſtionis.

1 Quomodo diuidatur accidens in proprium & commune.Ferra.3. Contra gentes cap.7.

2 An Ens habeat ueras & proprias paſsiones.Sonc.4.Metaph.q.17.| Iauell. 4.Metaph.q.2.

3 An proprietates entis ſint idem cum ente. Soncin.4.Metaph.q.21.| Iauell. 4.Metaph.

4.Metaph.q.3.

4 An proprietates entis cum ente conuertantur.Sonc.4.Metaph.q.18.|Iauel. 4.Metaph.q.4.

5 An propria paſsio diuina uirtute a ſubiecto ſeparari poſsit.Ferrar.4. Contra gentes cap.65.

6 An quoduis accidens habeat aliquod proprium ſubiectum. Caiet.de Ente & Eſſentia cap.7.tex.7.

7 An quoduis accidens fluat a ſubiecto.Caiet.1.p.q.77.ar.6.|Ferr.3.Contra gentes cap.7.| & lib.4.cap.14.

Cap.8.de Accidente. lib.3.cap.11.q.1.2.3.& 4.

1 Quæ ſit natura accidentis.D.Thom.integro opuſculo 41.

2 An Deus poſsit facere accidens ſine ſubiecto. D.Thom.4.Sent.d.12.q.1. arti.1.| Durand.4.diſt.12.q.1.

3 Vtrum inhærentia ſit de eſſentia accidentis. Sonc.& Iauell.7.Metaph.q.1.| Caiet.de Ente & de Eſſent.cap.7.q.15.

4 R.Vtrum in Sacramento altaris accidentia ſine ſubiecto exiſtant.D.Thom. 3.p.q.77.ar.1.

5 An accidens iuſeparabile per ſe & neceſſariò inſit indiuiduis.Caiet.1.Poſte. cap.7.q.2.

Vide præterea q.6.& 7.capitis ſuperioris.

Cap.9.de Indiuiduo. Lege c.10.huius lib.ad 3.arg.|& arg.2.c.4.li.6.

1 Quid ſit pſona.D.Th.1.p.q.30.ar.1.|1.Sent.d.25.ar.1.|de Potē.q.9.ar.2.

2 An ſingulare poſsit definiri.Iauell.7.Metaph.q.16.

3 R. Vtrum hoc nomen Perſona ſit commune tribus perſonis Diuinis.D. Thom.1.p.q.30.art.4.

Cap.10.de numero Vniuerſalium.

1 Vtrum genus implicitè contineat ea, quæ ſub ipſo collocantur. D.Thom. opuſc.42.cap.9.

2 Vtrum genus & differentia ſola ratione diſtinguantur.Sonc.7.Meta.q.36.

3 Vtrum Deus ſit genus alicuius.D.Thom. in Compendio Theologiæ c.13.

4 Num Deus ſit ſpecies pluribus indiuiduis communis.D.Thom. in Compendio Theologiæ.cap.14.

5 Vtrum in Deo ſit totum vniuerſale.D.Thom.1.Sent.d.19.q.4.ar.2.

6 Quomodo natura immaterialis poſsit apprehendi ut vniuerſalis & particularis.Ferrar.2.Contra gent.cap.93.

De principio Indiuiduationis,uide q.ſequentis capitis.

Cap.11.Quomodo natura fiat vniuerſa.

1 An natura ex ſe ſit vna, uel plures.Caiet.de Ente.c.4.q.6.

2 An natura vniuerſalis habeat vnitatem realem, minorem vnitate numerali. Soncin.7.Metaph.q.40.

3 Quod ſit principium indiuiduationis.D.Thom.integro opuſ.29. & opuſ. 32.cap.2.|Sonc.7.Metaph.q.31.32.33.34.35.& 10. Metaph.q.49.| Caiet.de Ente cap.2.q.5.| Ferrar.1.Contra gent.cap.21.| Iauell.5.Metaph.q.15.

4 Ana accidentium differentia diuerſitatem numericam conſtituat.D.Thom. in Boeth.de Trinit.q.4.art.2.

5 An loci diuerſitas quidpiam efficiat circa diuerſitatem numericā. D.Tho.

in Boeth. de Trinit. q. 4. ar. 4.

6 Num formæ vnius ſpeciei multiplicentur tantùm ratione materiæ. Caiet. 1. p. q. 41. art. 6.

7 Vtrum anima intellectiua per corpus indiuiduetur. Caiet. de Ente. c. 6. q. 13. Ferrar. 2. Contra gent. c. 75. & 81. | Iauel. 3. de Anima. q. 5.

8 Accidentia quomodo indiuiduentur. Caiet. 1. p. q. 29. ar. 1.

9 Vtrum plura accidentia eiuſdem ſpeciei poſsint eſſe in eodē ſubiecto. | Son. 7. Metaph. q. 4. & 9. | Caiet. 3. p. q. 35. ar. 5. | Ferrar. 4. Cont. gent. cap. 26. Iauel. 5. Metaph. q. 18.

10 R. Quomodo Deus indiuiduari intelligatur. Ferrar. 4. Cont. gent. c. 14.

11 An quoduis abſtractum, & qua abſtractione ſubſiſtens, vnum tantùm ſit. Caiet. 1. p. q. 54. ar. 1.

12 R. Vtrum plures Angeli poſsint eſſe eiuſdem ſpeciei. D. Thom. 1. p. q. 50. art. 4. | Duran. 2. d. 3. q. 3. | Sonc. 12. Metaph. q. 51. | Caiet. de ente c. 5. q. 9. | Iauel. 12. Metaph. q. 24.

13 Vtrum res immateriales ſe ipſis ſint indiuiduæ. Ferrar. 1. Cont. c. 21.

14 An natura abſolutè ſumpta ſit, quæ prędicatur de indiuiduis. Caiet. de Ente cap. 4. q. 6. ad finem.

Cap. 12. de quibuſdam axiomatibus.

1 An vniuerſale nihil ſit, aut poſterius ſingularibus. Iauell. 1. de Anima. q. 7.

2 An vniuerſale ſit ſemper. Caiet. 1. Poſter. cap. 9. q. 2.

3 Qua ratione ſe habeat ſenſus reſpectu ſingularium, & intellectus reſpectu vniuerſalium. D. Thom. integro opuſc. 49.

4 An primum cognitum ab intellectu ſit ſingulare. Sonc. 7. Metaph. q. 12.

5 Vtrum intellectus noſter priùs intelligat magis vniuerſale. D. Tho. 1. p. q. 85. art. 3. | Caiet. in prol. de Ente. q. 1.

6 Quomodo intellectus noſter cognoſcat ſingularia. Ferrar. 1. Contra gentes cap. 65.

7 An ſenſus ſit vniuerſalium, & ſentire ſingularium. Caiet. 1. Poſt cap. 23. | Iauel. 1. Metaph. q. 8.

8 An ſingulare poſsit per ſe intelligi. D. Thom. 1. p. q. 86. arti. 1. | Iauel. 7. Metaphyſi. q. 16.

9 An vniuerſalia actu ſint extra animam. Caiet. de Ente. c. 4. q. 7.

10 An ſpecies intelligibiles remaneant poſt intellectionem. Iauell. 3. de Anima. quæſt. 4. de ſpecie intelligibili. Conſule præterea D. Thom. 1. par. quæſt 79. artic. 6. & 7.

Quæſtiones Tertij libri de Categorijs.

Cap. 1. de ſubiecto, utilitate, ac diuiſione lib.

An veritas & falſitas in prima intellectus operatione inueniri poſsint. Ferra. 1. Cont. gent. cap. 59. | Sed vide quæſtiones cap. 5. lib. 4.

Cap. 2. de Aequiuocis. Cap. 3. de Vniuocis.

1 An quod ordine Prioris & Poſterioris de ſuis inferioribus dicitur, vniuocū eſſe poſsit. Ferrar. 1. Cont. gent. c. 32.

Hic

Hic per multa de analogis diſputari poſſunt, quæ tractat Caiet.opuſc. integro de Nominum analogia,& in opuſc. Reſponſionis ad magiſtrum Ferrarienſem:& ipſe Ferrar.1.Cont.gen.c.32.33.& 34.
2 An primum analogatum in cæterorum definitione poni debeat. Caiet. 1. par.q.13.art.6.Ferrar.1.cont.gent.cap.34.
3 An analogum ſimpliciter prolatum pro ſuo præcipuo ſignificato perpetuò accipiatur. Caiet.in Porphyr.cap.de differ.p.2.q.2.
4 An ſi æquiuoca reducantur ad vniuocum ſecundùm prædicationem,verùm etiam ſit vniuoca reduci in non vniuocum.Caiet.1.p.q.13.art.5. ad 1.
5 R. An nomina Deo,nobiſque communia ſint æquiuoca,vniuoca, an analoga.D.Tho.1.p.q.13.a.5.|1.Cont.gen.c.32.33.34.|de Poten.q.7.ar.7.|de Veri. q.2.art.11.|opuſc.2.id eſt in Compendio Theologiæ.c.27.
6 An corruptibile & incorruptibile differant genere.Iauell.10. Metaph.q.21.
7 Vtrum ſubſtantiæ ſeparatæ ac materiales non conueniant, niſi genere Logico.D.Thom.opuſc.42.de Natura generis c.6.

Cap.4.de Paronymis.

R. An dictio excluſiua addita vni relatorum excludat reliquum. Durand.1. d.21.quæſt.1.

Cap.5. reſponſionis pro Ariſtotele. ¶ Cap. 6. de prima diuiſione ante prædicamentali.*.lib.4.cap.5.obiect.2.

An ratio, quam ſignificat nomen , ſit conceptus intellectus de re intellecta. Caiet.1.p.q.13.art.4.

Cap. 7. de 2. diuiſione. ¶ Cap. 8. de prima regula antepradicamentali.

An quando aliquid alicui tribuitur,neceſſe ſit,omnia quæ ſunt de eius ratione ei tribui.Caiet.1.p.q.28.ar.3.

Cap.9.de ſecunda regula antepradicamentali.

Additamentum de Tranſcendentibus.

QVibus publica Dialecticæ interpretatio, aut aſſertionum huius libri defenſio eſt impoſita, maximè curare debent, ut ea quæ ad ſex tranſcendentia pertinent, comprehenſa animo habeant. Hos itaque autores, & in his quidem locis legere poterunt.

Principiò Iauellum in tractatu de Tranſcendentibus, qui habetur poſt Epitomen Metaphyſicæ . Hunc tanquam fundamentum poſui,quoniam ſumma perſpicuitate,quæ ad præſentem diſputationem attinent, explicat. Deinde diuũ Thom.opuſc.42.c.2.denique has quæſtiones .

1 Eas quas habes ſupra in Theſauro prædicabilium.c.7.ſcilicet 2.3.& 4.| Item omnes quæſtiones poſitas in Theſauro c.2.& 3. huius libri . Item eas quas habes in Theſauro c.10.huius libri : ſcilicet 14.15.16.17.18. & 19.
2 Quæ ſint entis diuiſiones. D.Thom.opuſc.42.c.1.& 3.
3 An ens, quatenus ens, habeat principia & cauſas.Son.4.Meta.q.8. | Iauel.6. Metaph.q.1.
4 De Vno vide in Theſauro c.13.huius libri q.27. 28. 29.30.& 31. | Item an vnum ſit prima paſsio entis.Sonc.4.Meta.q.24.
5 An multitudo ſit prior vno. Iauell.10.Metaph.q.6.

6 An vnum & multa opponantur,& quo genere oppoſitionis.D.Thom.1.p. q.11.art.2.|Son.10.Metaph.q.4.Iauell.10.Metaph.q.5.
7 De vero & falſo vide D.Tho.q.1.de Verit.per totã quæſtioñẽ.|1.p.q.16.& 17.|Itẽ uide quæſtiones,quas nos ponimus in Theſauro c.5.li.4.à q.1.vſq; ad 16.
8 De Bono vide D.Thom.1.p.q.5.& 6.
9 Vtrũ Bonum differat re ab ente.D.Tho.1.p.q.5.art.1.| de Verit.q.21.ar.1. An ens & bonum conuertantur.d.7.de Verit.q.21.art.3.
10 Vtrũ Bonũ ſit prius ſecũdùm rõnem,quàm verũ.D.Th.de Verit.q.21.ar.3.
11 Vtrum omnia ſint bona bonitate Diuina.D.Tho.de Verit.q.21.art.4.
12 Vtrum bonum creatũ ſit bonũ per eſſentiã ſuã.D.Th.de Verit.q.21.art.5.
13 De Malo habes quæſtiones proprias diui Thom. quæ cum diſputatis circunferuntur.
14 De cauſa mali habes q.in D.Thom.1.p.q.49.
15 Vtrum malum ſit aliqua natura poſitiua.Durand.2.d.34.q.2.| Caiet.1.2.q. 18.art.5. De his denique tranſcendentibus lege opuſculum eius qui in morte noſter fuit,id eſt Ioannis Pici Mirandulani,Victoriæ Comitis.

Redeat igitur vnde aberrauit oratio.

Cap.10.Quę ſint ea,quæ in Categorijs ponuntur,& quot modis id contingat,de numeroq; ipſarum Categoriarum.

1 An Deus in aliquo genere contineatur.D.Thom.1.p.q.3.art.5.| 1.Sent.d. 8.q.4.art.2.| 1.Cont.gent.c.25.| in opuſc.Compendij Theol.cap.12.| Capr.1. d.8.q.2.concl.4.& 5.
2 Vtrum infinito repugnet eſſe in prædicamento.Sonc.5.Metaph.q.15.
3 An omne quod habet genus & differentiam ſit ad aliquod genus entis determinatum.Capr.1.d.8.q.2.con.1.
4 An in omni re,quæ propriè ponitur in prędicamento,differat eſſentia ab eſſe.Capr.1.d.8.q.2.con.2.
5 An omne,qđ propriè ſub aliquo genere ponitur,habeat actum admixtũ potẽtiæ.Capr.1.diſt.8.q.3.concl.3.| Sonc.12.Metaph.q.22.| Iauel.12.Meta.q.8.
6 Vtrum ex ſubſtantia & accidente fiat unum per ſe.Sonc.7.Metaph.q.5.
7 Num ex anima & corpore fiat unum per ſe.Iauell.2.de Anima.q.5.
8 n ex genere & differentia fiat vnum per ſe. Ianell.7.Metaph.q.18.
9 An ex materia & forma fiat vnum per ſe.Sonc.8.Metaphyſi. q. 28.| Iauell. 8. Metaph .q.7.
10 An accidentia ponantur in prædicamento,ſumpta in abſtracto, an potiùs in concreto.Caiet.de Ente.cap.7.tex.7.
11 An totum & partes ſint eiuſdem ſpeciei.Ferrar.2.Cont.gent. cap.90.
12 An actus & potentia ſint eiuſdem generis.Caiet.1.p.q.77. artic. 1.
13 Vtrum prædicamenta diſtinguantur per diuerſos modos prædicandi.Sonc. 5.Metaph.q.13.| Iauell.5.Metaph.q. 6.
14 An ens in 10.prædicamenta diuiſum ſit ens nominaliter ſumptum. Ferrar. 1.Cont.gent.c.25.
15 Quæ ſint entis diuiſiones.Thom.opuſc.42.de Natura generis c. 1.& 3.
16 Vtrum ens habeat unum conceptum formalem.Sonc.4.Metaph.q.1.
17 Vtrum ens ſuperius ente rei, & ente rationis ſit æquiuocum, an analogum. Sonc.4.Metaph.q.5.

18 Vtrum

18 Vtrum ens,vt entia rei continet,ſit vniuocum, æquiuocum, an analogum. Sonc.4 Metaphy.q.4|Caiet.de Ente.c.2.q.2.& 3.|Ferrar.1.Cont.gent.c.32.|Iauell.4.Metaph.q.1.

19 An bene ſequatur, Ens eſt vniuocum, ergo ens eſt genus. Ferra.1. Cont. gent.c.32.

20 An priuatio ſit nullo intellectu conſiderante.Sonc.10. Metaphyſicorum.q. 15.|Iauell.10.Metaphy.q.10.& ibi quomodo cognoſcatur inuenies.

21 An detur potentia obiectiua. Sonc.9.Meta.q.2.|Iauel.etiam vide 9. Metaphy.q.2.

Cap.11.de Subſtantia.

1 An ſubſtantia vt genus ſummum, diſtinguatur à ſubſtantia,vt diuiditur cõtra accidens.D.Thom.opuſc.42.ideſt,de Natura generis.cap.10.|Iauell.5.Metaphyſi.q.17.

2 An ratio formalis ſubſtantiæ ſit eſſe per ſe.Soncin.5.Metaphyſico.q.14.|Iauell.5.Metaphyſi.q.17.

3 An prima ſubſtantia poſsit prædicari. Caiet.in propħ.c.de genere p.9.

4 An vniuerſale magis exiſtat quàm ſingulare. Caiet.1.Poſter.c.20.q.3.

5 An ſubſtantia ſit prior accidente ratione,cognitione, ac tempore.Ferrar.2. Cont.gent.c.18.& 19.|Iauell.7.Metaph.q.3.

6 An in definitione accidentis inſeparabilis ponatur ſubiectum. Iauel. 1.Phy. quæſt.15.

7 An ſubſtantia ſit prior accidente cognitione. Sonc.7.Metaph.q.10.& 13.

8 Num accidentia ad cognoſcendam rei eſſentiam quicquam conferant. Iauel.1.de Anima.q. 8.

Cap.12.de effectionibus ſubſtantiæ.

1 An Dei virtute fieri poſsit vniuerſale à ſingularibus ſeparatum.Sonc.7.Metaphyſic.q.41.

2 An in ſubſtantia ſit contrarietas.Iauell.5.Phyſic.q.2

Additamentum de Accidente in communi.

ANtequam de ſingulis accidentium Categorijs diſputatio inſtituatur, poſſunt quædam aut omnibus,aut pleriſque accidentium Categorijs communia diſputari,quæ ex his,quæ ſubijciemus locis,colligentur.

1 D.Thom.opuſc.48.id eſt,Compendij Logicæ, per multos tractatus de ſingulis accidentium Categorijs diſputat.|Item opuſc.42.id eſt, de natura generis c.19.& ſequentibus.

2 An accidentia in abſtracto ſint entia.Iauell.7.|Metaph.q.2.

3 Lege totum c.7.Caiet.de Ente & Eſſentia : multa enim lectione digna offendes.

Hùc referri poſſunt quæſtiones cap.8.lib.ſuperioris:item cap.11.huius libri, ſcilicet 1.5.6.7.& 8.

Reuertamur itaque ad Inſtitutiones.

Cap.13.de Quantitate.

1 An quantitas ſit ſubiectum accidentium corporalium & abſolutorum inhærentium ſubſtantiæ. Capr.2.d.18.q.1.concl.2.

2 R. Vtrum in Sacramento altaris quantitas dimenſiua ſit ſubiectum accidentium. D. Tho. 3. p. q. 77. ar. 2. |Soto 4. d. 10. q. 2. ar. 2.
3 Num quantitas ſequatur formam. Caiet. 1. p. q. 7. art. 3.
4 An quantitatis à ſubſtantia diſtinguatur. Capr. 2. d. 18. q. 1. concl. 1. |Sonc. 5. Metaphy. q. 19. |Soto 4. d. 10. q. 2. art. 2. Non cito eum in Commentarijs huius cap. ne mei inſtituti immemor videar.
5 Vtrũ in magnitudine ſint punctus, linea, & ſuperficies. Sonc. 5. Meta. q. 20.
6 Quid ſit locus. Iauell. 5. Phyſi. q. 13. |Soto 4. Phyſi. q. 1
7 An omne corpus ſit in loco. Soto 4. Phyſic. q. 2.
8 Quid ſit tempus. D. Thom. in opuſc. 36. c. 1. |Iauell. 4. Phyſi. q. 20. & 21. |Soto 4. Phyſic. q. 4.
9 An tantum ſit vnum tempus. Iauell. 4. Phyſi. q. 23.
10 An præter tempus continuum, quod eſt paſsio primi motus, ſit aliud tempus diſcretum nullo modo continuum. Capr. 2. d. 2. q. 2. conc. 3.
11 An tempus habeat eſſe completum extra animam. Capr. 2. d. 2. q. 2. concl. 4. |Iauell. 4. Phyſi. q. 24. |Lege præterea Caiet. 1. p. q. 28. art. 1.
12 An continuum componatur ex indiuiſibilibus. Iauell. & Soto. 6. phy. q. 1.
13 An ratio menſuræ prius competat vni, quod eſt principium numeri. Soncin. & Iauell. 10. Metaph. q. 2.
14 An numerus ſit vnum ſimpliciter, an potius ut aceruus. Capr. 1. diſt. 24. q. 1. concl. 5. |Sonc. 10. Metaph. q. 7. |Iauell. 8. Metaph. q. 9.
15 An numerus ſit ex apprehenſione animæ. Sonc. 10. Metaphyſic. q. 8. | Iauell. 8. Metaphyſic. q. 9.
16 Vtrum vltima vnitas ſit forma numeri. Sonc. 19. Metaphyſic. q. 9. |Iauell. 8. Metaph. q. 10.
17 Vtrum forma numeri ſit continuitas diuiſi. Sonc. 10. Metaph. q. 10.
18 An numerus ſit entitas diſtincta à rebus numeratis. Sonci. 10. Metaph. q. 11. |Iauell. 8. Metaphy. q. 9.
19 An quiuis numerus ſit vnum numero. Sonc. 10. Metaphy. q. 12.
20 Num tempus & motus ſint quantitates per ſe. Sonc. 5. Metaph. q. 24.
21 Vtrum ſubſtantia ſit diuiſibilis per quantitatem. Sonc. 5. Metaph. q. 22.
22 Vtrum diuiſibilitas ſit ratio formalis quantitatis. Sonc. 5. Metaphyſi. q. 21. Iauell. 5. Metaph. q. 20.
23 Vtrum quantitas in ea quæ inſunt, diuiſibilis ſit. Son. 5. Metaph. q. 23.
24 Vtrum finitum & infinitum, & diuiſibilitas primò & per ſe conueniant quãtitati. Iauell. 1. Phyſic. q. 8.
25 Vtrum vnum & numerus ſignificent eſſentiam. D. Tho. 1. Sent. d. 24. ar. 4. | Capr. 1. d. 24. q. 1. art. 1. conc. 1.
26 Vtrum numerus, qui eſt ſpecies quantitatis, & vnitas, quę eſt eius principium, ſolum in rebus materia conſtantibus inueniantur. Capr. 1. d. 24. q. 1. ar. 1. concl. 2. | Sonc. 10. Metaph. q. 13. |Iauell. 8. Metaphyſi. q. 11.
27 An Vnum ad genus quantitatis pertinens, addat aliquid ad vnum, quod reciprocatur cum ente. Dur. 1. d. 24. q. 2. | Sonc. 4. Metaph. q. 25. Iauell. 4. Metaphy. q. 7.
28 An ratio vnius ſit poſitiua, vel priuata. Sonc. 4. Metaphy. q. 23. | Iauell. 4. Metaph. q. 8. & lib. 10. q. 1.

Quomodo

29 Quomodo multitudo ex unitatibus componatur. Caiet. 1. p. q. 11. art. 2.
30 An ſpecies multitudinis ſint iuxta ſpecies numeri accipiendæ. Caiet. 1. p. q. 7. 1. art. 4.
31 An multitudo ſit genus numeri. Iauell. 10. Metaph. q. 15.

Cap. 14. de affectionibus quantitatis.

1 An quantitas poſsit intendi & remitti. Sonc. 8. Metaphy. q. 27.| Caiet 1. 2 q. 52. artic. 1.
2 An eadem quantitas numero poſsit per eſſentiam eſſe maior & minor. Capr. 2. d. 18 q. 1 concl 4.
3 Num æqualitas ſit aliquid reale in his quæ ſunt æqualia. Capr. 1 d. 31. q 1. concl. 2.|Sonc. 5 Metaph q. 34.| Cait. 1. p. q 42 art. 1.
4 An ſurſum & deorſum ſint ſpecies loci, & an ſint extrema longiſsimę lineæ. Iauell. 4. Phyſi. q. 3.

Cap. 16. de Qualitate.

1 De Habitibus vide multas quæſtiones in diuo Thom. 1. 2. à quæſt. 49. vſque ad 54.
2 Vtrum aliquis habitus immediatè recipiatur in eſſentia animæ. Durand. 2. d. 26. q. 2.
3 Vtrum virtutes ſint habitus. Durand. 2. d. 27. q. 1.
4 Qua ratione habitus ad actum ſe habeat. Caiet. 1. 2 q. 49. art. 3.
5 R. Vtrum Syndereſis ſit potentia, vel habitus. D. Tho. de Verit. q. 16. art. 1.| 2. Sent. d. 24 q. 2. art. 3.
6 R. Vtrum conſcientia ſit potentia, vel actus, aut habitus. D. Thom. de Verit. q. 17. artic. 1.
7 R. Vtrum character ad Qualitatis Categoriam pertineat, & ad quam eius ſpeciem referatur. Caiet. 3. p. q. 63. art. 2.|Soto 4. Sent. d. 1 q. 4. art. 2.

Cap. 16. de affectionibus qualitatis.

1 Vtrum motus illi contrarij ſint, qui ad terminos contrarios tendunt. Soto 5. Phy. q. 4.
2 Vtrum inter ſpecies, aut differentias cuiuſcunque generis ſit contrarietas. Iauell. 10. Metaph q. 18.
3. An in figuris detur contrarietas. Iauell. 1. Phyſi. q. 22.
4 An in Quantitate, Qualitate, & vbi ſit cõtrarietas. Iauell. 5. Phyſi. q. 5.
5 An omnis forma poſsit intendi & remitti. Cap. 1. d. 17. q. 2. art. 1. concl. 7. præſertim de forma ſubſtantiali id tractat Sonci. 8. Meta. q. 25.
6. An eadem forma numero poſsit eſſe intenſa & remiſſa. Durand. 1. d. 17. quæſt. 7.
7 Vtrum aliquæ formæ intendantur non ſolum ex maiori participatione ſubiecti, ſed ex additione etiam alicuius. Capr. 1. d. 17. q. 2. art. 1. concl. 6.|Caieta. 1. 2. q. 52. art. 2.
8 An forma accidentalis habeat gradus, per quos magis, minuſque recipiat. Durand. 1. d 17. q. 5.
9 An forma recipiat magis & minus ratione eſſentiæ. Duran. 1. d. 17. q. 6.| Caiet. 1. 2. q. 52. art. 2.
10 Vtrum aliqua forma recipiens magis & minus poſsit augeri in infinitum. Durand. 1. diſt. 17. q. 9.

11 Num quæuis forma ſpecificans, nec indiuiſibilitatem habens, magis, minuſque recipiat. Caiet. 1.2.q.52.art.1

12 Num additio informis ſit tantum vel ex parte ſubiecti, vel ex parte formæ. Caiet. 1.2.q.52.art.2.

12 An ſimilitudo ſit relatio realis. Sonc. 5. Metaph. q. 34.

Cap. 17. de Relatis. *. lib. 1. c. 8. q. 5.

1 An dentur aliquæ relationes nō reales. Capr. 1. d. 13. q. 1. art. 2. concl. 1. | Sed lege art. 7. quæſt. 13. 1. p. D. Tho.

2 Num relatio rationis ſit ex ſolo opere intellectus. Caiet. 1. p. q. 28. art. 1.

3 Num in ſola relatorum Categoria inueniatur aliquid reale, & aliquid ſecundum rationem. Caiet. 1. p. q. 28. art. 1.

4 An relatio ſecūdum propriam relationem relationis dicat aliquid reale. Ferrar. 4 Cont. gent. c. 14.

5 An dentur aliquæ relationes, quæ ſint vera entia rei. Capr. 1. d. 30. q. 1. ar. 1. concl. 1. | Son. 5. Metaph. q. 2. 25.

6 An inter relata realiter diſtincta ſit relatio realis. Sonc. 5. Metaph. q. 29.

7 An relatio habens fundamentum reale ſit realis. Sonc. 5. Metaphy. q. 27.

8 Quomodo relatio quæ propriam rei operationem ſequitur, ſit realis. Ferrar. 4. cont. gent. c. 14.

9 R. Vtrum ſit aliqua relatio inter Deum & creaturas. D. Thom. de potent. q. 7. art. 8. | Sed lege etiam. 1. p. q. 13. art. 7.

10 R. An relationes quæ ſunt inter Deum & creaturas ſint realiter in ipſis creaturis in Deo. D. Tho. de potentia. q. 7. art. 9. | 2. Con. gent. c. 13.

11 R. Vtrum Deus ad creaturas realiter referatur, ita vt ipſa relatio ſit aliqua res in Deo D. Thom. de potent. q. 7. art. 10.

12 R. Vtrum potentia generandi ſit ad aliquid. D. Tho. 1. p. q. 41. ar. 5. | 1. Sent. d. 7. q. 1. ar. 2. | de potent. q. 2. ar. 2.

13 R. An creaturæ ad Deum relatione reali referantur, & Deus ad ipſas relationes rationis. Capr. 1. d. 30. q. 1. art. 1. cōc. 3. | Ferra. 2. Con. gen. c. 11. 12. & 13.

14 An relationes quę conueniunt Deo ex tempore, ſint reales. D. Thom. 1. p. q. 13. ar. 7. | Durand. 1. d. 30. q. 3.

15 Vtrum Relatio à fundamento diſtinguatur. Durand. 1. d. 30. q. 2. | Capr. 1. d. 30. q. 1. art. 1. | Sonc. 5. Metaph. q. 28. | Caiet. 1. p. q. 28. art. 2. ad 1. | Ferrar. 4 Cont. gent. c. 14. | Iauell. 5. Metaph. q. 22.

16 Vtrum relatio habeat ſuam realitatem ex fundamento. Son. 5. Meta. q. 26.

17 Vtrum relatio poſsit im mediatè fundari in ſubſtantia. Sonc. 5. Metaphy. q 31. | Ferrar. 4. Cont. gent. c. 14.

18 Vtrum relationes diſtinguantur ex pluralitate fundamenti. Sonc. 5. Meta. quæſt. 32.

19 An modi relatorum ſint bene ab Ariſt. aſsignati. Iauell. 5. Metaph. q. 21.

20 R. Vtrum relatio creaturæ ad Creatorem ſit tranſcendens, diſtincta à ſuo fundamento. Caiet. 1. p. q. 45. art. 3.

21 Vtrū terminus ſit de cōceptu quidditatiuo relationis. Sonc. 5. Meta. q. 33.

22 Vtrum vni relationi ſecundum ſpeciem duæ relationes ſpecie diſtinctæ reſpondeant. Caiet. 1. p. q 52. art. 2.

23 Num relationes ſecundum terminos ſint numerādæ, id eſt, utrū pater vna

 paternitate

paternitate ad plures filios referatur. Caiet. 3.p.q.35.art 5. | Ferrarien. 2. contra gent.cap.12.
24 Num quoduis aliud genus præter relationem ſignificet aliquid inhærens, relatio verò ſolùm ſignificet Ad. Caie. 1. p. q. 28.art.1. Ferrar.4. Con.gent c.14.
25 Num relatum terminetur ad abſolutum, an ad relatum aliud. Sonc. 5. Meta. q.30. | Caiet.1 p.q 13 art.7. | Ferrar.2.Cont.gent.cap.11.
26 An in illis ſolùm relatis inueniatur relatio realis mutua, in quibus ex vtraque parte eſt eadem ratio ordinis vnius ad alterum. Capr.1.d 30.q.1.art.1. concl.2. | Caiet. 1.p.q.13.art.7.
27 An materia & forma ſint relata Iauell.2.Phyſi.q 10.
28 An æqualitas & ſimilitudo relationes reales ſint Sonc.5.Metaph.q 34.
29 Quomodo eſſe diuerſum ſit eſſe relatum. Ferrar.j.Cont gent.c.17.
30 Vtrum à relatione extrinſeca aliquid denominetur. Ferrar. 2. cont.gent.c.13.
31 Vtrum identitas ſit relatio realis. Sonc.5.Metaph q.35. | Caiet.1.p.q.28.ar. 1.ad 1. | Denique circa hoc cap alia multa reperies in Caietan. 1.p. q.13.art.7. | 3.p.q.35.artic.5.

Cap.18. de affectionibus relatorum.* lib.1.c.8 q 5.

1 Vtrum vno relatorum intellecto, aliud neceſſariò intelligi debeat. Caieta. 1. p.q.13.artic.7.
2 An vnum relatorum per aliud definiatur. Caiet. in Porphyr. c. de ſpecie. Vide etiam in Theſauro cap 8.lib.1.q 18.
3 Vtrum dictio excluſiua addita vni relatorum excludat reliquum. Durand. 1. diſtinct.21.q 1.
4 An relatio poſsit aduenire alicui abſque eius mutatione. Iauell. 5. Phyſic.q.3.

Cap.10 de actione & paſsione.

1 Vtrum actio immanens, quæ per ſe eſt ſubiectiuè in agente, diſtinguatur à tranſeunte. Sonc.9. Metaph.q.20.
2 An actio immanens ad hanc pertineat Categoriam Sonc.9. Metaphy.q.21.
3 Vtrum nomina ſignificantia actus immanentes includant in ſignificato ſuo reſpectum. Sonc.9 Metaph.q.22.
4 An actio tranſiens ſit in agente ſubiectiuè Sonc. 5. Metaph. 37. | Ferrar. 2. Cont gent.c.1.
5 An actio tranſiens præter relationem & motum ſignificet aliud in agente. Caiet 1 p.q 25 art.1.
6 Vtrum actio ſit forma producta. Sonc 5. Metaph. q.36.
7 Vtrum actio dicat abſolutum cum reſpectu. Sonc.5. Metaph.q.38.*

Cap.20. de quatuor ultimis Categorijs.

1 An vltimæ Categoriæ dicant abſolutum quid, an relatum potiùs. Soncin. 5. Metaph.q.39. | Iauell. 5 Metaph.q.23.
2 Vtrum Locus & Vbi ſint idem. Sonc.5. Metaph q.40.
3 Vtrum vbi realiter à loco diſtinguatur. Sonc.5. Metaph q.41.* De ſex vltimis Categorijs ædidit Gilbertus Porretanus Epiſcopus libellum obſcuriſsimum, qui De ſex principijs nominatur, quem ſuis Commentarijs Alb. Mag. ſatis illuſtrauit.

Cap.21. de Oppoſitis.* lib.7.c.8.

1 An vnum vni tantum contrarium ſit. Sonc.10. Metaph.q.20. | Iauel.10. Metaph. q. 14.

2 Qua ratione differat relatiua oppoſitio ab alijs.Iauel.10.Metaph.q.9.
3 Vtrum formæ contrariæ ſint eiuſdem ſpeciei. Sonc.10.Metaph.q.23.
4 An contrarietas ſit maxima diſtantia, vel differentia. Iauell.10.Meta.q.12.
5 An aliquis actus ſecundùm ſuam ſpeciem ſit indifferens. D. Thom. 1.2.q.18.art.8.
6 An aliquis actus ſit indifferens ſecundùm indiuiduum. D. Thom. 1.2.q.18.art.9.
7 Vtrum formæ contrariæ compatiantur ſe in eodem ſubiecto adæquatè ſecundùm gradus remiſſos.Sonc.10.Metaph.q.22.| Iauell.10.Meta.q.13.
8 An qualitates mediæ ex extremis componantur.Sonc.10.Metaphyſi q.21.| Iauell.10.Metaph.q.17.
9 Vtrum differentiæ ſpecificæ opponantur contrariè.Sonc.10.Metaph. q.24.
10 An omnia media ſint eiuſdem generis cum extremis. Iauell. 10.Meta.q.16.
11 Vtrum negatio & priuatio ſint extra animam, id eſt,nullo intellectu conſiderante exiſtant.Sonc.10.Meta.q.15.
12 Vtrum negatio & priuatio habeant propriam conceptibilitatem, id eſt, per ſe intelligi poſsint.Sonc.10.Metaph.q.16.
13 Diſtinguaturne priuatio à ſubiecto,in quo eſt.Sonc.10.Metaph.q.17.
14 Vtrum contradictio ſit maxima oppoſitio. D.Thom.opuſc.de 4. generibus oppoſitionum,præſertim c.1.| Sonc.10.Metaph.q.18.Ferrar.4.Cont.gen. cap. 14.| Iauell.10.Metaph.q.11.
15 An huic voci Ens alia poſsit opponi contradictoriè. Sonc. 4.Metaph.q.7.
16 An oppoſitio contradictoria in relatiua oppoſitione claudatur.Ferrarien.4.Cont.gen.c.14.
17 Num vnum oppoſitorum excludat reliquum.Caiet.1.p.q.2.art.3.ad 1.
18 An vnum & multa opponantur,& quo genere oppoſitionis. D.Tho.1.p.q.11.art.2.| Sonc.10.Metaph.q.4.| Iauell.10.Metaph.q.5.
19 An à priuatione ad habitum ſit regreſſus.Son.10.Metaph.q.19.

Cap.22.de modis Prioris & Poſterioris. Cap.23.de modis ſimul.

An relata ſint ſimul natura.Caiet.in Categorijs c.de relat.tex.7.

Cap.24.de ſpeciebus motus.

An tantùm ſint tres ſpecies motus.Soto.5.Phyſi.q.1.

Cap.25.de modis habendi.

Quæſtiones libri quarti de Enunciatione.

Cap.1.de Inſtituto libri,eiusque diuiſione.

An ſecundæ mentis operationi, quæ eſt compoſitio & diuiſio, reſpondeat compoſitio & diuiſio realis in rebus.Iauell.9.Metaph.q 20.

Cap.2.de Nomine.

1 An definitio vocis ab Ariſt.aſsignata ſit idonea.Iauell.2.de Anima q.38.
2 An ratio quam ſignificat nomen,ſit conceptus intellectus de re intellecta.Caiet.1.p.q.13.ar.4.
3 Num ex rerum identitate, aut diuerſitate liceat nominum identitatem, aut diuerſitatem colligere.Caiet.1.p.q.13.art.5.

Cap.3.de Verbo. Cap.4 de Oratione. Cap. 5.de Enunciatione & eius diuiſionibus.

Addita-

Additamentum de Veritate & Falſitate.

DIVVS Thomas enũciationis tractatum à veritatis diſputatione exorditur. Quare placuit, quæ de Veritate habentur quęſtiones hoc loco diſponere.

1 Quid ſit veritas D.Th.de Verit.q.1.art.1. | Ferrar.1.Cont.gent.c 59.

2 Vtrum veritas ſit ens rationis.Durand.1.d.19.q 5. | Sonc.6.Metaph. q.16.

3 An veritas dicat tantùm reſpectum adæquationis.Sonc.6.Metaphy. q.17. | Ferrar.1.Cont gent c 60.

4 Vtrum veritas ſit in rebus, an potiùs in intellectu.D.Thom. 1.p q.16.art.1. | De Verit q.1.art.2. | Durand.1.d.19 q 6. |, Capr.1.d.19 q 3.

5 Vtrum ueritas ſit in ſenſu.D.Thom.1.d.Verit.q 1.ar.9.

6 Vtrum veritas ſit in intellectu componente & diuidente. D. Thom. 1.p.q. 16.art.2.De Verit.q.1.artic.3.

7 Vtrum veritas ſit de eſſentia rei.D.Thom.1.Senten.d.19.q.5.ar.1.

8 Vtrum omnia ſint vera vna veritate, vel pluribus. D. Thom. 1.p.q.16.ar.6.

9 Vtrum omnia ſint vera veritate increata.D.Thom.1.Sent.d.19.q.5.artic.2.

10 Num veritas multiplicetur iuxta multitudinem intellectuum, & in vno intellectu iuxta multitudinem obiectorum.Caiet.1.p.q.16.art.6.

11 An veritas intellectus practici pendeat à rebus.Caiet.1.2.q.64.art.3.

12 An negans veritatem eſſe, concedat ſubinde uerum eſſe, nullam veritatem eſſe.Caiet.1.p.q.2.art.1.ad 3.

Quoniam autem contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcunt, nonnullas etiam quas de Falſitate reperimus quæſtiones, afferamus.

13 Num verum & falſum ſint contraria.D.Thom.1.p.q.17.art 4.

14 An in reb. ipſis falſitas reperiatur.D.Th.1.p.q.17.ar.1. | de Verit.q.1.ar.10.

15 Num falſitas in ſenſu detur.D.Thom.1.p.q.17.ar.2. | de Verit. q.1.ar.11.

16 An falſitas ſit in intellectu.D.Thom.1.p.q.17.art.3. de Verit. q. j. art. 12.

Veniamus iam ad proprias huius libri quæſtiones.

17 An propoſitio affirmatiua ſit prior & notior negatiua. Fland. 1. Poſter. q. 44. | Ferrar.1.Cont.gen.cap.14.

Cap.16.de oppoſitione enunciationum.

1 Vtrum diſtinctio rationis ſit ſufficiens ad tollendam contradictionem.Sonc. 4.Metaph.q.30.

2 Quid ſit aliquid inuoluere contradictionem.Ferrar.1.Cont.gent.c.22. Vide præterea Soto 3.Phyſic.q.4.

3 Quid ſit primum principium complexum.Iauell.4.Metaph.q 9.

Cap.7.de enunciationum æquipollentia. Cap.8 de conuerſione enunciationum. Cap.9 quid ſit modalis enunciatio. Cap.10.de modis eam conſtituentibus. Cap.11.de æquipollentia modalium enunciationum.

De modalibus enunciationibus habes integrum opuſc.40.D.Thom has tamen quæſtiones accipe.

1 Vtrum iudicandum ſit, aliquid poſsibile, aut impoſsibile, iuxta cauſas ſuperiores, an iuxta inferiores.D.Thom.de Potent.q.1.art.4.

2 Quot modis impoſsibile accipiatur. Ferrar 3.Cont.gent c.86.

3 Poſsibile quanã ratione ſe habeat ad eſſe, aut non eſſe.Ferra.1.Cõt.gẽ.c.15.

4 An definitio poſsibilis ut diſtinguitur contra impoſsibile, ſit accommodata.

Iauell.

Iauell.9.Metaph.q.9.

5 An aliquid ſit poſsibile,quod nec fuit,nec futurũ ſit.Iauell.9.Metaph.q.10.

Cap.12.de modificatarum enunciationum oppoſitione. Cap.13.de conuerſione earum.* lib.7.c.8.arg.2.

In hoc cap. circa quę nos de enunciationibus perpetuæ veritatis pertractauimus,has reperi quæſtiones.

1 Vtrum ſint plures veritates æternæ.D.Thom.1.Senten.d.19.q.5.art.3.|de Verit.q.1.art.5.& 6.

2 An enunciationes in materia neceſſaria veræ ſint rebus non exiſtentibus. Son.9.Metaph.q.5.|Caiet.1.Poſter.c.9.q.3.& 5.| Ferrar.2. Cont.gent.c.52.

3 An hæc propoſitio,Socrates eſt homo,ſit æternæ veritatis. Ferrar.2.Contra gent.c.96.

Præterea in digreſsione, quæ ad finem habetur,duæ quæſtiones occurrunt.

4 Vtrum in omni prædicatione per ſe debeat maius de minori,aut par de pari prædicari.Caiet.in Porphy.c.de Genere.

5 An omnis propoſitio per ſe conuertatur in propoſitionem per ſe. Caiet.1. Poſter.c.4.ad finem.|Iauell.3.Metaph.q.3.Sonci.7.Metaph.q.5.

Cap.14.de enunciationibus modi contingentis, ſumendo contingens pro eo quod poteſt eſſe & non eſſe.

Hùc pertinet tractatus enunciationũ futuri contingentis, ſatis apud Ariſt. tenebroſus:qui vt enucleatè diſcipulis proponatur, hæ quæſtiones legantur.

1 Vtrum contingens ſit contingens quando eſt aut quando non eſt. Sonc.6. Metaph.q.14.|Ferra.1.Con.gen.c.67.|Iauell.6.Metaph.q.12.

2 An ex cauſa neceſſaria effectus cõtingens poſsit oriri.Ferrar.1.Cõ.gẽ.c.67.

3 An effectus contingens habeat contingentiam à cauſa proxima. Iauell. 6. Metaph.q.11.

4 An in hoc mundo inferiori poſsit eſſe aliquis effectus contingens. Sonc.6. Metaph.q.12.|Iauel.6.Metaph.q.10.

5 Vtrum omne quod rarò euenit ſit contingens, atq; fortuitum. Iauell. 2. Phyſi.q.21.

6 R. An Deus cognoſcat futura cõtingentia.D.Thom.1.p.q.14.art.13.multa ſanè ibi in D.Thom.& Caiet.reperies obſeruatione digna. Præterea vide D. Thom.1.d.38.q.1.art.5.|1.Cont.gent.c.67.|de Verit.q.2.art.12.

Cap.15.de veritate modificatarũ enunciationum cognoſcenda. Cap.16. de Hypotheticis enunciationibus.* lib.7.c.5.

Additamentum ex diuo Thoma.

Cæterùm præterire nolo, quod apprimè lectori vtile futurum arbitror. Equidem D.Thom.poſtquam rem aliquam arduam pertractauit,de more habet exponere,quonam pacto in illo genere deceat virum catholicum loqui: nimirũ quia ſummus non intelligendi ſolum, ſed docendi quoque magiſter non ignorabat, ex uerbis inordinatè prolatis hæreſim naſci. Hac itaque occaſione multa de enunciationis natura docet,quæ ſi curioſus lector non indiligenter obſeruet, breui eruditus fiet. Loca igitur indicabo.

1 De veritate enunciationum circa ſanctiſsimę Trinitatis myſterium.D.Tho,

1.p.

1.p.q.39.|1.Sent.d.5.q.1.|d.21.q.1.art.2.

2 De veritate enuntiationum circa Domini incarnationẽ. D.Tho.3.p.q.16.| 3.Sent.d.7.q.1.& 2.|d.12.q.1.art.1.& 2.

3 De veritate enuntiationum circa ſacramenta.D.Tho.3.p.q.75.artic.8.| 4. Sent.d.11.q.1.art.4.quæſtiuncula 2.3.& 4.

Quæſtiones libri quinti de Argumentatione.

Cap.1.de materia & ordine libri.

De Syllogiſmis habes à diuo Thom.opuſ.integrum 47.| & in opuſ.48.tractatum etiam integrum.

Cap.2.& 3.de maioribus,minoribusq; ſyllogiſmi partibus. Cap.4.de ſyllogiſmi diuiſione,ac principijs.

Num omnium ſyllogiſmorum ſint eadem principia.Fland.1. Poſter. q.48. art. 1. Cap.5.de tribus figuris generatim. Cap.6.de prima figura.

Vtrum demonſtratio potiſsimum fieri debeat in prima figura. Flan.1. Poſter.q.31.art.1.

Cap.7.de 2.figura.

An ex vtraque affirmatiua poſsit rectè fieri ſyllogiſmus in 2. figura. Ferrar. 3.Cont.gent.c.3.

Cap.8.de 3.figura.✢ lib.3.cap.8.dub.1.

1 An concluſio particularis poſsit ex vtraque præmiſſa vniuerſali colligi.Caie. 1.Poſter.c.9.q.1.

2 An alicuius demonſtrationis particularis cõcluſio poſsit eſſe vniuerſa.Flan. 1.Poſter.q.42.art.2.

3 An detur quarta figura,lege in noſtro Viguerio in ſuis Inſtit. Theologicis. c.2.§.4.verſu 2.

Cap.9.de oſtenſiua reuocatione imperfectarum ratiocinationũ. Cap.10. de reductione ad incommodum. Cap.11.de ratione inueſtigandi medium.

1 An cognitio medij reſpectu concluſionis habeat ſe ut medium motus.Caiet.1.p.q.79.art.9.

2 An medium & concluſio ad eandem pertineant potentiam. Caietan.1.p.q. 79.artic.9.

Cap.12.de ſyllogiſmo expoſitorio.

An quæ ſint eadem vni tertio, ſint eadem inter ſeſe. Caiet.1. p. q.28. art.3. ad 1.|Sonc.4.Metaph.q.22.|Ferrar.2.Cont.gent.c.9.

Cap.13.de ſyllogiſmo Hypothetico. Cap.14.de ſyllogiſmi diuiſionibus. Cap.14.de Inductione. Cap.16.de Enthymemate. Cap.17. de Exẽplo. Cap.18.de alijs formis argumentationis.

Quæſtiones libri ſexti de Demonſtratione.

ALia ratione in hoc libro quàm in alijs mihi progrediendũ video. Nam cùm ſit omniũ Dialecticæ librorũ princeps & caput,ita me gerere uolui,ut qui hoc Theſauro vtet̃, habeat tanquã cõmentaria in Ariſtotelis Poſteriora.Igit̃ primũ circa noſtras Inſtitutiones verſabimur, deinde alia nõ cõtẽnẽda adijciemus.

Cap.1.

Cap.1.de definitione demonſtrationis.

De Demonſtratione habens integrum opuſculum D.Thom.eſt q. 38.|Item in compendio Logicæ tractatum quendam,qui in demonſtrationis explicatione totus eſt poſitus.

Cap.2.quotuplex ſit demonſtratio.

An ab effectu ad cauſam,& è contrario argumentari poſsimus.Iauell.1.Phyſicorum q.4.

Hic poſſent quæſtiones ad ſcientiæ definitionem,diſtinctionem, vnitatemq; pertinentes recenſeri,ſed commodior erit locus poſt 4.cap.quæſtiones, additamento primo.

Cap.3.de principijs demonſtrationum.

1 Quod ſit primum principium complexum.Iauell.4.Metaph.q.9.

2 Quomodo intellectus prima principia cognoſcat.Sonc.4.Metaphyſi.q.33. Ferrar.4.Cont gent.c.11.|Iauell.2.Metaph.q.1.

3 An tota ſcientia virtute in principijs contineatur. Caiet.1.p.q.1.art.7.

3 Quæ propoſitio ſit per ſe nota.Caiet.1.p.q.2.art.1.|Ferrar.1. Con.gent.c. 11.|libr.4.cap.45.

5 An vt aliqua enunciatio ſit per ſe ſufficiat prædicatum eſſe de ratione ſubiecti.Capr.1.d.2.q.2.concl.j.

6 An omnis propoſitio per ſe nota,ſit per ſe nota nobis.Capr.1.d.2.q.2.conclu.2.| Caiet.1.p.q.2.art.1.

7. An genus prædicetur per ſe de differentia. Sonc.4.Meta.q.20.| Iauell.3. Metaph.q.2.

8. R.An Deum eſſe ſit per ſe notum menti humanæ.D.Thom.1.p.q.2.art.1. De Verit.q.10 art.12.

9 Quomodo ſe habeat ſecundum quod ipſum ad per ſe.Ferrar.2.Cont.gent. cap.15.

Hoc loco circa hanc orationem,Secundum quod ipſum,(quæ idem ſonat ac Quatenus tale)ſciendum eſt,aliquando accipi vt ſuperiorem ad per ſe, aliquando ut æqualem.Ariſtoteles 1.Poſteriorum cap.4.pro eodem accipit per ſe ; & quatenus tale, aut eo ipſo quod talis res eſt:at in communibus colloquijs & diſputationibus ſecundum quod ipſum, ac quatenus tale idem eſt, quod ratione ſuæ propriæ & peculiaris eſſentiæ,aut primò & per ſe. Quare iuxta primum ſenſum hæc enuntiatio, Homo quatenus homo eſt animal,vera eſt,ſed iuxta ſecundum eſt falſa.Nos autem in Inſtitutionibus ſemper ſumimus, Quatenus, aut Secundum quod ipſum in poſteriori ſenſu, quoniam eſt manifeſtior, habeturq; apud diuum Thomam 2.Cont.gent.cap.15.immo apud Ariſtotelem ipſum 1. Poſt.c.5.

Alias quæſtiones pertinẽtes ad enunciationes per ſe vide in Theſau.lib.4.c.13

10 Num quod accidit vniuerſaliter conueniat. Caiet.1.p.q.51.art.1.

11 Vtrum primũ cognitum ſit magis vniuerſale. D.Tho.1.p.q.85.ar.3.|Son. 7.Meta.q.11.|Caiet.in procem.opuſc.de Ente.q.1.|Soto.1.Phy.q.2.

12 An id de quo ſcientia haberi debet,actu eſſe oporteat.Iauel.9.Metap.q.19.

13 An eadem ſint prius & magis nota naturæ, & nobis.Iauell.1.Phyſi.q.3.

14 An ſolus Metaphyſicus conſideret Quodquid eſt ſubiectorum ſcientiarũ particularium.Iauell.6.Metaph.q.2.

15 An magis vniuerſalia ſint cognitu difficiliora.Iauell.1.Metaph.q.vltim.
16 R.Vtrum Deus ſit primum quod à mente noſtra cognoſcitur.D.Thom.in Boeth.de Trinit.q.1.art.2.& 3.
17 Num cognoſcens aliquid eſſe,cognoſcat Eſſe eius.Caiet.1.p.q.3.ar.4.ad 2.
18 Vtrum intellectus eodem actu intelligat concluſiones & principia. Sonc.6. Meta.q.10.|Ferrar.1.Cont.gent.c.57.
19 An intellectus plura ſimul cognoſcere poſsit.D.Tho.1.p.q.85.art.4.| quolibeto 7.q.1.art.2.|Ferrar.1.Cont.gent.c.55.
20 R.Vtrum Angeli ſimul multa cognoſcant.D.Thom.1.p.q.58.art.2.|de Verit.q.8.art.14.
21 Quid ſit effectum eſſe cauſæ adæquatum.Ferrar.1.Cont.gent.c.3.
22 Num cognitio medij reſpectu concluſionis habeat ſe vt medium motus. Caiet.1.p.q.79.art.9.
23 An medium & concluſio ad eandem pertineant potentiam.Caie.1.p.q.79. artic.9.
24 Vtrum quod quid eſt ſit idem cum eo cuius eſt.Capr.1.d.4.q.2.conc.3.|d. 8.q.1.conc.1.|Sonci.7.Metaph.q.20.
25 An primum cognitum ab intellectu ſit ſingulare. Sonci.7.Metaph q.12.
26 R.Nũ veritati fidei Chriſtianæ repugnet humanæ rationis veritas.D.Tho. 1.Cont.gent.c.7.

Cap.4.quorum ſit demonſtratio.*lib.1.c.2.

1 An fatum ſit ſcibile.D.Thom.opuſc.de Fato.c.4.
2 Vtrum omne quod rarò euenit, ſit contingens & fortuitum.Iauell.2.Phy. quæſt.21.
3 Num omne quod fit aut ſemper,aut frequenter,aut rarò fiat.Iauell.1.Phy. q.22.Reliquas huius capitis quæſtiones vide in additamento ſequenti.

Placet hoc loco duo inſerere,quibus intelligo valde iuuandum lectorem.Primum eſt Elenchus quæſtionnm ſcientiæ,alterum conciliatio ſectionum Caietani & Perionij.De ſcientia autem eas quæſtiones adducam,quæ ad eius definitionem, diuiſionem, vnitatem,ſubalternationem,& diſtinctionem, ac denique obiectum pertinent.

Additamentum de Scientia.

1 Vtrumſint tantum tres habitus intellectus,ſcilicet Sapientia,Scientia,& Intellectus.D.Thom.1.2.q.57.art.2.
2 An omnis ſcientia requirat euidentiam aliquorum principiorum. Capr.in prolog.q.1.concl.1.
3 Num ad habendam ſcientiam oporteat omnes rei cauſas cognoſcere.Iauel. 1.Phyſi.q.2.
4 R.Num Theologia ſit ſcientia.D.Tho.1.p.q.1.art.2.|Durand.in prol.Sét. q.2.Vide etiam Doctores Scholaſticos in prolog.Sentent.
5 An ſcientia ſit vna,& ſimplex qualitas.Capr.in prol.Sent.q.3.conc.1.|Sonc. 6.Metaphy.q.9.|Caiet.1.2.q.54.art.4.| Ferrar.1.Cont.gent.c.56.| Lege etiam Soto q.3.Procemiali Logicæ.

6 An vnitas ſpecifica ſcientiæ attendenda ſit penes vnitatem obiecti formalē. Capr.in prol.Sent.q.3.concl.3.|Fland 1.Poſter.q.46.art.2.
7 R. An Theologia ſit vna ſcientia.D.Tho.1.p.q.1.art 3.|Durand.in prolog. Sent.q 4.& Capr.in prol q.3.
8 An diſtinctio ſpecifica ſcientiarum ſumi debeat ex diſtinctione generica ſcibilium;quatenus ſcibilia ſunt.Capr.in prol.q.3.concl.2.|Vide Sonci.6.Metaph. quæſt.8.
9 Vtrum ex diuerſa ratione cognoſcendi ſequatur neceſsitas & diuerſitas ſciē tiarum.Caiet.1.p.q 1.ar.1.

Multas alias quæſtiones habes relatas in Theſauro c.2.lib.1.

10 Num certitudo ſecundum ſe & quo ad nos diſtinguāt habitus,an obiecta. Caiet.2.2.q.4 art.8.
11 An reliquæ ſcientiæ ſubalternentur Metaphyſicæ.Soncin.4.Metaphyſi.q.9. Iauell.1.Metaph.q.2.
12 R. Num Theologia ſit ſcientia ſubalternata. Durand.in Prol. Sent.q.7.& 8.
13 An ratio formalis obiecti,vt obiectum eſt,& illius vnitas, & ratio formalis illius,ut res quædam eſt,reciprocentur, ſicut ſubiectum & propria paſsio.Caiet. 1.p.q 1.art.3.
14 mn de Analogo ſcientia eſſe poſsit.Caiet.opuſc.de Nominū analogia.c.10.
15 An primum principium demonſtratione cognoſcatur,an potius cognitione ſenſitiua.Iauell.4.Metaph.q.vltima.
16 Num de ente per accidens poſsit eſſe ſcientia.Sonc.6.Metaphy.q.13.|Iauel. 6.Metaph.q.9.
17 R. An de his quæ de fidei ſubſunt ſcientia eſſe poſsit D.Tho.2.2.q.1.ar.5. In Boeth.de Trinit.q.2.ar.2.
18 R. Sitne prophetia de concluſionibus ſcibilibus. D.Tho.de Verit. q.12,ar. 2.Denique circa hunc de ſcientia tractatum multa & egregia quidem in Commentarijs prologi Sententiarum apud Scholaſticos inuenientur, & in 1.p.D. Tho.q.1.& primis cap.lib.1. Cont.gent.

Additamentum de Caietani, Perioniiq; ſectionibus.

Diligenter equidem varia in Ariſtotelis ad Poſteriori Analyſi libros commentaria legi,ſed cùm omnia expendiſſem, vix reperi,quę cum Caietani commentarijs comparari poſſent. Nā quamuis in Ariſtotele explicando primas ego & ſecundas,ac tertias diuo Thomæ concedā;tamen Caietanus multas,easq; grauiſsimas quęſtiones affert,quibus ignoratis mutus mihi Ariſtoteles ipſe videtur.Cæterum quiddam eſt, quod à Caietano Dialecticorū animos alienauit. Multò enim aliter capita diuidit,quàm pleriq; ſolēt. Quo fit,vt qui aut lecturus, aut diſputaturus decimum,aut vndecimum caput Poſteriorum Ariſtotelis intelligere cupit, Caietani Commentaria inutilia iudicet:nimirum in quibus 10.aut 11.caput nil eorum præſe ferunt, quibus ipſe indiget. Nam quod apud alios in 10.cap inuenitur,Caiet.in 13.ponit. Quare in eorum gratiam, qui huius Patris ſcriptis afficiuntur, eius ſectionem cum ea quam Perionius ſequitur,diuiſione conciliare decreui. Itaque in 1.2.& 3.cap.nulla eſt diſſenſio:ſed

4.Perionij eſt 4.& pars 5. Caiet.
5.Perionij,eſt reliquum 5.Caiet.
6.Perionij,eſt 6.& pars.7.Caiet.
7.Peri.eſt reliquum 7.Caie.& 8.9.& 10
8.Peri.eſt 11.& pars.12.Caieta.
9.Peri.eſt reliquum 12.Caiet.
10.Perion eſt 13.Caiet.
11.Perion.eſt 14.Caietani.
12.13.& 14.Peri.efficiunt 15.Caiet.
15.& 16.Peri.efficiunt 16.Caietan.
In 17.18.19.& 20.non eſt diſcrimen.
21.& 22.Perio.efficiunt 21.Caiet.
23.Perion.eſt 22.Caiet.
24.Perionij,eſt 23.Caietani.
25.Perionij, eſt 24.Caietani.
26.& 27.Perion.efficiunt 25.Caietani.

EX 2. LIBRO.

1.& 2.Perionij efficiunt 1.Caietani.
3.Perion eſt 2.Caietani.
4.Perion. eſt 3.Caietani.
5.Peri.eſt 4.Caietani.
6.& initium 7.Perionij, efficiunt.5. Caietani.
Reliquum 7.Perio.eſt 6.Caieta.
8.9.& 10.Perionij efficiunt 7.Caiet.
11.Perion.eſt 8.& pars 9.Caiet.
12.& 13.Perionij efficiunt aliam partem 9.Caiet.
14.& 15.Perionij,efficiunt 10.Caie.
16.Peri.eſt 11.& 12.Caietani.
17.& 18.perionij, efficiunt 13.Caietani.

Hanc diligentiam ſic vtilem ſcholaſticis futuram ſperamus, ac ſi in his pauciſſimis lineis integra in Ariſtotelis poſteriora vulgaſſemus Commentaria. Potiſſimum autem Valentinæ ſcholæ auditoribus, qui ſolum Perionium & Gruchiũ norunt,Caietanus reſtitutus videtur.Cæterum qui Argyropili ſectionem ſequi volueris,ſciat eum & Perionium ſemper conuenire;niſi quod in 1.lib.in principio 15.cap.aliquantulum differunt,& in 2.lib.in tribus vltimis capitibus.

Quæſtiones libri 7.de locis Dialecticis.

Cap.1.quid ſit Dialecticus ſyllogiſmus.

Vtrum ſcientia differat ab opinione.Fland.1.poſter.c.49.ar.1.Sed præterea conſule Caiet.& Soto in vlt.cap.1.Poſterior.

Cap.2.de libri vtilitate.

An primum principium demonſtrari poſsit.Iauell.4. Metaph.q.vlt.

Cap.3.Quid ſit locus, & quotuplex. Cap.4.de loco à definitione & ſimilibus.*.lib.1.c.8.

1 An quum aliquid alicui tribuitur,neceſſe ſit omnia, quæ ſunt de eius ratione,ei tribui.Caiet.1.p.q.28.art.3.

2 An ſola pluralitas formæ ſufficiat,ut nomen ſubſtantiuum poſsit pluriſicari. Ferrar.4.Cont.gent.c.12

Cap.5.de Loco à toto.*.lib.1.cap.9.in principio,& obiect.1.

Cap.6.de Loco à cauſa.*.lib.1.c.8.obiect.1.& 2.

1 Vtrum ſint tantum quatuor genera cauſarum.Soto 2.Phyſic.q.3.

2 Vtrum cauſa & effectus ſint ſimul.Soncin.5.Metaphy.q.7.

3 An ex cauſa neceſſaria effectus contingens ſequatur.Ferrar.1. Cõ.gẽt.c.67.

4 Vtrum vna ſcientia ſit dignior altera.Fland.1.Poſter.q.46.art.1.| Caieta.1. Poſter.c.22.| Soto 1.Poſter.cap.23.

Cap.7.de Locis ab Ortu & Interitu,Vſu,& Communiter accidentibus.

Vtrum ſi affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio debeat eſſe cauſa negationis.Flãd.1.Poſter.q.29.art.2.|Caie.1.Poſt.c.13.q.6.|Iauel.1.de Anima.q.10.

Cap.8.de Loco ab oppoſitis.*.lib.3.c.21.

Cap.9.de Loco à comparatis. Cap.10.de Loco àp roportione,&com mutata proportione. Cap. 11. de Loco à coniugatis. Cap. 12. de loco ab auctoritate.

Quæſtiones libri 8. de locis ſophiſticis.

Cap.1.de Inſtituto libri,& finibus ſophiſtarum.

Totum hoc negotium integro opuſculo de Fallacijs inſcripto complexus eſt D.Thom. Extant præterea quæſtiones Dominici à Flandria in illud.

Cap.2.quid ſit locus ſophiſticus,& quotuplex ſit. Cap. 3. de Fallacia Homonymiæ.* lib.3.c. 2.

Cap.4 de fallacia Amphibologiæ. Cap.5.de fallacia Compoſitionis,& diuiſionis. Cap. 6. de fallacia Accentus. Cap. 7. de fallacia figuræ dictionis

Cap.8. de fallacia Accidentis.

An quando in antecedente ponitur aliquid pertinens ad actum animæ, conſequens ſit exponendum ſecundùm eſſe,quod in ſe habet. Caietan. 1. par. q. 14. artic.13.ad 2.

Cap.9 de fallacia ab eo quod ex parte, ad id quod abſolutè dicitur.

Cap.10.de ignoratione Elenchi. Cap.11.de petitione principij.

1 An petatur principium in argumentatione, quæ aliquid de definito media definitione probat.Caiet. 1.Poſter.c.3.q.1.ad medium.

2 An quando una definitio per aliam probatur, ſit petitio principij. Caiet. 2. Poſter.c.3.q.3.

Cap.12.de fallacia conſequentis.

An ſi ex falſis uerum concludi non poſſet,eſſet bona argumentatio ex affirmatione cõſequentis ad affirmationẽ antecedentis.Caie. 1.Poſter.c.12.q vltima.

Cap.13 de Fallacia ex non cauſa,ac ſi eſſet cauſa. Cap.14.de pluribus interrogationibus,ac ſi eſſent una. Cap.15.de uocabulis artis. Cap. 16. de textibus. Cap.17.de Ariſtotelis ac Græcorum moribus.

Has reperi quæſtiones in prædictis autoribus,quæ ad Commentaria noſtra pertinerent:ſed præterea ex Alberto Magno & Fratre Heruço Natali,quondam totius Religionis præfecto,qui tempore Durandi acerrimus diui Thomę defenſor eſt habitus,multas quæſtiones digeſſeram : poſtea uerò ob eam cauſam deleui,quia vix eorum opera inueniuntur. Denique ex Metaphyſica Dominici Flãdrenſis infinitas ferè quæſtiones paraneram : quas tamen ſuperioribus ideo iungere nolui,ne in magnum volumen Theſaurus excreſceret. Cæterùm in eiſdem ferè locis in quibus Soncinas aut Iauell.citantur, poterit etiam Flandrenſis legi. Accipe itaque Lector hoc noſtrum opuſculum, nec tamen exiſtimes omnium autorum,qui in eo citantur,opiniones nobis probari:ſed ob eam ſolùm cauſam adducuntur,ut eos conſulas,ac de rebus iſtis pro tuo arbitrio ſentias. Valentię in ſolennitate ſanctiſsimi Roſarij, Dei genitricis Mariæ. 1572.

INDEX CAPITVM, QVAE IN HISCE COMMENTARIIS CONTINENTVR.

IN LIBRVM PRIMVM,

In quo Prima Dialecticæ Elementa proponuntur.

DE Dialecticæ inuentore. Cap. 1. pag. 1
Quid ſit Dialectica. cap. 2. 2
Dubia contra ſuperiora. ibid. 4
Qualis ſit Dialectica, an ſit neceſſaria, vel inutilis. cap. 3. 6
Obiectiones aduerſus ſuperiora. ibidem. 6
De fine Dialecticæ. cap. 4. 7
Dubia contra ſuperiora. ibid. 8
De officio Dialectici. Cap 5. 9
Quæſtiuncula aduerſus ſuperiora. ibidem.
De materia Dialecticæ. cap. 6. 10
Dubia aduerſus ſuperiora. ibid.
De Inſtrumentis. cap. 7. 11
Quæſita. ibidem 12
De Diffinitione. cap. 8. 14
Leges Diffinitionis. ibid. 15
De modo inueſtigandi Definitiones. ibid. 15
Quæſtiones. ibidem 16
De Diuiſione altero diſſerendi Inſtrumento. cap. 9. 21
Præcepta bonæ Diuiſionis. ibidem 21
Huius capitis difficultates. ibid.
De Argumentatione, tertio Dialecticorum Inſtrumento. cap. 10. 25
Quotuplex ſit argumentatio. ibidem. 26
Præcepta bonæ argumentationis. ibid. 27
De partibus Dialecticæ. cap. 11. 29
Quæſita. ibid. 30

IN LIBRVM SECVNDVM, in quo de quinque uocibus agitur.

DE ſubiecto Dialecticæ. cap. 1. 33
Obſeruatio. ibidem 34
De Dialecticæ diuiſione. cap. 2. 34
Dubia huius capitis. ibid. 35
De ordine librorum Dialecticæ. cap. 3
Obiectiones. ibid. 38
De ſubiecto, & neceſsitate libri quinq; Vocum. cap. 4. 39
Obiectio aduerſus ſuperiora. ibi. 40
De Genere, & ſpecie. cap. 5. 40
Argumenta aduerſus ſuperiora.
De Differentia. cap. 6. 41
Controuerſia circa diffinitionem Differentiæ. ibid. 42
De Proprio. cap. 7. 43
Quæſtiuncula aduerſus ſuperiora. ibid. 44
De Accidente. cap. 8. 44
Quæ in hoc capite dubia videntur. ibib. 45
De Indiuiduo. cap. 9. 48
Argumento in hoc caput 50
De numero vniuerſalium. cap. 10. 50
Quomodo Natura fiat Vniuerſa. cap. 11. 56
Huius capitis dubia. 57
De quibuſdam Axionibus. cap. 12. 58

IN

IN LIBRVM TERTIVM, in quo de Categorijs agitur.

DE ſubiecto, & vtilitate, ac diuiſione libri. cap.1. 60
Argumentum in hoc caput.
De Homonymis, ſeu Aequiuocis. cap. 2. 62
Quæ in hoc capite dubia videntur. 63
De Synonymis, aut Vniuocis. ca.3. 64
Obiectio in Synonymorum definitionem. 64
De Paronymis. cap.4. 65
Impugnantur ſuperiora. ibid. 65
Reſponſio pro Ariſtotele. cap.5. 67
De prima diuiſione. cap.6. 68
Huius capitis quæſtiones. 69
De ſecunda Diuiſione. cap.7. 70
Argumenta aduerſus ſuperiora. ibidem 71
De prima regula Anteprædicamentali. cap.8. 73
Quæ ex ſuperioribus dubia videri poſſunt. ibid.
De altera Regula Antepraedicamentali. cap.9. 75
Impugnantur ex dictis nonnulla. ibidem 76
Quæ ſint ea quæ in Categorijs ponuntur: & quot modis id accidat, de numeroque ipſarum Categoriarum. cap.10. 77
Quæſtio. ibidem 78
De ſubſtantia. cap.11. 80
In ſuperiora obiectiones. ibid. 81
De affectionibus ſubſtantiæ. cap.12. 85
Dubitationes. ibidem
De Quantitate. cap.13. 87
Quæſtiones. ibidem 89
De affectionibus Quantitatis. cap.14. 92
Dubitationes. ibidem.
De Qualitate. cap.15. 93
Quæſtiones. ibidem. 95
De proprietatibus Qualitatis. cap.16. 99
In ea quæ dicta ſunt Obiectiones. ibidem. 102
De Relatis. cap.17. 102
Huius capitis difficultates. 104
De affectionibus Relatorum. cap.18. 105
Dubia huius capitis. 106
Obſeruatio. ibidem 106
De Oppoſitis. cap.21. 107
Obiectiones. ibidem 112
De modis Prioris & Poſterioris. cap. 22. 114
Dubia huius capitis. 114
De modis Simul. cap.23. 115
Dubia huius capitis. 116
De ſpeciebus Motus. cap.24. 117
Quæſtiuncula. ibidem 117
De modis habendi. cap. 25. 117
Quæſitum. ibidem 118

IN LIBRVM QVARTVM, qui eſt de Enunciatione.

DE Inſtituto, ac Libri diuiſione. cap.1. 119
De Nomine. cap.2. ibidem
Obſeruatio. ibidem 121
Dubia huius capitis in cap.3. exponentur. 121
De Verbo. cap.3. 121
In hoc & præcedens caput quæſtiones. ibid. 122
De oratione. cap.4. 126
Argumentum in ſuperiora. ibidem. 126
De Enunciatione, & eius Diuiſionibus. cap.5. 126
Obiectiones in ſuperiora. ibid. 126.
De Oppoſitione Enunciationum. cap. 6. 132
In ea quæ diximus argumenta. ibidem 136
De Enunciationum Aequipollētia, aut Iſodynamia. cap.7. 141

Obie-

Obiectiones.ibidem 143
De reciprocatione, vel conuerſione Enuntiationum.cap.8. 144
Quæſtiones.ibidem 145
Quid ſit modificata, ſeu Modalis Enunciatio.cap 9. 147
De modis conſtituentibus Enũciationes Modificatas. cap.10. 148
De Iſodynamia, vel Aequipollentia harum Enunciationum.cap.11. 149
Exemplum commune, & tabulam. ibidem 150
Exemplar, & cōtrouerſia.ibid. 151
De Modificatarum Enunciationum Oppoſitione.cap.12. 153
Tabula Neceſſarij.ibidem 155
Tabula Impoſsibilis. ibidem 155
Quæſtiones. ibidem 157
De reciprocatione Modificatarum Enunciationum.cap.13. 160
Difficultates.ibidem 161
De Enunciationibus Modi contingentis, ſecundo contingens pro eo qđ poteſt eſſe, & non eſſe.cap.14. 163
In ſuperiora obiectiones. 164
De veritate Modificatarum Enunciationum cognoſcenda.cap.15. 165
De Enunciationibus Hypothetici.ca. 16. ibidem
Dubia, & argumenta in ſuperiora. 166

IN LIBRVM QVINTVM, in quo de Argumentatione, & eius formis differitur.

DE Materia, & ordine libri. cap. 1. 170
Argumentum.ibidem 170
De maioribus partibus ſyllogiſmi.cap. 2. 171
Huius capitis Quæſtiones. ibid.
De partibus minutioribus Syllogiſmi. cap. 3. 172
Quæſtiuncula.ibidem 173
De ſyllogiſmi diuiſione. cap.4. 173
Obiectiuncula. ibid.
De tribus figuris. cap. 5. 174
Obſeruatio.ibidem 174
De prima figura.cap.6. 175
Modi directi & indirecti.ibid. 175
Argumenta in ſuperiora.ibid. 176
De ſecunda figura.cap.7. 177
Quæſtione, & exempla. ibid. 177
De tertia figura.cap.8. 178
Modi directi, & indirecti.ibid. 178
Quæſtiuncula.ibid. 179
Dubitationes circa omnes figuras. ibidem. 179
De oſtenſiua reuocatione ĩperfectarũ ratiocinationũ ad perfectas.c.9. 184
Difficultates ex ſuperib.ortę.ibi. 186
De reductione ad incommodum, ſeu ad impoſsibile.cap.10. 188
Dubitatio.ibidem 191
De rõne inueſtigãdi Mediũ.c.11. 192
Obiectiones huius capitis.ibid. 194
De ſyllogiſmo expoſitorio.c.12. 195
Dubitationes.ibidem 196
De ſyllogiſmo Hypothetico. 197
Quid ſit, & quotuplex ſyllogiſmus Hypotheticus.cap.13. 197
Huius capitis Quæſtiũcula.ibi. 198
De ſyllogiſmi Diuiſionibus.c.14. 198
De inductione. cap.15. 198
Difficultates.ibidem 199
De Enthymemate.ca.16. 200
Quæſtiones.ibidem 201
De exemplo.cap.17. 202
Dubitatio huius capitis. 203
De alijs formis argumentationis.cap. 18. 203
Quæſitum.ibidem 204

IN LIBRVM SEXTVM IN quo Demonſtratorij ſyllogiſmi vis, ac natura exponitur.

QVID ſit Demõſtratio.c.1. 205
Argumenta in ſuperiora. 206
Quoplex ſit Demonſtrattio.cap. 2. 207
Quæſtiones.ibidem 208
De principijs Demonſtrationis, ac primo in communi. cap.4. 209

De principijs cuiuſque Demonſtrationis in particulari.cap.4. 211
Huius capitis difficultates. 212
Quorum ſit Demõſtratio.c.4. 213
Argumenta in ſuperiora. ibid.

IN LIBRVM SEPTIMVM, in quo de ſyllogiſmo Probabili diſputatur.

QVID ſit Dialecticus ſyllogiſmus.cap.1. 216
Quæſtio.ibidem 217
De vtilitate libri. cap. 2. 219
Dubia huius capitis. 220
Quid ſit locus,& quotuplex ſit.c.3. 221
Quæſtiones.ibid. 222
De locis à Definitione, Deſcriptione, Etymologia, Differentia, Proprietate, & Plionymis. cap.4. 223
Difficultates.ibid. 224
De loco à toto vniuerſo & integro. cap.5. 225
Huius capitis quæſtiones. 227
De loco à cauſa.cap.4. 228
Obſeruatio.ibidem 231
De loco ab Ortu, & Interitu, ab Vſu, atq; ab his, quæ communiter accidunt.cap.7. 231
Dubia huius capitis.ibidem.
De locis externis: & primum de Oppoſitis.cap.8. 232
Argumenta in ſuperiora.ibid. 233
De loco à Comparatis.cap.7. 236
Obiectiones. ibidem 237
De loco à Proportione vel à commutata proportione.cap.10. 239
Obſeruatio.ibidem 239
De loco à Paronymis, vel Cõiugatis. cap.11. 239
Dubitatiuncula.ibid. 239
De loco ab auctoritate.c.12. 240
Dubitatio.ibidem. 240

IN LIBRVM OCTAVVM, in quo ſophiſtarum loca,fonteſq; obruuntur.

DE Inſtituto libri, & ſophiſtarũ finibus.cap.1. 242
Dubium huius capitis. 244
Quid ſit locus ſophiſticus, ac quotuples ſit.cap.2. 244
Dubitatiuncula.ibidem 245
De fallacia Homonymæ.cap.3. 246
Difficultas, quæ circa ſuperiora ſe offert.cap.4. 247
De fallacia Amphybologiæ.c.4. 248
Dubitatio.ibidem 248
De cõpoſitionis,& Diuiſionis captione.cap.5. 248
Dubia huius capitis. 249
De fallacia Accentus.cap.6. 250
Quæſtiunculę.ibidem 250
De fallacia figure dictionis.c.7.ibidẽ.
Quæſtio circa præcedẽtia.ibidẽ. 251
De captionibus extra dictionem, primũq; de Accidẽtis fallacia.c.8. 252
Difficultates.ibidem 253
De captione à dicto ex parte, ad id quod abſolutè dicitur.cap.9. 254
Dubitationes.ibidem 255
De ignorantia Elenchi.cap.10. 256
Dubia huius capitis lib.4. cap.6. tractata reperies ibidem
De Principijs petitione.cap.11. 256
Argumẽta in ſuperiora. ibidẽ. 257
De captione Conſequentis.c.12. 258
Dubia huius capitis.ibidem.
De fallacia ſecundum non cauſam vt cauſam.cap.13. 259
De fallacia ex pluribus interrogationibus ac ſi eſſent una tantũ. c.14.ibid.
Dubia circa ſuperiora ibidem 259

ADDITAMENTA CIRCA omnes ſuperiores libros.

DE Vocabulis Artis.c.15. 261
De Textibus, & capitibus.cap. 16. 265
De Ariſtotelis, Græcorumq; moribus.cap.17. 266

FINIS.

INDEX
RERVM NOTABILIVM
QVAE IN HIS DE DIALECTICA
Commentarijs continentur, primum numerum denotat paginam, ſecundum, verſus.

A

ABSTRACTIO, ſiue intellectus agẽs, quid ſit apud philoſophos 32. 46
Abſtractio intellectus agẽtis perficitur per abſtractionem intellectus patibilis. 35. vltimo.
Accidens ſemper inhęret ſubiecto.44.22
Accidens ſumitur duobus modis 44. 31
Accidens quod eſt ens rei multa continet ſub ſe.44. 34
Accidens quantum prædicabile continet ſub ſe omnia entia rationis. 45. 8
Accidens Nominaliter, & Participaliter quid ſit. 45. 16
Accidens conſequitur naturam indiuidui. 47. 40
Accidens in abſtracto, & concreto. 66. 1
Accidentaria propoſitio quando eſt directa. 35. 15
Accidentia propria habent ſuam quidditatem, & Definitionem eſſentialem. 18. 3
Accidentis definitio. 44. 12
Accidentis eſſe, eſt ineſſe.46. 22
Accidentis definitio comprehendit ordinem ad ſubiectum.46. 27
Accidentis eſt exiſtere in ſubiecto. 70. 32
Accidentium cognitio quomodo poteſt eſſe prior cognitione ſubſtantiæ. 82. 31.
Actionis definitio. 107. 8
Actio, & Paſſio non re, ſed definitione diſtinguuntur.107. 23
Accidentium duo genera.258. 4
Actionis ſex ſunt ſpecies, quæ etiam uocantur ſpecies motus. 107. 10
Actionis affectiones ſiue proprietates. 107. 12
Actionum quædam ſunt immanẽtes, quędam ſunt tranſeuntes. 107. 2
Actus debet aduenire potentiæ, non e cõtra. 19. 11
Actus eſt notior potentia. 19. 36
Adæ temporibus Dialect. initium habuit. 2. 29
Aequale, & inæquale propriè, & impropriè accipitur. 92. vlt.
Aequipollentia quid ſit. 141. 11
Aequipollentiæ vtilitas. 145. 10. & deinceps.
Aequiuoca quæ ſint. 62. 7
Aequiuoca quomodo definiantur. 62. 16
Aequiuoca duplicia 62. 28
Aequiuocum duplex. 62. 8
Aequiuocum à caſu, & à conſilio. 62. 36
Affectio propria à natura manat. 13. 28
Aliquid eſt in aliquo octo modis 72. 3
Aliquid eſſe, bifariam poteſt intelligi. 210. 25
Amphibologiæ fallacia quid ſit. 248. 4
Analogia probabilem coniecturam præſtat. 54. 6
Analogorum priora ad poſteria ordinẽ habent. 79. 31
An res ſit; quæſtio; frequentiſſimè ſenſu, & experientia explicatur. 12. 9
Antecedens & conſequens in propoſitione quid ſit. 192. 17
Antecedentia, & conſequentia uocabula quo pacto accipienda ſunt. 239. 27
A parte ad totũ perfectius progreditur, quàm econtra. 38. 18
Apologus quid ſit. 203. 21
Argumentationis tractatio, quare præcedat diſputationem Definitionis. 12. 27
Argumentatio conſurgit ex enunciationibus. 25. 27

Argumentatio quid ſit.2 5. 39
Argumentatio duplex.26. 10
Argumentatio efficax quando erit. 26. 31
Argumẽtatio bona diuiditur in quatuor ſpecies.26. 33
Argumentum, & argumentatio in quo differunt.27. 41
Argumentatio bona quæ pręcepta ſeruare debet. 27. 9
Argumentatio bona & materia, & bona ex forma differunt, & quomodo. 28. 23
Argumentum quid ſit.221. 39
Argumentatio habet præcipuè quatuor ſpecies ſeu formas.170. 15
Ariſtoteles maximè auxit Logicam, ad perfectionem redegit, & errores plurimos expulit. 2. 26
Ariſtotelis de æternitate mundi, & defenſio.83.14.& deinceps.
ab Ariſtotile non ſunt omnia poſtulanda.172. 4
Artes diuiduntur in liberales,& Mecchanicas. 5. 22

B

Bonum ex integra cauſa conſurgit. 64. 19
Bonum contigit uno modo, malum nero omnifariam.64. 20

C

Captiones ex vocibus, quinque ſunt v. Homonymia ſiue Aequiuocatio, Amphibologia, Compoſitio & Diuiſio,Accentus,& Figura dictionis.246. 21
Captio à dicto à parte, ad abſolutum: 254. 39.& deinceps.
in Categorijs quicquid ponitur,ſynonymum eſſe oportet.68. 2
Categoriæ quæ compoſita excludunt. 68. 36
in Categorijs quæ collocanda.69. 25
à Categorijs quæ excluduntur.77. 27
in Categorijs quæ ponuntur.77. 38
in Categorijs alia directè,alia reductiuè collocantur. 78. 5
Categorię ſiue prima principia decem ab Ariſtotele numerantur. 78. 34
Categoria oratio quæ ſit. 127. 8
Categoricæ quæ parum ab Hypotheticis differunt.167. 22
Cauſa quid ſit, & quotuplex. 14. 27
Cauſarum genera ſunt quatuor Materia, Forma,Efficiens,& Finis. 113. 42
Character de ſacramentalis ad ſecundã ſpeciem qualitatis reducitur. 94. 21
Chriſtus poteſt poni in Categoria.78. 2
Cognitio noſtra alia ſenſus, alia intellectus.82. 35
Cognitio alia confuſa, alia diſtinta. 82 38
Communia principia demonſtrationis traduntur.109. 29.& deinceps.
Compoſitionis via tribus modis ſolet argumentari. 37. 36
Compoſitum tribus modis. 68. 33
Concluſio an ſit pars ſyllogiſmi. 171.29. & deinceps.
Concluſio debet eſſe alia à præmiſſis. 173. 8
Conditionata enunciatio duobus partibus conſtat.165. 30
Conſectaria in æquipollentijs.142.37.& deinceps.
Conſideratio ſecunda uocatur Notio,intentio,vel Notitia.33. 14
Conſideratio prima & ſecunda. 32. 18
Conſequens ſequitur aliquid, quod non ſequitur antecedens.29. 30
Contradicentia definiuntur.110. 33
Conſequentiæ quædam, quarum una infertur ex alia.27. 9.& deinceps.
Contradictionis definitio.139. 18
Contradictio quid ſit.256. 9
in Contrarietate maxima, quatuor requiruntur.99. 4
Contrarietas triplex. 99
Contrarium nihil eſt intellectui, uoluntati, aut ſenſui. 100. 32
Contraria primo modo recipere,eſt commune omnibus Categorijs.101. 4
Contraria maximè inuicem ſe expellunt. 102. 32
Contraria quæ dicantur.109. 37
Contraria alia mediata alia immediata. 109. 39
Contraria media duplicia.100. 5

de Conuerſione Enunciationum.144. 1. & deinceps.
Conuerſio ſiue reciprocatio definitur. 144. 3
Conuerſionis genus duplex.144. 6. vide infra 33
de Conuerſione ſimplici,per accidens,& per contrapoſitiones in modalibus, quarum figuræ ponuntur. 162
Corpus qua ratione eſt ſub prædicamento ſubſtantiæ, & ſub prædicamento quantitatis.90. 30
Corporeæ res ſicut habent eſſentiam, & quantitatem, ita habent duplicem numerum.91. 38

D

Eductio (ſpecies argumentationis) quid ſit.204. 14
Definitio eſt neceſſaria ad intelligẽdam naturam Diuiſionis.14. 12
Definitio quid ſit.14. 13
Definitio eſt duplex rei, & nominis. 14. 14
Definitio rei triplex.14. 19
Definitionis leges.15. 16
Definitio debet dari per notiora.15. 30
Definitio poteſt ſumi à quatuor generibus cauſarum.14. 32
Definitio ab effectis, reducitur ad Definitionem ex cauſis.14. 37
Definitionis Methodus quomodo inueſtigandus.15. 34
Definitio cauſalis,traditur, aut per cauſas internas, aut externas.16. 15
Definitio per materiam quãdo erit eſſentialis.17. 38
Definitio conſtat genere, & differentia ordine quodam ſeruato.18. 2
Definitio poteſt poni loco nominis. 18 20
Definitionem debere dari per notiora, quomodo intelligendum eſt. 19. per totum.
Definitio quomodo tractatur a Topicis. 36. 27
Definitionis methodus in quo contineatur.38. 32
Definitio quid ſit.55. 29
Definire ſpeciem eſt facilius, quàm definire genus. 215. 23
Definitio, & Definitum poſſunt duobus modis conſiderare.257. 35
Demonſtrandi ars,quare nõ dicitur Dialectica.30. 34
Demõſtratio eſt nobilior omnibus ſyllogiſmis.37. 31
Demonſtratio quid ſit.206. 5.& 17
Demonſtratio duplex.207. 30
Demonſtratio quia, & propter quid declaratur.207. 31
Demonſtratio diuiditur adhuc in directam ſeu oſtenſiuam,& eam quæ vrget incommodo.208. 37
Demonſtrationis medium eſt aut cauſa, aut effectus.209. 39
Demonſtrationis quia, principia.211. 12
Demonſtrationis principia alia ſimplicia,alia compoſita.209. 31
Demonſtratorius ſyllogiſmus quid ſit. 205. 31
Demonſtratorius ſyllogiſmus nobilior cæteris.206. 1
Demonſtrationis propter quid principia 211. 14
Demonſtrationes aliæ agentes ſunt aliæ negantes.208. 29
Denominatiua tria requirunt.65. 19
Denominatiuorum definitio. 65. 21
Denominatiua dant nomen; non eſſentiam,& naturam.66. 39
Deſcriptio non debet habere omnia accidentia.14. 42
Deſcriptio declarat accidentia.17. 41
Deus quare non ingreditur Categoriam. 77. 40
Dialecticam quis inuenerit uariæ ſunt opiniones.1. 18
Dialectica plurimas habet partes. 1. 32
Dialecticæ à Logica differt.3. 44
Dialectica duplex.6. 9
Dialectica naturalis eſt maximè neceſſaria.6. 16
Dialectica Naturalis eſt neceſſaria ſimpliciter ad Dialect. Artificialem. 6. 33
Dialectica, Ars artium dici poteſt. 8.1
Dialectica utrum ſit ſcientia.5.12.& deinceps.

Dialectica vtentis officium. 9. 33
Dialectica vtentis ſubiectum eſt omnis res. 10. 32
Dialecticam non agere de ſolis uocibus, uide. 31. 29
Dialectica in tres partes diuiditur. 34. 34
Dialectica quare inuenta. 34. 38
Dialecticæ genus eſt ſcientia. 2. 37
Dialecticæ diffinitio. 3. 32
Dialecticæ finis quando dici poteſt, probabiliter differere. 8. 19
Dialecticæ finis eſt cognitio omnium rerum per argumenta neceſſaria, & probabilia. 8. 32
Dialecticæ ſubiectum Materiale. 10. 29
Dialecticæ inſtrumentum tam docentis, quàm utentis, quod ſit. 11. 31. & infra.
Dialecticæ partes ſunt Inuentio, & Iudicium. 29. 40
Dialecticæ ſubiectum, illiusque diuiſio. 31. 11
Dialecticę intereſt explicare methodum enunciationis in omnibus ſcientijs. 46. 12
Dialecticæ leges interdum temperantur. 166. 6
Dialecticæ obiectum eſt ens rationis. 10. 19.
Dialecticæ ſubiectum ſunt ſecundæ intentiones. 33. 22
Dialecticam, ſcientiam nominari poſſe, habetur. 214. 3
Dialecticam docentis officium. 9. 31
Dialecticarum propoſitionum utilitas. 219. 24. & deinceps.
Dialectici materia quæ ſit. 10. 2
Dialectici præcipuum munus eſt argumentari in omni materia. 29. 40
Dialecticus ſyllogiſmus quid ſit. 205. 34
Dialecticus ſyllogiſmus quid ſit. 216. 14.
Dialecticus ſyllogiſmus qua ratione differat à Demonſtratiuo. 217. 22
Dialecticus ſyllogiſmus opinionem generat. 218. 16
Dialecticus, & Demonſtratorius ſyllogiſmus poteſt bifariam conſiderari. 218. 17
Dici de omni quid ſit. 173. 40
Dici de nullo quid ſit. 174. 4
Dicuntur de ſubiecto genera, & ſpecies. 71. 6
Differentia ſumitur à forma. 16. 34
Differentia quare collocatur ante proprium, & accidens. 41. 41
Differentia triplex. 41. 41
Differentię diuiſio. 42. 11
Differentia maximè propria conſtituit prædicabile. 42. 5
Differentiæ definitio. 42. 7
Differentiæ accidentales, & eſſentiales. 75. 10
Differentia adæquata quæ ſit. 76. 6
in Differentijs eſſentialibus uarij gradus inueniuntur. 77. 18
Differentiæ eſſentiales quomodo ponuntur in Categorijs. 78. 13
Differentiæ accidentariæ nō conſtituunt diſcrimen ſpecierum. 95. 39
Dignitas duplex in rebus. 116. 41
Dilemma ſpecies argumentationis, quid ſit. 203. 40
Dimenſiones tres tantum poſſunt eſſe 88. 35
Directa concluſio quid ſit. 175. 6
Diſcurſus eſt tertia mentis operatio. 170. 7
Diſcrimen inter Relata, & contraria. 113 43
Diſcrimen inter nomina adiectiua, & ſubſtantiua. 224. 34
Diſcrimen inter genus, differentiam, ac definitionem. 54. 29
Diſcrimen inter genus, & ſpeciem. 54. 42
Diſpoſitio uariè ſumpta. 97. 4
in Diſputationem illa quæ ueniunt tripliciter uariantur. 252. 19
Diuiſio quid ſit, & quotuplex. 21. 10
Diuiſio per ſe, & per accidens. 21. 34
Diuiſio totius uniuerſi duplex. 21. 34
Diuiſio alia nominis, alia rei. 21. 19
Diuiſionis bonæ præcepta. 22
Diuiſio cuinam operationi mentis deſeruit. 37. 14
Diuiſio multoties ab Ariſtotile tractata eſt. 37. 20
Diuiſiones neceſſariæ. 72. 41. & deinceps.
Diuiſiones ſyllogiſmorum. 198. 21. & deinceps.
Diuiſionis uia tribus modis poteſt argumentari. 37. 41

Diui-

Diuiſum totum debet intelligi in membris diuidentibus.37. 24
Docendi cauſa licet aliquid fingere.183. 14.

E

Efficiens cauſa triplex eſt.230. 6
Erubigo eſt particularis ſpecies animalis. 98. 27
Ens rationis quatuor modis fit.73. 35
Ens rationis quomodo conueniat cum ſecundis intentionibus.33. 34
Ens eſt obiectum Metaphyſicæ. 62. 34
Ens aliud rei,aliud rationis. 77. 29
Ens rei aliud per ſe, aliud per accidens. 77 31
Ens quomodo dicat de Categorijs. 78.37
Ens rationis quo pacto ad Categoriam reducitur.80. 10
Ens aliud perfectum,aliud imperfectum. 259. 35
Ens aliud oppoſitum,aliud ſecus.259. 37
Ens,aliud per ſe,aliud per accidens. 259 34
Ens aliud idem,aliud diuerſum. 259. 38
Ens aliud prius,aliud poſterius.260. 1
Ens aliud effectus, aliud cauſa. 60. 3
Ens aliud vnum,aliud multa. 260. 5
Entia aut compoſita,aut ſimplicia.68. 31
Entia rationis non ponuntur in Categorijs.105. 18
Enthymema quid ſit. 27. 1
Entimema quid ſit.200. 29
Entimema quo pacto ad ſyllogiſmum reducatur.200. 30
Entimema triplex eſt.200. 32
Entimematis bonitas quo pacto cognoſci poſsit vide 201. 21.& deinceps
In Enumeratione non decet prætterire aliquid.115. 15
Enumeratio (ſpecies argumentationis) quid ſit.204. 5
Enunciatio ut ſit directa quibus regulis cognoſci poteſt.53. 3.& deinceps.
Enunciatio eſt interpres mentis noſtræ. 119. 11
Enunciatio ſubiectum eſt quarti libri. 119. 18
Enunciatio ſimplex fit duobus modis. 127. 17
Enunciatio alia eſt de ſecũdo adiacente, alia de tertio adiacente.127 18
Enunciatio alia vera,alia falſa.127. 28
Enunciatio alia eſt affirmatiua, alia negatiua.127. 32
Enunciatio aut eſt vniuerſalis, aut particularis,aut indefinita, aut ſingularis. 128. 3
Enuntiatio excludens quæ ſit.131. 5
Enunciatio omnis condicionata vera, eſt neceſſaria.165 40
Enunciatio præteriti temporis,reducenda eſt ad præſens, ut poſsit conuerti, & quædam alia deſeruientia conuerſioni,vide. 145 37.& deinceps.
Enunciatio duobus modis dicitur vera, & neceſſaria.210. 6
Enunciatio pertinet ad ſecundam operationem intellectus.169. 1
Enunciatio tribus partibus conſtat.25.28
Enunciationes duobus modis poſſunt affici, ſigno,omnis.137. 17
Enunciationes æternæ veritatis quæ ſint. 161. 17
Enunciationes modi contingentis. 163. 29.& deinceps.
Enunciationis per ſe, triplex eſt genus. 211. 26
Enunciationis definitio.126. 37
Enunciationum oppoſitarum tria ſunt genera.132. 29
Enunciationum ſingularium notandum. 138. 13
Eſſe in ſubiecto,& prędicari de ſubiecto; diuiditur.70. 23
Eſſentia diſtinguitur à perfectione. 209.4
Eſt, verbum aliquando dicit eſſentiam, aliquando vero dicit exiſtentia.162.8.
Ethica triplex.3. 11
Exempla non poſſunt eſſe ſimilia. 54. 5
Exempla qua de cauſa proferuntur. 203. 26
Exemplorum formæ ſunt tres ex Ariſtotele.203. 13
Exemplum quid ſit.27. 3
Exemplum quid ſit.202. 29
in Exemplis oportet ut ſimilitudo ſit uera cauſa effectus.202. 35
Exemplum qua via reduci poſsit ad ſyllogiſmum.202. 42.& deinceps.
Ad exemplum reducuntur argumenta à

ta à pari.203. 27
Exploratorius ſyllogiſmus ſiue qui ad examinandum alium adhibetur, quid ſit.206. 38
Expoſitio quid ſit.13. 14
Expoſitorij ſyllogiſmi diuiſio. 195. 26
Expoſitorius ſyllogiſmus quid ſit. 195. 17
Externè menſurantur locus, & tempus. 228. 6
Externè res quomodo intelligantur. 47. 26

F

Facilè, & difficilè à ſubiecto ſeparari poſſe bifariam accidit.96. 14
Figura prima ſyllogiſtica quare ſit preſtā tior alijs.179. 22
Figura quarta ſyllogiſtica an detur.179. 34
Figura quarta ſyllogiſtica quibus legib. coartetur.180. 9
Falſum ſophiſticum quid ſit. 242. 28
Fallacia compoſitionis & diuiſionis ſit tribus modis.248. 31
Fallacia figuræ dictionis tribus modis committitur.250. 32
Fallacia Accentus quid ſit. 250. 2
Fallacia figuræ dictionis; quare ſic uocetur.252. 2
Fallacia extra dictionem ſeptem ſpecies habet. 252. 12
Fallacia extra dictionem quare ſic uocetur.252. 12
Fallacia Accidentis quid ſit. 252. 29
Fallacia conſequentis duobus modis poteſt committi.258 17
Fallacia non ſecundum ueram cauſam. 259. 13
Fallacia ex multipli interrogatione.259 24
Figura ſyllogiſtica quid ſit. 174. 19
in Figuris ſyllogiſmorum quinq; ſunt obſeruanda.174. 22
Figuræ oppoſitarum contradictionum 158.per totum.
Prima figura quibus legibus coartetur. 175.
Tertia figura quibus regulis coartetur. 178. 10
Finis ſcientiæ quis dicatur.7. 23
Finis duplex proximus, & Remotus. 7. 25
Finis Remotus Dialect. docentis quis ſit 7. 11
Finis proximus Dialect.docentis quis ſit. 7. 30
Finis quando dicatur proximus vel remotus.9. 8
Finis quando dicatur internus uel externus.9. 11
Finis conſiderandus eſt in artium inſtrumentis.206. 13
Forenſis inductio idem eſt quid Topica. 200. 5
Forma ſe habet ut actus.17. 9
Forma,& figura, quarta ſpecies qualitatis declaratur.94. 32

G

Gemina conſideratio mentis noſtrę 33. 3
Genera ſuprema non conſtituuntur differentijs,ſed modis internis. 76. 20
Genera, & ſpecies qua ratione ſubſtant. 84. 34
Generationem bifariam accipi. 117. 29
Genus quid ſit.40. 15
Generis diuiſio.40. 42
Genus quare prçcedat alia prædicabilia. 40. 1
Genus debet eſſe vniuocum, vel ſynonymum.41. 13
Genus,& ſpecies,in quo conueniunt. 51. 28
Genus ſe habet in definitione loco materiæ & ſpecies loco formæ. 53. 36
Gradatio,ſiue ſorites quæ eſt ſpecies argumentationis; quid ſit. 203. 31

H

Habendi modi ſunt octo. 117. 35
Habitus & diſpoſitio,prima ſpecies qualitatis declaratur. 93. 32
Habitus prædicamentalis duplex. 112. 27

Habi-

Habitus prędicamenti proprietates. 108. 22
Habitus prædicamenti definitio. 108. 21
in Hominum arbitrio potius conſideranda eſt poteſtas quàm actus. 237. 36
Hypothetica affirmatiua vel negatiua quę ſit. 165. 22
Hypothetica comparationis. 168. 20
Hypotheſis idem eſt quod ſuppoſitio. 167. 1
Hypothetica diſiuncta quæ ſit. 165. 20
Hypothetici ſyllogiſmi diuiſio. 197. 7
Hypothetica coniuncta quæ ſit. 165. 19
Hypothetica temporis. 168. 18
Hypothetica loci. 168. 19
Hypothetica rationalis. 168. 16
Hypothetica cauſalis. 168. 15
Hypothetica oratio quæ ſit. 127. 10
Hypothetica conditionata quæ ſit. 165. 18
Hypotheticus conditionatus bifariam concipitur. 197. 8
Hypotheticarum conſectaria. 166. 13. & deinceps.
Hypotheticarum veritatem uel falſitatem cognoſcere quomodo poſſit. 165. 28
Hypotheticus ſyllogiſmus quid ſit. 197. 5
Hypotheticæ enuntiationis diuiſio. 165. 18
Hypotheticæ enuntiationes quæ ſint. 165. 15

I

IDEM dicitur tribus modis. 40. 36
Identicæ prædicationes quæ ſint. 50. 38
Identitas enuntiationis quid ſit. 172. 16
Ignorantia Elenci quid ſit. 256. 4
Imaginatio retinet phantaſmata. 32. 24
Impoſsibile Phiſicum, & Logicum. 113. 31
ad Incōmodum reducere quomodo poſſit fieri. 189. per totum.
Indiuiduum quid ſit, & quotuplex. 48. 32
Indiuiduum vagum quomodo prædicetur. 49. 12
Indiuiduum determinatum duo cōtinet. 49. 28
Indiuiduum poteſt conſiderari duobus modis. 50. 26
Indirecta concluſio quid ſit. 175. 7
Inductio duplex. 199. 32
Inductio quibus deſeruiat. 198. 35
Inductio quid ſit. 198. 36
Inductio quomodo ad ſyllogiſmum reducatur. 199. 7
Inductio quid ſit. 26. 41
Inferiora omnia ortui, & interitui ſunt obnoxia. 63. 15
Inopinabile ſophiſticum quid ſit. 242. 33
In qualibet ſpecie duo ſunt conſidaranda. 41. 21
In quolibet genere datur una contrarietas. 109. 27
In re vniuerſali ſunt natura, & notio. 58. 32
Inſtrumenta Logicæ quæ ſint. 7. 40
Inſtrumentum, ſeu organum non tam ratione ſui, quàm alterius quæritur. 8. 4
Intellectiles ſpecies qua ratione vocentur habitus. 98. 43
Intellectus agens facit uniuerſale. 58. 9
Intellectus intelligens rem aliter quā eſt fallitur, quod quidem habet duplicem ſenſum. 47. 19
Intellectus eſt vniuerſalium. 58. 30
Intellectus humanus eſt quædam vis, & facultas animæ. 32. 19
Intellectus practici quæ ſint operationes. 35. 34
Intellectus patiens diuiditur in ſpeculatiuum, & practicum. 35. 28
Intellectus quomodo procedat in cognitione. 82. 49
Intellectus eſt vniuerſalium. 56. 41
Intellectus agens, & patiens, & eorū munera. 35. 25
Intentio diuerſimode accipitur apud philoſophos, & apud Dialecticos. 32. 10
Intentio prima, & ſecūda quæ ſint. 32. 17
Internè menſurantur linea, ſuperficies, & corpus. 228. 6
Inueniendi ars ſolum, dialectica ab Ariſtotile uocatur, & quare. 30. 27

Inuen-

Inuentio eſt etiam rerum incertarum.30. 24
Item leges deſeruientes tribus figuris, 183.7.& deinceps.

L

Liberales artes quæ ſint. 5. 27
Loca ſurſum,& deorſum ſunt in duplici conſideratione. 92. 17
Loci interni Dialectici diuiſio. 223. 4
Locorum Dialecticorum diuiſio.221.41 & deinceps.
Locus à deſcriptione.223. 25
Locus à communiter accidentibus. 231. 19.
Locus à proprietate.223. 34
Locus à ſimili.238. 8
Locus à toto ad partes.225. 21
Locus Dialecticus quid ſit.221. 22 & 37
Locus à Definitione. 223. 12
Locus ab oppoſitis.232. 19.& deinceps.
Locus ab adiunctis.231. 28
Locus ex contradicentibus. 232.22
Locus à cauſa.228. 41
Locus à commutata proportioone. 238. 22
Locus à partibus ad totum. 226. 32
Locus Maxima quid ſit.222. 6
Locus differentia maximè. 222. 8
Locus ab ortu ad interitum. 231. 9
Locus à Relatis.233. 5
Locus à caſibus.239. 12
Locus ab antecedentibus,& conſequentibus.239. 24
Locus à Denominatiuis.239. 7
Locus à comparatis triplex eſt.236. 29
Locus à coniugatis quid ſit. 239. 6
Locus ab auctoritate.240. 10
Locus à proportione quid ſit.238. 8
Locus à Diuiſione ad quem alium reducatur vide.239. 21
Locus à repugnantibus ſeu diſparatis. 232. 44

M

Magis,& minus,& maius & minus quando æquipollent.101. 39
Magis & minus ſuſcipere qua ratione dicatur.101. 10.& deinceps
Magnitudo alia perfectionis eſt,alia molis,& eorum diſcrimen inferius. 89. 32
à Maiori ad minus tripliciter poteſt argumentari.236. 43
Maius,& minus vnde conſurgant. 105. 29
Materia propoſitionum alia neceſſaria, alia impoſſibilis,alia contingens. 134 10
Materia triplex eſt.129. 1
Materiæ nomen pro genere ſumptū.65. 19
Materia ſiue obiectum duplex.10. 7
Materia ſe habet ut potentia.17. 9
Materia triplex.17. 26
Materia eſt ens tantum in potentia.17. 1.
Materia non eſt aliquid actu. 71. 28
Mathematicæ ſcientiæ diuiſio. 3. 22
Maximæ Dialecticorum non ſunt intelligendę de ſecundis intentionib.224. 7
Mechanicę artes duplices ſunt.9. 3
Media debent eſſe proportionata finibus. 230. 32
Medium duplex, participans, & negans. 112. 35
Medius terminus in ſyllogiſmo qua via inuenietur.192. 11.& deinceps.
Membra diuidentia quando poſſunt in parte dimitti in diuiſione.4. 13
Membrum diuidens debet hebere neceſſariam connexionem cum diuiſo. 24. 34
Mentis functio triplex.34. 39
Mens humana poteſt conſiderari ut intellectus eſt,& ut ratio eſt.35. 15
Methodi diuiſio.39. 1
Methodus cognoſcendi modos vnius cu iuſque figuræ.182.21.& deinceps.
Methodus duplex.37. 34
Methodus cognoſceudi veritatem modificatæ enunciationis. 165. 5
Methodus quid ſit.38. 23
à Minori ad maius argumentum.237. 6
Modalis enunciatio quid ſit.149. 14
Modi ſyllogiſtici imperfecti quomodo reducantur ad perfectionem. 184. 31. deinceps.
Modi ad enunciationem modificandam ſunt quatuor.148. 22
Modi in enuntiationibus dupliciter poſſunt

ſunt conſiderari. 148. 30
Modificatæ enunciationis veritatem, uel falſitatem cognoſcere difficile eſt. 165. 3
Modus eſſentialis, & accidentalis. 95. 2.
Modus figuræ ſyllogiſticę quid ſit. 175. 3
Motus continet in ſex ſpecies. 112. 14
Motus omnis eſt à contrario in contrarium. 102. 3
Muſicæ ſubiectum ad quantitatem diſcretam pertinet. 89. 21

N

NAtura ex ſe non eſt neque vniuerſalis, neque particularis. 56. 35
Natura quomodo prædicatur de ſuis inferioribus. 57. 27
Naturæ iure quomodo omnia ſint communia. 58. 24
Naturalis vis, & imbecillitas, ſiue potentia, & impotentia, ſecũda ſpecies qualitatis; declaratur. 94. 5
Neceſſarij acceptio apud Philoſophos. 164. 35
Neceſſarium, dicitur duobus modis. 61. 5
Neceſſarium Phyſicum, & Logicum. 113. 21
Neceſſarium Logicum nequit impediri. 113. 39
Neceſſitas alicuius rei cognoſcitur ex fine. 7. 29
Neceſſitas libri quinque prædicabilium. 39. 35
Negatio deſtruit quicquid poſt ſe inuenit. 135. 9. vide etiam 143. 22
Nomina quædam diuerſa reſpectu poſſunt eſſe Synonyma, & Paronyma. 67. 9
Nomina bifariam ſolent rebus poni. 254. 3
Nominibus poteſt addi quatuor modis. 255. 4
Nominis definitio. 119. 33
Notio, ſiue intentio ſecunda quæ ſit. 32. 9
Nugatio Sophiſtica quid ſit. 243. 18
Nullum accidens dicitur de ſubſtantia. 64. 38
Numeri genus duplex. 90. 42
Numerus tranſcendens, & prædicamentalis. 91. 45
Numerus duobus modis colligi poteſt. 110. 45

O

OBiectum eſſe intellectus, eſt duobus modis. 58. vltimo.
Officium quid ſit in unaquaq; arte. 9. 27
in Operatione prima intellectus quomodo non poſſit eſſe error. 61. 17
Operatrix ſcientia quid ſit. 31. 3
Opinio facillimè remouetur ab intellectu. 96. 25
Oppoſiti nomen quomodo poteſt accipi. 29. 9
Oppoſitio definitur. 109. 31
Oppoſitio quid ſit. 132. 23. & 39
Oppoſitiones modificatarum enũciationum. 153. 36
Oppoſitionum quatuor ſunt proprietates. 133. 9
Oppoſitorum quatuor ſunt genera. 109. 33
Oppoſitorum numerus, & ordo. 110. 44.
Oratio in quantitate diſcreta quomodo accipiatur. 89. 16
Oratio alia perfecta, alia imperfecta. 126. 9
Orationem non recipere contraria, quo pacto intelligatur. 86. 35
Orationis definitio. 126. 7
Ordo partium duplex. 108. 11
Ordo ſeruandus in Dialectica tractatione. 37. 23
Organicæ ſcientiæ Diuiſio. 5. 3
Oſtenſiua conuerſio quæ ſit. 184. 35

P

PAronyma & Denominatiua ſunt idẽ. 65. 14
Paronyma quæ ſint 65. 15
à Pari quomodo poſſit argumentari. 237. 11
Partes orationis quare non omnes à Dialectico tractantur. 122. 16
à Partibus ad totum, & econuerſo; an

 valeat

valeat argumentum.253. 13. & deinceps.
Paſſio, ut eſt ſextum prædicamentum habet eaſdē ſpecies, & proprietates quas habet Actio.107. 19
Paſſiones ſenſitiuæ animæ pertinent ad ſecundam ſpeciem qualitatis.94. 29
Paſſionis definitio.107. 17
Patibilis qualitas, & perturbatio, ſiuè paſſio, tertia ſpecies qualitatis, declaratur.94. 18
Perſona quid ſit.48. 44
Proprium, & accidens quomodo diſtinguantur.49. 2
Proprium diuiſum quatriplicirer.44. 1
Proprium conſequitur naturam ſpeciei. 47. 37
Proprium quomodo differat à Differentia.43. 34
Proprium dicitur quatuor modis. 43. 26
Petio principij quando fit.256. 28
Petio principij quinque modis fit. 256. 32
Phantaſmata quomodo generentur in intellectu.32. 31.& deinceps.
Phiſicum compoſitum quomodo ſe haber in materia,& forma.53. 38
Phiſicus conſiderat naturas rerum. 113. 7
ad Phiſicum ſufficiē veritas ferè perpetua.210. 19
Poſsibile duplex Phiſicum,& Logicum. 152. 18
Poſsibile aliud ſtrictum, aliud latum. 152. .18.& 21.
Poſsibili dato nullum debet ſequi incōmodum.136. 41
Poſt prædicamenta quinque ſunt numero. 109. 10
Poſterioris modi.114. 32
Potentia obiectiua.78. 29
Practica ſcientia duplex eſt, actionis ſ.& effectionis.3. 4
Practicæ ſcientiæ Diuiſio.4. 32
Prædicabile à prædicatione dicitur. 52. 20
Prædicabilia eſſe quinque, in qua prædicatione intelligatur.53. 23
Prędicabilium numerus unde ſumendus. 52. 36
Prædicamenta diuerſimodè tractantur à Metaphyſico,& à Dialectico.60. 22
Prædicamenta debent eſſe impermiſta. 75. 31
Prædicamenti nomen duobus modis accipitur.60. 15
Prædicamentorum libri diuiſio.60. 51
Prædicatio eſt duplex.50. 34
Prænotionum genera duo ſunt. 210. 24
Prima ſubſtantia de nullo dicitur. 50. 31
Prima figura ſyllogiſtica.175. 4
Principia peculiaria quomodo ponuntur in categorijs.78. 16
Priuatio definitur.110. 22
Priuatio duplex.112. 22
à Priuatione ad habitum nō dari regreſſum, quomodo intelligatur.112. 19
Priuationes, & negationes quomodo reducuntur ad Categorias.78. 23. & 42
Prius natura, tribus modis dicitur. 116. 17
Prius natura quatuor modis dici. 117.1
Prius, dicitur quinque modis.114. 16
Prius Accidente uariè ſumptum. 116. 30
Prius loco, refertur ad prius tempore. 115. 29
Probabile quid ſit.240. 22
Probabilitas ex aſſerentium teſtimonijs ſumitur.243. 4
Proportio duplex.238. 28
Propoſitiones omnes quinque prædicabilium aut ſunt neceſſariæ, aut ſunt contigentes.45. 34
Proprij prædicabile quare præcedat accidens.43. 25
Proprij definitio.43. 32

Q

Quæſita de Rebus, poſſunt eſſe quatuor; An ſint, Quid ſint, Quales ſint,& Quamobrem tales ſint, & ita procedunt ut numerantur. pag.1 .9
Quæſtio omnis, aut eſt anceps, aut ambigua, aut certa.11. 43
Quæſtio quid ſit.200. 2
Quæſtiones circa oppoſitiones modorū 259. 1.& deinceps.

Quæſtio-

Quæſtionum genera quatuor ſunt, ſi eſt, Quid eſt, Quia eſt, & propter quid eſt.200. 6
Quæſtionum diuiſio.200. 3
Qualitatis deſcriptio.93. 21
Qualitatis ſpecies ſunt quatuor. 93. 29
Qualitatis ſpecies ſimplici uocabulo ab antiquis Philoſophis nominatæ ſunt. 94. 38
Qualitatis proprietates. 99. 26. & deinceps.
Qualitas in abſtracto non recipit magis, & minus.101. 31
Quando, prædicamenti proprietates. 108. 6
Quando prædicamentum definitur. 108. 5
Quantitas diſcreta facit res multas, aut paucas appellari.89. 28
Quantitas duo habet.90. 1
Quantitas diuerſa ſiue deuicta continet numerum, & orationem.89 5
Quantitas ſimilior ſubſtantiæ. 87. 9
Quantitas duplex, continua, & diuerſa. 87. 15
de Quantitate duobus modis tractari poteſt.79.vltimo
Quantitates non componuntur ex ſuis terminis communibus.88. 22
Quantitatis continuæ quinque ſunt ſpecies.87. 21
Quantitatis ſpecierum ſufficientia. 90. 6. & deinceps.
Quantitatis definitio.87. 12
Quantitatis ſpecies definiuntur.67. 23
Quantitatis prædicamentum quare præcedat alia prædicamenta in tractatione.87. 8
Quantitatis affectiones ſiue proprietates. 92. 6
Quantum definitum ab Ariſt. 92. 3
Quartæ figuræ impugnatio, & defenſio. 180.18.& deinceps.
Quatuor dictiones deſeruientes oppoſitionibus modorum quomodo opponantur.156. 5
Quatuor dictiones ad æquipollentiam modalium propoſitionum.149. 20
Quicquid dicitur de prædicato, dicitur de ſubiecto, quomodo ſit intelligenda hæc propoſitio vide. 74.1.& deinceps.
Quinq; vocum tractatio pertinet ad primam operationem intellectus. 36. 38.
Quinque uoces. ſ. Genus, ſpecies, differentia, proprium, & accidens, quomodo formentur, & de eorum neceſſitate, & vtilitate.39.29.& deinceps.
Quinque ſenſuum obiecta pertinent ad ſecundam ſpeciem qualitatis.94. 28
Quomodo ſeparentur ſyllogiſmi perfecti ab imperfectis.113. 38

R

Rationale includit ſenſitiuum.17. 7
Reciprocationes enuntiationũ modificandarum.160. per totum.
Reductionis formæ ſyllogiſmorum ſunt duæ. 184. 32
de Reductione ad incommodum. 188. 16.& 21.
Regulæ deſeruientes affectionibus enuntiationum contradicentium.134. 37
Regulæ ad conſtituendas enuntiationum æquipollentiam.141.26.& deinceps.
Regulæ ad æquipollentiã modalium propoſitionum 150. 15. & deinceps.
Regulæ ad oppoſitiones modorum. 154. 23
Regulæ deſeruientes fallacijs Accidentium.252.32.& deinceps
Relata ſecundum eſſe, duplicia.103. 12
Relata ſecundum eſſe, & ſecundum dici. 103. 7
Relatio ſimilitudinis, & diſsimilitudinis in quid fundatur.105. 3
Relatio omnis innititur uni ex trib. fundamentis.104. 1
Relationem rei quæ exigantur. 103. 25
Relationes quędam rationis pertinẽt ad Categorias entium rei. 79. 23
Relationis diuiſio.103.38.& 104.14.
Relationis prædicamentum quare præcedat ſex alia prædicamenta. 103. 1
Relatiua propria, & impropria.103. 2
Relatiuorum definitio.103.9.& 23.
Relatiuorum affectiones ſiue proprietates.105. 22
Reprehenſio ſophiſtica quid ſit. 242. 23

Repugnantia alia immediata, alia media ta.233. 2
Res vnamet poteſt ad diuerſas ſpecies pertinere,& qua ratione.95. 20

S

Scientia quid, & quotuplex ſit.2. 38
Scientia eſt effectus demõſtrationis. 20. 46
Scientia vnica demonſtratione acquiritur.94. 3
Scientia eſſe non poteſt eorum quæ non ſunt.210. 38
Scientia aut definitio non eſt ſingularis 213. 25
Scientiæ definitio.2. 37
Scientiæ diſtinguuntur per obiecta. 10 39
Scientiæ gradus tres aſſignantur.208. 16
Scientiæ nomen eſt multiplex. 213. 39
in Scientijs quæ frequentiſsimè ſiunt, ita ac ſi perpetuò fierent, accipiuntur. 159. 45
Sciẽtiam nullam poſſumus habere abſq; demonſtratione.7. 1
Scientiarum genera duo.3. 1
Scire eſt rei cauſam agnoſcere.133. 23
Scire quid ſit.206. 6
Secunda figura ſyllogiſtica.177. 7
Secunda figura ſyllogiſtica quibus legibus coarctetur.177. 8
Secundæ notiones, etiam conſurgunt ex abſtractione intellectus agentis.35.37
Senſus tactus proprietas eſt animalis. 44. 9
Senſus eſt ſingularium.56. 41
Senſus eſt ſingularium.58. 30
Senſus obiecta ſunt accidentia. 82. 25
Separatio munere intellectus,eſt duplex. 47. 2
Sermones ſunt intelligendi iuxta mẽtem proferentis.102. 33
Ses qui altera proportio quæ ſit. 238. 30
Signi definitio.124. 2
Similitudo eſt eadem qualitas diuerſarum rerum 101. 45
Similitudo quid ſit. 203. 20
Simul, tribus modis dicitur. 115. 35
Simul, Prius, & Poſterius, duobus modis dicuntur.116. 23
Situs prædicamentum definitur. 108. 9
Situs prædicamenti diuiſio. 108. 17
Situs prædicamenti proprietates. 108. 18
Solœciſmus ſophiſticus quid ſit. 243. 14
Sophiſtica argumenta triplicia. 244. 28
Sophiſtæ contemnendi ſunt.169. 32
Sophiſtici loci diuiſio.245. 14
Sophiſticorum fines quinque ſunt. 242. 22.& 243.40.
Sophiſticus ſyllogiſmus quid ſit. 205. 35
Sophiſticus locus quid ſit. 245. 1
Sophiſticus locus quibus conſtat. 245. 3.
Speciei diuiſio.41. 2
Species,indiuidua, quare non diuidatur. 24. 9
Species eſt totum actu reſpectu generis. 38. 15
Species quid ſit.40. 29
Species motus declarantur. 117. 15.& deinceps.
Speculatrix ſcientia quid ſit. 3. 2
Speculatrix ſcientia varias ſub ſe continet diſcipinas.3 15
Speculatrixl ſcientiaaduc triplex.5. 1
Speculatrix ſcientia duplex.4. 27
Subalternatim poſita genera, & ſpecies quæ dicantur.75. 3
Subcontrariæ non poſſunt æquipollere 142. 1
Subiectum libri quinque uocum,ſeu prædicabilium.39. 24
Subiecti nomen diuerſimode acceptum. 71 17
De ſubiecto etiam dicitur, quicquid prædicatur de prædicato.73 34
Subiecti eſſentialis definitio prius cognoſcitur.82.vltimo.
Subſtantia habet modum internum loco differentiæ.77. 1
Subſtantia quibus modis ſit prior Accidente.80 29
Subſtantia prima quare dicitur propriè, præcipuè, & maximè.81 11
Subſtantia quo pacto ſit prior Accidente. 82 1.& deinceps.

Subſtan-

ſubſtantiam quo pacto ſit prior Accidente.82. 1.& deinceps.
Subſtantia quomodo ſit prior tempore, accidente. 83.39.vide ſupra & infra.
Subſtantia quomodo ſit prior natura ipſo Accidente.83. 43
Subſtantia ſecunda quo pacto ſit prior indiuiduis.84. 12
Subſtantia dicitur à ſubſiſtendo per ſe, & à ſubſtando accidentibus.85. 41
Subſtantia quatuor modis poteſt modificari.95. 11
Subſtantia eſt prior natura omnibus accidentibus.109. 25
Subſtantiæ primæ definitio.81. 3
Subſtantiæ nomen multipliciter accipitur.80. 30
Subſtantiæ affectiones. 2
Subſtantiæ diuiſiones.80. 41.& deinceps.
Subſtantiæ ſecundæ quæ ſint.81. 18
Subſtantiarum comparationes.81. 24
Subſtantiam unam non eſſe magis alia, qua ratione intelligatur.84. 36
Subſtantiæ uera proprietas eſt ſuſcipere contraria.85. 12
Subſtantiæ generatio unico momento perficitur.107. 14
Subſtantijs primis intereuntis, & ſecundas interire ait Ariſt.86. 5
Subſtantiam non ſuſcipere magis, & minus, quomodo intelligatur.85. 33
Syllogiſmi ex particularibus in qua figura collocandi ſunt.181 8
Syllogiſmi habentes peculiarem difficultatem.181. 46
de Syllogiſmis qui habent huiuſmodi dictiones, tantùm, ſolùm, præter, & huiuſmodi.181. 28
Syllogiſmi habẽtes dictiones quatenus, & quà.131. 34
Syllogiſmorum alius perfectus, alius imperfectus.173. 21
Syllogiſmus quid ſit.170. 18
Syllogiſmus duplex.170. 20
Syllogiſmus quibus partibus conſtet. 171. 14.& 172.35
Syllogiſmus expoſitorius.182. 8
Syllogiſmus imperfectus quid ſit.173. 28
Syllogiſmus perfectus quid ſit.173.22
Syllogiſmus poteſt confici ex duabus ſingularibus,& non ex duabus particularibus;& quà de cauſa.196. 3
Syllogiſmus eſt opus mentis.196. 33
Syllogiſmus qui dicitur coniunctus.197. 32
Syllogiſmus diſiunctus quid ſit.197. 40
Syllogiſmus triplex.205. 30
Synonyma prædicatio duplex.52. 38
Synonyma diuerſimode accepta.64. 24
Synonyma quæ ſint.64. 7
Synonyma ſtrictè,& latè accepta.65. 1

T

Terminus communis quis dicatur. 87. 17
Terminus quid ſit in ſyllogiſmo. 172. 28
Tertia figura ſyllogiſtica. 178.7
Totum duplex, aliud integrũ, aliud uniuerſum.21. 26
Totum integrũ duplex, aliud Homogeneum, aliud Heterogeneum.22. 21
Tranſcendentia præcipua ſunt ſex. 90. ultimo.
Tres figuræ ſyllogiſmorum quomodo conſtituantur.174.21.& 22
Tribus modis aliqua differunt.40. 31
Trina operatio intellectus poteſt diuidi in primam, & ſecundam intentionem. 36. 14
Triplex eſt prædicatio aiens. 52. 27

V

VBI prædicamenti definitio. 107. 38
Vbi prædicamenti proprietates. 108. 1
Verba tranſpoſita non mutant ſenſum. 18. 40
Verbi definitio. 121. 17
in Verbis tria inueniuntur.148. 1
Verbum tripliciter modificari poteſt. 148. 5
Veritas duplex reperitur. 69. 37
Veritas ſcientiæ vnde ſit petenda. 104. 8
Veritas ſumitur reipſa.243. 4
Vnitas alia tranſcendens, alia prædicamentalis, uel quantitatiua. 90. 4
Vnitas quantitatiua quæ ſit. 91. 5

Vnitas uocis duplex eſt.251. 30
Vniuerſale quatuor modis dicitur.39. 9
Vniuerſale quomodo præcedit actum. 58. 11
Vniuerſale aut nihil eſt, aut poſterius eſt. 58. 18
Vniuerſale eſſe ſemper & ubique, quomodo intelligatur.58. 19
Vniuerſale non eſt niſi quando eſt obiectum intellectus.58. 41
Vniuerſum omne prædicatur in quid, vel in quale.39. 25
Vniuocum diuiſio.64. 11
Voces quædam ſignificant à natura, quædam uerò ex hominum inſtituto. 120. 10.
Voces ſimplices in duplici ſignificatiōe. 122. 9
Vox ſignificans, duplex eſt.120. 21
Vox ſignificat aut propriè, aut impropriè 124. 37
Vox duobus modis poteſt aliquam rem ſignificare.124. 18
Vox quid ſit.119. vlt
Vtilium duo ſunt genera.6. 27
Vtilitas reductionis ſyllogiſmorum.188 5.
Vtilitas libri prædicamentorum.60. 27

FINIS.

COMMENTARIO

COMMENTARIORVM IN VNIVERSAM LOGICAM LIBER PRIMVS.

IN QVO PRIMA DIALECTICAE elementa proponuntur.

Vincentio Iuſtiniano ſacri Ordinis Prædicatorum auctore.

De Dialectica inuentore. Cap. 1.

ARISTOTELES 2.Poſterio. cap. 1. quatuor eſſe quæſtiones docet, quæ poſſunt de rebus tractari, An ſint, Quid ſint, Quales ſint, & Quamobrem tales ſint. Ex quibus quæſtio An res ſit, reliquas antecedat oportet; niſi fortè vſqueadeò ſit manifeſtum rem illam eſſe, vt ſuperuacaneum iudicetur id in quæſtionem vocare. Sic enim docet Ariſt. 1. Poſte. cap. 8. Cùm igitur perſpicuum ſit Dialecticam eſſe, & vim diſputandi, tres aliæ quæſtiones tractandæ illicò forent. At eſt controuerſia de inuentore Dialecticæ, quæ ad quæſtionem An res ſit, quodammodo pertinere videtur. Si eſt Dialectica, quis eam inuenit?

De hac re variæ ſunt, & inter ſe pugnantes ſententiæ. Quidam enim cenſent Ariſt.fuiſſe eius inuentorem; idque ipſiusmet teſtimonio perſuadent, vltimo capit. Elenchorum: alij cenſent hunc honorem nequaquam Ariſt.deferendum. Nam ex Diogene Laërtio, lib. 9.de Vitis Philoſophorum conſtat, Zenonem inuentorem fuiſſe; & ex diuo Iſydoro, lib.2. Etymologiarum, Platonem. Sed ratione prætereà hæc ſententia corroboratur á ſuis auctoribus: nam ante Ariſt. erant perfectæ Mathematicæ. Quo poſito ita argumentantur. Scientia haberi non poteſt, niſi habeatur demonſtratio, & is qui eam habet,illam ſe habere cognoſcat (nam ſcientia eſt effectus demonſtrationis, ex 1.Poſt.c.2.Et ſi quis habens demonſtrationē, opinetur ſe tantùm habere argumentum probabile, opinionem quidem habebit, ſcientiam minimè) at demonſtrationis cognitio pertinet ad Dialecticam: ergo ante Ariſt.erat cognitio Dialecticæ.

His tamen prætermiſsis, quid nos ſentiamus,quatuor aſſertionibus aperiemus. Nam Dialectica plurimas habet partes, ſed claritatis gratia, eas in duas coadunabimus, quarum prior agit de quinque Vocibus, & Categorijs,de Enuntiatione, Syllogiſmo, & Demonſtratione: poſterior verò de Syllogiſmo probabili, & Sophiſtico. Sit iam prima aſſertio. Prioris partis non fuit Ariſt. primus inuentor. Etenim de Generibus & Formis multa docuit Plato; multa de Quantitate, multa de Relatis & Numeris. Quin etiam Pythagoras uiginti Categorias poſuit. De his tan-

dem quæ ad Diuiſionem, Enuntiationem,& alia huiuſmodi pertinent, multa docuit Plato in Politico, Cratylo, & Sophiſta. Hucuſque nobiſcum plerique ſentiunt. Aiunt tamen, Demonſtrationis nullam fuiſſe Ante Ariſt.cognitionem. Quare ita poſtrema pars aſſertionis probatur. Nam 1. Poſt. cap. 1. conuellit Ariſt.opinionem Platonis circa Demonſtrationem (interprete diuo Thoma) ſuppreſſo tamen eius nomine. Iam verò 2.Poſter.capit. 3. refutat Ariſt.opinionem illorum, qui arbitrabantur omnium rerum eſſe Demonſtrationem,aut certè nullius. Item 4.Metaph.tex.19. aſſerit, nonnullos Philoſophos prima principia ore negaſſe, orationis gratia,id eſt,ex proteruia: quia videlicet,vt ait diuus Tho. in eodem lib.lect.10.videbant illa non poſſe Demonſtratione probari: Ergo iam apud antiquos Philoſophos erat cognitio nonnulla Demonſtrationis. Denique 1.Metaph.cap.3.ait,Antiquos Philoſophos inueniſſe Metaphyſicam,cùm haberent omnia quæ ad voluptatem & eruditionem pertinebant: vt Argyropilus vertit. Quem locum interpretans diuus Thom. lect.3.ait,antiquos Philoſophos habuiſſe omnia quæ pertinebant ad voluptatem; quia erant ditiſsimi, & omnia quæ ad eruditionem,quia habebant ſcientias Logicas. Et certè potiſsima pars Dialecticæ eſt ſcientia Demonſtrationis.

Secunda aſſertio. Nec etiam partis Topicæ fuit Ariſt. primus inuentor. Hanc aſſertionem ideò ſeorſum poſui, quia eſt contra ipſummet Ariſt.qui ſibi vltimo cap. Elenchorum Dialecticæ arrogat inuentionem, non quidem totius(ut auctores primæ opinionis falsò arbitrantur) ſed partis Topicæ: quam ita ſibi uendicat, ut nihil ab antiquioribus traditum fuiſſe dicat. Probatur concluſio. Nam multa in Topicis de Genere,Definitione,Proprio, & Accidente traduntur, quæ reperientur apud antiquos Philoſophos. Quod ſi quiſpiam dicat,ob eam ſolùm cauſam,Ariſtotelem ſibi artis Topicæ inuentionem vendicare,quia omnes maximas, aut axiomata quæ ibi traduntur,excogitarit,cùm hoc ego non valdè contendam.

Tertia aſſertio. Quanquam hæc ita ſe habeant,tamen Ariſt.maximè auxit totam hanc ſcientiam, & in artem perfectam redegit, errores denique plurimos expulit. Hæc manifeſta ſunt,aſſeruntur; à diuo Iſydoro 2.Etymologiarum,ca.22.

Quarta aſſertio. Hæc ſcientia ab Adam per manum ad nos perducta fuit,probatur auctoritate Beroſi, Ioſephi,& Euſebij: Beroſus nanque agens de Catacliſmo, ait; Noe poſt diluuium docuiſſe homines omnes ſcientias humanas, & ritum,ac cæremonias, quibus Deus erat colendus. Vide Patrem Soto 1. Phyſic. quæſt.1. concluſ.1.ad ſecundam confirmationem.

Quid ſit Dialectica. Cap. 2.

Prima ex tribus quæſtionibus pertractandis eſt, Quid res ſit. Quid inquam ſit Dialectica.Sed qm̃ quid ipſa ſit,Definitione explicatur,& Definitio Genere conſtare dēt:de Genere Dialecticæ nonnulla ſunt prænotanda. Eſt autem Genus Dialecticę Scientia. Videamus igitur quidnam ſit,& quotuplex Scientia.Eſt quidem Scientia certa & euidens cognitio Demonſtratione acquiſita: certa, ut diſtinguatur ab opinione & ſuſpicione: euidens, ut diſtinguatur à Fide noſtra catholica, quę non eſt euidens, quanquam ſit omni re certiſsima certior: denique per Demonſtrationem acquiſita dicitur,vt ab habitu primorũ principiorum ſeparetur, qui non Demonſtratione acquiritur, ſed ex lumine intellectus agentis propoſito ſemel obiecto conſurgit.

Quid ſit Scientia.

Duo

Duo autem ſunt genera Scientiarum, quoddam in ſpeculatione, quoddam in praxi verſatur. Scientia ſpeculatrix, vel theorica eſt, cuius finis eſt cognitio ſui obiecti. Practica verò, aut operatrix eſt, cuius finis eſt opus. At practica duplex eſt, actionis alia, alia effectionis; agere enim & efficere diſtinguūtur apud Ariſt. 6. Ethic. cap. 4. Effectionis ſcientia eſt cuius finis eſt opus mechanicum, aut externum: & hæc ſuo ambitu illiberales ſcientias comprehendit, quamuis non eas ſolùm, ſed multas etiam liberales, vt artem militarem quæ maximè decet ingenuos. Quanquam ſi res accuratè ſit tractanda, huiuſmodi facultates merè ſint artes, non ſcientiæ: præſertim cùm nihil minùs earum artifices, quàm demonſtrationes curent. Vide tamen quæ lib. 6. cap. vltimo ſcripſimus. Actionis ſcientia eſt cuius finis eſt opus virtutis, & appellatur moralis, aut Ethica. Quæ profectò ſi doceat hominem opera virtutis erga ſeipſum, appellatur monaſtica; id eſt ſolitaria: ſi opera virtutis erga familiam, Oeconomica, & familiæ gubernatrix: ſi erga totam ciuitatem, Politica. Quotuplex ſit.

Habet etiam ſpeculatrix ſcientia varias ſub ſe diſciplinas; nam ſpeculatrix, alia rei, alia notionum: ſpeculatrix rei eſt cuius finis eſt cognitio entis rei. Quod ſi penitùs à materia fuerit ſeparatum, ad Metaphyſicam (quæ Theologia naturalis dicitur) pertinet: ſi verò nec re, nec cogitatione à materia ſegregetur, ad Phyſicam ſpectat. Phyſica enim licet à materia ſingulari abſtrahat, non tamen à materia in communi; ideſt, conſiderat hominē habere carnes, oſſa, & neruos: non autem has carnes ſingulares, aut hæc oſſa. Tandem ſi illud ens fuerit, non re, ſed cogitatione à materia ſeparatum, Mathematicæ relinquetur: quæ diuiditur in Aſtrologiam, de aſtris agentem; in Arithmeticam, de numeris; in Geometriam, de lineis, ſuperficiebus, & corporibus; & in Muſicam, de ſonis tractantem: Quamuis Muſica & Aſtrologia partim etiam materiam conſiderent, ac proinde non omninò ſint mathematicæ, ſed quadam etiam ex parte Phyſicæ. Speculatrix notionum eſt illa, cuius finis eſt cognitio entium rationis, id eſt, eorum entium quæ non ſunt pręter mentis noſtrę operationem. Diuiditurq; in Dialecticam, Rhetoricam, & Grammaticam: nam Dialectica ſpeculatur ens rationes, quod deſtinatur ad diſcernendum verum à falſo: aut (ut alij volunt) ad diſſerendum. Grammatica uerò quod ad orationem congruam & conſentaneam accommodatur, Rhetorica denique, quòd ad ornatam.

Quare Dialectica ſic eſt definienda. Scientia ſpeculatrix entium rationis, methodum diſſerendi tradens. Ponitur in eius definitione ſcientia, vt diſtinguatur ab opinione & fide: ſpeculatrix, vt diſtinguatur à practicis: entium rationis, ut diſtinguatur ab illis, quæ entia rei ſpeculantur tradens methodum diſſerendi, vt ſeparetur à Grammatica, & Rhetorica. Ferè autem eadem eſt Ciceronis definitio, qui Dialecticam eſſe dixit diligentem diſſerendi rationem; quia ſine Dialectica diſſerere quidem poſſumus; diligenter certè non poſſumus. Verùm hìc obſeruandum eſt, hac definitione non definiri Dialecticam pro ſola arte iudicandi: ut accipiebatur ab Stoicis: neque pro ſola arte diuidendi, vt à Platone: nec pro ſola arte inueniēdi, aut potiùs ex probabilibus argumentandi, ut ſæpiſsimè ab Ariſt. ſed vt includit omnia iſta: quemadmodū accipit eā Cicero in lib. de Finibus, ubi promiſcuè vtitur nomine Logicæ, & Dialecticæ. Quanquam (ut uerum fatear) ſi vis nominum expendatur, ſola hęc ſcientia ſit Dialectica nuncupanda, Logicæ verò nomen conueniat etiam Grāmaticæ, & Rhetoricæ. Dicitur enim Logica à nomine Logos. Logos autem ſignificat ſermonē, aut rationem: vnde omnes ſcientiæ, quę (quia de ſermone diſpu- Quia Dialectica ſit. Logicę nomen.

tant) ſermocinales vocantur , poſſunt Logicæ appellari : tametſi per antonomaſiam ſola Dialectica appelletur Logica.

Dubia contra ſuperiora.

HOc quidem pacto diuiſa ſunt à nobis, & definita varia Scientiarum genera, quia res nunc minimè poteſt accuratè diſputari:nihilominus ea quæ ſequuntur dubia viſa ſunt digna,quæ nouis Dialecticis poſſent proponi.

Primum eſt . Illa diuiſio eſt mala,in qua prętermittitur aliqua pars diuiſionis, at in ſuperiori Scientiarum Diuiſione,multę prætermiſſę ſunt partes: Mala igitur eſt Diuiſio . Etenim prætermiſſa eſt Nautica, vel Phænomena: prætermiſſa eſt Optica,Stereometria, & Fabrica, quarum meminit Ariſt. lib.1.Poſt.cap.10.Prętermiſſa eſt quoque Geodeſia, de qua Ariſt.agit 3. Metaph.tex.8.Item Iuriſprudentia:prætermiſſa eſt quoque Irah,cuius meminit Commentator 7.Metaph.tex.29.denique prætermiſſa eſt ſacratiſsima Theologia, & Canonum ſacrorũ peritia. Reſpondetur. non oportere omnia membra,etiam minima,in Diuiſione numerari: ſat enim fuerit,ſi ad ſuperiora referantur . Nautica refertur ad Aſtrologiam, Stereometria(quę de corporibus ſolidis agit)ad Geometriam, Fabrica ad Stereometriam , Optica, vel Perſpectiua (quæ de lineis quæ uidentur tractat) ad Geometriam; ad quam etiam refertur Geodeſia, quę eſt ars diuidendi terram : Irah,vel Saltandi ſcientia,ad Muſicam , cuius regulis gubernatur, eſt referenda . Cæterùm Iuriſprudentia Politicæ eſt colligata: De Theologia autem noſtra dicimus, illam non fuiſſe numeratam,quia tantùm illas ſcientias numerauimus, quæ naturali lumine poſſunt acquiri: Theologia verò lumen ſupernaturale requirit; quam etiam ſequitur Canonum ſacro rum peritia.

Variæ ſciẽtiæ præter miſſæ.

Dubium 2.Ariſt. 6.Metaph. tex.2. tantùm agnoſcit tres ſcientias Speculatrices, videlicet Metaphyſicã,Mathematicã,& Phyſicã:malè ergo nos alias enumerauimus, ſcilicet Logicam, &c. Reſpondetur primùm,Ariſt.ibi tantùm loqui de Speculatricibus rei . Reſpondetur ſecundò,Speculatrices ſcientias duplices eſſe.aliæ enim ſunt omninò & ſimpliciter Speculatrices, illę uidelicet, quarum finis pręcipuus eſt cognitio ſui obiecti, tales ſunt Metaphyſica,Mathematica,& Phyſica:alię ſunt Speculatrices Organicæ, id eſt,inſtrumentariæ;quarum finis præcipuus non eſt cognitio ſui obiecti, ſed digerere alias ſcientias : tales ſunt Dialectica, Rhetorica,& Grammatica. Quemadmodum enim inter ſcientias Practicas quædam ſunt omninò, & ſimpliciter Practicæ , quarum finis præcipuus eſt,ipſarummet operatio,vt Politica:alię ſunt Practicę Organicę, quarum finis pręcipuus non eſt ipſarum operatio,ſed operatio alterius artis (vt patet in arte fręniſactoria, quę ad artem deſtinatur bellandi) ita in ſcientijs Speculatricibus philoſophandum eſt. Itaq; Ariſt. ibi de ſolis Speculatricibus ſimpliciter loquebatur: nam eo in loco ſtatuit diſcrimen inter Metaphyſicam & alias ſcientias . Et cùm iam in 1. lib.Metaph.oſtendiſſet,Metaphyſicam quęri propter ſe, & non propter alias ſcientias : & ex conſequenti non eſſe Organicam (qualis eſt Logica,ex diuo Thom.1.Metaphy.lect.3.)Ideò ſolùm reſtabat Ariſ. in 6. Metaph.oſtendere,quomodò Metaphyſica à ſcientijs omnino Speculatricibus diſtingueretur. Quamobrem eas ſolùm enumerauit. Reſpondetur tertio, ex illa auctoritate colligi poſſe,Scientiam non ſtatim eſſe diuidendam in Speculatricem,& Practicam;

Tres tãtũ Speculatrices.

Organicę ſcientiæ

ſticam: ſed in Speculatricem, Practicam,& Organicam, & tunc Speculatrix diuidatur in illas tres, quas Ariſt. adducit. Practica uerò diuidatur ſicut diuiſa eſt ſupra: Organica denique in Grammaticam, Dialecticam,& Rhetoricam. Hanc diuiſionē Scientiæ, aut Philoſophiæ in tres partes ſequitur Cicero multis in locis,& præſertim lib. 1. de Finibus. Item & diuus Auguſtinus lib.8.de ciuitate Dei,cap.4.&.7. Immò eā innuit Ariſt 1. Top.c.9. Sed profectò eſt apertiſsima diui Thomæ ſententia in Boethium, de Trinitate,quæſt. 5.artic. 1. Vbi ait, Logicam non tam eſſe Speculatiuam, quàm Inſtrumentariam ad Speculatrices. Itaque dicendum eſt, Speculatricem latè ſumptam diuidi poſſe in eam quæ Res, & in eam quæ Notiones ſpeculatur: verùm Speculatricem Propriam tantùm in illas tres ſcientias diuidendam, quæ 6. Metaphyſicorum, texto 2.recenſentur.

Tertium dubium. Vt Ariſt.6.Ethic.docet, Ars, & Scientia maximè diſtinguuntur: at Dialectica Ars eſt, omnium conſenſu; ergo non eſt Scientia. Preterea ex Ariſt. 2. Metaph. Stultum eſt Scientiam ſimul & modum Sciendi quærere. at diuus Thom. eo in loco aſſerit; Dialecticam eſſe modum Sciendi; non igitur erit Scientia. Reſpondetur, proculdubiò Dialecticam eſſe Scientiam: nam Scientia eſt habitus Demonſtratione acquiſitus, hoc eſt, promptitudo, atque dexteritas quædam nata in nobis ex Demonſtratione. Nam in omnibus libris Dialecticæ fiunt Demonſtrationes, ex quibus naſcitur in nobis ingens facilitas ad res Dialecticas pertractandas. Quæ(vt cętera)egregiè probat Frater Dominicus Soto, quæſt. 2. Procemij Logicæ. Et ad propoſita argumenta reſpondetur facillimè. Ad primum quidem reſpondetur, Artes eſſe duplices, Mechanicas & Liberales: appello Mechanicas, quas ſolent exercere homines, vt corporis neceſsitatibus ſatisfaciant; Liberales autem, quas homines ingenui addiſcere ſolent. At 6. Ethicorum Ariſtoteles de Artibus agit Illiberalibus, non de omnibus Ingenuis. Dialectica verò Ars eſt Liberalis, atque ingenuo viro digna. Quare propriè Scientia eſſe poteſt. Septem enim artes liberales recenſentur, tres ſcilicet Sermocinales, Dialectica, Rhetorica,& Grammatica (ſub qua Poeſis continetur)& quatuor Matehmaticæ, nempè Arithmetica, & tres eius comites: Non quòd reliquæ omnes ſcientiæ, vt Medicina, Phyſiologia, & Metaphyſica, illiberales ſint, ſed quoniam illæ ſeptem erant quas iuuones liberales, atque ingenui olim addiſcebant; reliquæ verò iam grandioribus tradebantur. Ad 2. Reſpondetur, ſtultum eſſe in quauis ſcientia quęrere Scientiam, & modum ſciendi; id eſt, quærere quæ ſint probanda exactiſsimis Demonſtrationibus, & quæ tantùm inductione,& quæ exemplis,& quæ coniecturis,&c. Tamen in vna aliqua Scientia (nempè in Dialectica) id quærere, non eſt ſtultum, ſed neceſſarium. Ariſt. verò eo in loco agebat de his, qui in Metaphyſica illa duo quærebant. Præterea diuus Tho. non dicit, Dialecticam eſſe modum ſciendi, ſed tradere modum ſciendi. Aliam ſolutionem tradit Soto loco citato: ille erit tibi conſulendus: ad alia enim noſtra feſtinat oratio.

Ars & Scientia.

Ars liberalis.

Modus ſciendi.

Praxis.

4. Dubium. Dialectica habet pro obiecto opus, id eſt diſputare, & argumentari, ergo eſt ſcientia Practica. Reſpondetur: Practicā habere pro fine opus externum, aut uirtutis Moralis; at opus intellectus(quale eſt argumentari)non conſtituit ſcientiam Practicam, ſed Speculatricem; quia tale opus Speculatio eſt, non Praxis. Nec me latet, opus intellectus pertinere nonnunquā ad habitum Practicum, ſed id parùm ad noſtrum pertinet inſtitutum. Vide diuum Thom.& Caietanum 2.2.quęſt. 47.art.2.ad.2.

Qualis ſit Dialectica, an ſit neceſſaria, vel vtilis. Cap. 3.

TErtia quęſtio eſt, Qualis ſit Dialectica. Et licet ſub hoc titulo multa tractari poſſent, nunc hoc erimus contenti vno, ſi explicauerimus, an ſit neceſſaria. Duo autem prænotanda ſunt, vnum eſt, duobus modis aliquid eſſe neceſſarium ad finem conſequendum: vel enim ita eſt neceſſarium, vt ſine eo finem conſequi nulla ratione poſsimus, vt abſque cibo vitam ſeruare non poſſumus, vel etſi abſque eo finem conſequi poſsimus; non tamen ſic promptè, ac bene, vt Equus, dicitur neceſſarius eunti Romam. Alterum eſt, Dialecticam eſſe duplicem, Naturalem, & Artificioſam, ſicut de Oratoria facultate innuit Ariſt. 1. Rhetoricorum ad Theodectē. Naturalis Dialectica eſt vis diſcurrendi, à natura indita menti noſtræ: de qua proculdubio Dialectica Ariſt. in libro Elenchorum agebat, cùm diceret, nullum hominem eſſe, qui Dialectica non vtatur; etſi ſit artis Dialecticæ imperitus. Habetur hoc teſtimonium 1. Elench. cap. 11. apud Boethium; nam apud alios liber Elenchorum vnus eſt, nec diuiditur in capita. Artificioſa eſt hæc ſcientia, quam tradimus, quæ docet præcepta definiendi, diuidendi, & argumentandi. Sit primum axioma. Dialectica naturalis eſt neceſſaria primo modo. Probatur, quia nulla ſcientia poteſt acquiri ſine diſcurſu, ſeu progreſſu, & demonſtratione: ſed Dialectica Naturalis eſt ipſamet vis diſcurrendi: ergo ſine ipſa non poſſumus alias ſcientias adipiſci. Secundum axioma. Dialectica Artificioſa non eſt neceſſaria priori modo: videmus enim multos abſque Dialectica Mathematicos. Tertium axioma. Dialectica Artificialis eſt neceſſaria ſecundo modo: qui enim ea inſtructi veniunt, faciliùs arcana ſciētiarum attingunt. Quare certum eſt, Dialecticam vtilem eſſe; nam cùm ſit neceſſaria ad alias ſcientias, eſt bona ad illas acquirendas. Tum ita diſputo: Quatenus bona ad omnes alias ſcientias, non eſt honeſta, non eſt delectabilis (hæc enim bonorum genera finis potiùs quàm medij rationem habent) ergo eſt vtilis. Nam diuus Ambroſius, libro de Officijs, bonum in hæc tria bonorum genere diuidit. Tamen eſt obſeruandum, duo eſſe genera vtilium, quoddam eſt vtile, quod tantùm alterius gratia deſideratur, vt medicina amara: aliud verò, quod etiam ratione ſui expetitur, vt ſuauis potio. Dialectica autem eſt vtilis ſecundo modo, quia etiam in ſe habet vnde appetatur, & cognita, ſummam affert voluptatem.

Naturalis, Artificioſaque Dialectica

Dialectica quomodo neceſſaria.

Obiectiones aduerſus ſuperiora.

PRima dictum eſt, Dialecticam eſſe neceſſariam ad omnes alias ſcientias. Dubitabit ergo quiſpiam, an ſit neceſſaria etiam ad ſeipſam. Reſpondetur, Dialecticam Naturalem ſimpliciter eſſe neceſſariam ad Dialecticam Artificialem: Dialecticā verò Artificioſam eſſe neceſſariā ad ſeipſam in hoc ſenſu, quia ipſa, ut tradit primam concluſionem, eſt neceſſaria ad ſe vt tradit ſecundam; & vt tradit ſecundam, eſt neceſſaria ad ſeipſam, ut eſt traditura tertiam. Ex liberis enim Perihermenias, gradum facimus ad libros Priorum, & ex libris Priorum, ad ſequentes.

Secunda obiectio. Dictum eſt, Dialecticam Artificioſam non eſſe primo modo neceſſariam. Quod impugnatur argumento, quo vſi ſunt autores ſecundæ opinionis, poſitæ

nis, poſitæ in primo capite. Etenim nullam ſcientiam habere poſſumus abſque Demonſtratione,& niſi cognoſcamus nos habere Demonſtrationem: at cognitio Demonſtrationis ſpectat ad libros Poſteriorum, ergo abſque cognitione librorum poſterioris Analyſis, nullam ſcientiam obtinere poſſumus. Reſpondetur, abſque Dialectica Artificioſa poſſe nos habere Demonſtrationem, & cognoſcere nos habere Demonſtrationem: non quidem ſub conceptu, & ratione Demonſtrationis,& omnium eorum quæ de Demonſtratione in libris Poſteriorum tractantur, ſed ſub conceptu rationis includentis veram cauſam rei, quam cognoſcimus. Et hoc ſufficit ad habendam Scientiam. Quamuis enim Mathematicus neſciat ſe habere Demonſtrationem, nec interrogatus quid ſit Demonſtratio, reſpondere ſciat: tamen Mathematicus eſt, & Scientiam habet, dummodo cognoſcat, ſe rei cauſam certò cognoſcere.

Tertia obiectio. Dictum eſt, Dialecticam non tantùm quæri propter alias ſcientias, ſed etiam propter ſe. Et tamen diuus Thom. 1. Metaph. lect. 3. docet, Dialecticam non quæri propter ſe, ſed propter alias ſcientias. Reſpondetur, diuum Thom. intelligendum eſſe, quia non præcipuè quæritur propter ſe.

De Fine Dialecticæ. Cap. 4.

QValis ſit Dialectica, dictum eſt ſuperiori capite. Dictum eſt enim, vtilem eam eſſe, & neceſſariam. Nunc videndum eſt, quamobrem talis ſit; id eſt, quare ſit neceſſaria: quod manifeſtum fiet, ſi eius finem explicauerimus. Et fine enim rei neceſsitas intelligitur. Mox verò de officio Dialectici, de Materia, Inſtrumentis, & Partibus Dialecticæ diſſerendum erit; ut ex his omnibus quanta ſit eius neceſsitas, atque vtilitas intelligatur. Finis autem Scientiæ ab autoribus dicitur ille, ad quem omnia artis præcepta diriguntur, & ipſe in eadem Arte alio non refertur: duplicemq; Finem conſtituunt, Proximum, & Remotum: Proximus dicitur internus, aut intra Artem: Remotus verò dicitur externus, aut extra Artem. Sed cùm duplex ſit Dialectica, Vtens, & Docens (Docens eſt quæ tradit præcepta definiendi, diuidendi, & argumentandi: Vtens, quæ præceptis vtitur) de vtriuſque fine tractandum eſt. *Dialectica Docēs, & Vtens.*

Iam ergo ſit prima aſſertio. Dialecticæ Docentis Finis Proximus eſt, cognitio definitionis, diuiſionis, & argumentationis. Probatur. Finis Scientiæ eſt, quo obtento, Scientia, quaſi iam perfecta conquieſcit; ſed Dialectica Docens ceſſat docere, tradita iam cognitione definitionis, diuiſionis, & argumentationis: Ergo iſte eſt Finis eius, & non eſt Finis Remotus, ergo eſt Finis Proximus. Secundò. Iſta tria quæ enumerata ſunt, aliqua ſcientia ſciri poſſunt, & non eſt inuenta alia ſcientia ad hæc ſcienda præter Dialecticam; ergo Dialectica inuenta eſt ut iſta cognoſceremus. Confirmantur hæc autoritate noſtri Cardinalis Caietani cap. de Specie, in Vocibus Porph. diuiſ. 9. Vbi ait, Finem Logicæ eſſe inſtrumenta ædere, quibus incognita innoteſcant: hoc eſt, aperire, qua ratione definire, diuidere, & argumentari debeamus. Iſta enim ſunt inſtrumenta, de quibus intelligendus eſt Caietanus. Secunda aſſertio. Finis Remotus Dialecticæ Docentis eſt, dirigere rationem noſtram in omnibus ſuis operibus, & in omnibus ſcientijs. Hæc probatur auctoritate diui Thom. 1. Poſter. cap. 1. Ibi enim docet, hunc eſſe Finem Dialecticæ; & cùm non ſit Proximus, erit Remotus. Item hunc eſſe Finem Dialecticæ, oſtenditur hac ratione: nam *Finis Docentis.*

Dialectica laudatur, quòd ſit ars artium; idest, quod dirigat omnes artes, atqui ſcientiæ omnes ſumunt nobilitatem ex Fine ſuo, & Obiecto: ergo iſte eſt Finis Remotus Dialecticæ. Etenim Organicæ facultates, ex Fine Remoto præcipuè commendantur, quia inſtrumentum, ſeu organum nõ tam rõne ſui, quã alterius quæritur. Tertia aſſertio. Finis Dialecticæ Vtentis, eſt cognitio oĩs rei, & explicatio oĩs quæſtionis in omni ſciẽtia. Probatur: Quia ideò vtimur Dialectica in omni ſcientia, vt oĩs quæſtio explicata maneat. Sed obſeruandum eſt hoc loco, Dialecticã Docentẽ, & Vtentem nõ eſſe duas Dialecticas diſtinctas, ſed vnammet diuerſis rationibus. Illa enim ipſa quã docuit me magiſter meus, eſt qua ego poſtea vtor.

Finis Vtẽtis.

Dubia contra ſuperiora.

Probabiliter differere, an ſit finis.

PRimum eſt an verum ſit, quòd nonnulli autumant, finem Dialecticæ eſſe probabiliter differere. Reſpondetur, nec eſſe finem internum, nec externum Dialecticæ Docentis, vel Vtentis: nam Finis eſt id quod eſt nobilius: ſed Dialectica non tantùm docet argumentari ex probabilibus, ſed etiam ex neceſſarijs; & ignobiliùs eſt argumentari ex probabilibus: Ergo iſte non erit eius finis. Sed reſpondent ipſi, argumentari ex neceſſarijs, eſſe etiam argumentari ex probabilibus; quia neceſſariũ eſt probabile. Verùm hoc eſt contra Ariſt. 1. Top. cap. 1. vbi ex profeſſo diſtinguit argumentari ex neceſſarijs, & ex probabilibus. Et licet, loco citato, Ariſt. videatur aſſerere, finem Dialecticæ eſſe probabiliter differere: tamen ibi de ſola parte Topica, quatenus Vtens eſt, loquitur. Vide etiam ipſum. 1. Elench. cap. 2. Ibi enim manifeſtè neceſſaria argumenta à probabilibus ſeparat.

Secundum eſt: An finis Docentis Dialecticæ ſit, ex neceſſarijs argumentari, aut Demonſtrationis cognitio. Finis enim eſt id quod nobilius eſt, Demonſtratio autẽ dignior eſt omnibus quæ docentur in Dialectica. Et confirmatur: nam Ari. 1. Prior. cap. 1. ait, Scientiam Syllogiſmorũ dirigi ad Demonſtrationem. Reſpondetur, digniorem quidẽ eſſe Demonſtrationem Syllogiſmo Topico, & meliùs eſſe ex neceſſarijs, quàm ex probabilibus diſputare: tamen præſtantiùs eſt poſſe tractare quæſtionem ex neceſſarijs, & probabilibus, quàm ex ſolis neceſſarijs: tum quia multa ſunt, quæ argumentis neceſſarijs tractari non poſſunt: tum quia argumenta probabilia neceſſarijs rationib. in una quæſtione cõiuncta miro modo oblectant, & rẽ magis ante oculos ponunt, quàm ſi vna, aut altera Demonſtratione tractata fuiſſet. Finis ergo Dialecticæ Vtentis erit, cognitio omnium rerum per argumenta neceſſaria, & probabilia, ut negotium poſtulabit. Finis verò Dialecticæ Docentis erit cognitio; Definitionis, Diuiſionis, & Argumentationis: tum neceſſariæ, tum probabilis: denique etiam captioſæ, vt & illis vti ſciamus, & hanc vitare. Ariſt. tamen cùm ait, ſcientiam Syllogiſmorum ad Demonſtrationem referri, non id aſſerit, quaſi non ob aliam cauſam diſputatio de Syllogiſmo in vniuerſum Dialectico ſit ſuſcipienda, niſi quia ad Demonſtrationis cognitionem, comprehenſionemq; eſt neceſſaria, ſed ut oſtendat hanc eſſe vnã ex maximis illius diſputationis vtilitatibus, quæ eam ad libros de priori Analyſi edendos impulerunt.

3. Dubium. Finis non eſt poſitus in actione (ſicut finis artis frænifactoriæ non eſt frænum facere, ſed frænum ipſum) at cognitio eſt actus mentis noſtræ, ergo non poteſt eſſe finis alicuius ſcientiæ. Reſpondetur, propoſitionem eſſe falſam in omnibus

nibus ſcientijs ſpeculatricibus, quarum finis eſt cognitio, & in omnibus ſcientijs quæ de moribus diſputant:nam earum finis eſt aliquod opus uirtutis. Præterea in aliquibus mechanicis etiam eſt falſa; nam mechanicæ artes duplices ſunt, aliæ quæ poſt ſe relinquunt opus,vt ars frænifactoria; aliæ,quæ nullum opus relinquunt,ut ars Citharizandi:loquendo de prioribus,finis earum non eſt operatio,ſed res operatione effecta:loquendo autem de poſterioribus,finis earum conſiſtit in actione, & operatione.

4. Dubium. Quidnam intelligitur nomine finis proximi,& remoti? Reſpondetur,finem proximum eſſe ad quem proximè ars deſtinatur, ſicut in arte frænifactoria frænum: remotus verò, qui ſequitur comparato iam proximo,ut in eadem arte frænifactoria,bellum. Finis proximus appellatur internus,& remotus externus,quia internum illud eſt,quod dat ſpeciem actui,vel habitui:at finis proximus eſt, qui dat eis ſpeciem,ex diuo Thom.1.2.q.1.art.3.ad.3.Ergo finis proximus eſt internus, & remotus externus. Veruntamen fuit quidam auctor, cui ita viſum eſt definire finē internum,& externum, vt internum appellaret illum quem artifex conſequi poteſt, & à nullo alio impediri ualet, quin illum conſequatur: finem uerò externum illum, quem ne conſequatur,ab alio impediri poteſt:Et illuſtrabat exemplo ſuas definitiones. Finis internus Medici eſt,apponere pharmaca, at uerò ſanitas infirmi eſt finis externus,quia ne illam conſequatur impediri poteſt,ab ipſius infirmi peſſima natura, aut quia infirmus non vult à noxijs abſtinere.Sed profectò exempla ipſa ſuum auctorem (quiuis ille ſit) reprehendunt.Nam etiam impediri poteſt Medicus,ne pharmaca apponat,ſi infirmus nolit ea recipere:& ſi terra non producat herbas neceſſarias, impedietur Medicus ab externo.His adde,apponere pharmaca,officium eſſe Medici, ſalutem uerò finem. Officium enim Medici eſt,ea omnia præſtare quæ ad curationem pertinent. Ex Ari.1.Topic.cap.2. Finis internus, & externus quid ſit.

De Officio Dialectici. Cap. 5.

POſtquam egimus de fine Dialecticę,agamus nunc de officio Dialectici.Officiū, eſt,quòd artifex præſtare debet,vt finem ſuum cōſequatur:Medicus ut ſanet, medicinas applicet:Nauta ut traijcere poſſit,clauum dirigat:Miles ut bello potiatur, ſtrenuè pugnet. Quare ſi vera ſunt,quæ ſuprà de fine Dialecticæ diximus, perſpicuū eſt officium Dialectici Docentis eſſe,adhibere leges, precepta, definitiones, diuiſiones,argumenta,& omnia alia quę neceſſaria ſunt,ut Definitio,Diuiſio,& Argumentatio nobis innoteſcant. Vtentis verò Dialectici officium erit,in omnibus ſcientijs definire, diuidere, & argumentari, immo uerò in colloquijs etiam, vt colligitur ex Ariſ. 1. Top.cap.2.

Quæſtiuncula aduerſus ſuperiora.

DIalecticus ſemper inuenire debet,aut ſaltem inuētis vti,& de ipſis iudicare. Quare ergo inuenire,& iudicare non recenſentur inter officia Dialectici? Reſpondetur hæc eſſe officia communia,ideſt,quæ ſemper facere debet; nos autem ſola officia peculiaria recenſuimus,ideſt,quæ non ſemper agere debet artifex,ſed pro negotiorum uarietate. Quare (ſi ita libet) dicamus officia communia vtentis Dialectici eſſe,inuenire:& iudicare:peculiaria uerò definire, diuidere, & argumentari.

De

De materia Dialectica. Cap. 6.

EX his quæ dicta ſunt, facilè colligi poteſt, quænam ſit materies Dialecticæ: verum vt id planiùs fiat, res à principio tractanda eſt; in primisque explicandum, materia quid, & quotuplex ſit. Speculatricis, aut Organicæ facultatis materia eſt, in cuius explicatione ipſa verſatur: vt Arithmetica in numerorum tractatione. Quæ materia appellatur, Obiectum ſcientię, quia obijcitur ſcientiæ, vt color viſui, & ſonus auditui. Quia verò illi materiæ oſtenduntur conuenire quædam proprietates, vt ſubiecto, idcircò ab alijs ſubiectum etiam ſcientiæ dicitur. Materia autem, vel obiectum duplex eſt, aliud eſt obiectum formale, aliud verò materiale. Quod alij dicere ſolent, materiam duobus modis ſumi, aut pro re quæ tractatur, aut pro ratione formali tractandi. Obiectum formale, quod alio nomine dicitur adæquatum, vel attributionis, eſt illud, ſub cuius ratione tractantur omnia de quibus ſcientia agit, & cuius cauſa illa ſcientia à cęteris diſtinguatur; vt Phyſica omnia tractat ſub ratione entis mobilis: & ita diſtinguitur à Mathematicis, quæ nihil minùs quàm ens mobile curant. Obiectum autem materiale eſt, in quo reperitur ratio obiecti formalis ſcientiæ: ſicut etiam obiectum materiale viſus eſt lapis, aut lignum, quia in his inuenitur obiectum formale, viſus, id eſt, color, aut lux. Inter partes autem obiecti materialis, illa in qua ratio obiecti formalis maximè cernitur, vocatur obiectum excellens: vt inter ea quę tractantur in Phyſica, obiectum excellens eſt aut cœlum, aut anima.

Materia Docentis. Nunc ſit prima aſſertio. Obiectum adæquatum, formaleq; Dialecticæ eſt ens rationis, non tamen quoduis, ſed illud quod ad definiendum, diuidendum, & argumentandum pertinet. Probatur, quia ſub hac ratione tractantur omnia in Dialectica, teſtimonio etiam diui Tho. 4. Metap. lect. 4. id confirmatur. Vbi licet non vtatur his vocibus, formale, & adæquatum: tamen cum ibi de ſolo formali, & adæquato obiecto diſputare, patet legenti. Ait enim eo in loco obiectum Dialecticæ eſſe ens rationis, ſed eius verba de ſolis illis entibus rationis accipienda eſſe, quę ad Definitionem, aut Argumentationem attinent, manifeſtum eſt: quoniam, vt diximus cap. 2. de alijs entibus rationis, diſputant & Grāmaticus & Orator. Secunda aſſertio. Subiectum excellens Dialecticæ eſt Argumentatio nam inter hæc tria principatum obtinet. Tertia aſſertio. Subiectum Dialecticæ materiale ſunt actus mentis noſtræ, quia per hos fiunt definitiones, diuiſiones, & argumentationes. Et de hoc obiecto materiali loquitur diuus Thom. 1. Poſt. cap. 1.

Materia Vtentis. Hucuſq; locuti ſumus de Dialectica docente, nunc de vtente dicamus. Eius verò obiectum eſt omnis res, cùm in omnibus rebus definiat, diuidat, & argumentetur: & hęc eſt expreſſa ſententia Ariſt. 4. Meta. tex. 5. Quamuis poſsit intelligi de Docente Dialectica, quæ pro obiecto materiali proximo habet actus mentis noſtræ; pro remoto autem omnem rem, cùm omnis res poſsit actibus mentis noſtræ tractari.

Dubia aduerſus ſuperiora.

PRimum dubium. Ariſt. 4. Metaph. text. 5. docet, materiam Metaphyſicæ eſſe omnem rem, ergo hæc non poteſt eſſe materia Dialecticæ, nam ſcientiæ per obiecta diſtinguūtur. Reſpondetur, de eiſdem rebus poſſe diuerſas ſcientias pertractare, diuerſis tamen rationibus. Agit ergo Metaphyſicus de omni re, quatenus ens eſt: at

verò

verò Logicus agit de omni re,quatenus ſubit rationem generis, ſpeciei,&c. & hoc eſt quod alij dicere ſolent,ſcientias poſſe conuenire in obiecto materiali,non tamen in formali.

Secundum dubium eſt,quomodò Argumentatio ſit excellens obiectum Dialecticæ:nam inter omnia de quibus in Dialectica diſputatur,potiſsimùm eſt demonſtratio:ipſa ergo erit obiectum excellens.Ad hoc dubium reſpondetur, primum argumentum non eſſe contra concluſionem,quoniam Demonſtratio,Argumentatio eſt, & quicquid boni ineſt Demonſtrationi,ſubintelligebamus nos in Argumentatione. Iam verò ſi argumentum aliquid probaret,probaret ſubinde contra autores ſuos, Demonſtrationem non eſſe ſubiectum excellens,ſed Demonſtrationem potiſsimã: id eſt illam,quę vocatur Demõſtratio propter quid.Poſtremò ſi quis ita ſentire voluerit, excellens Dialecticæ obiectum eſſe Demonſtrationem,non repugnabo.

Tertium dubium.Nos diuiſimus vniuerſam Dialecticam in docentem & vtentem:quid ergo eſt quod ait diuus Tom.4.Metaphy.lect.4.Dialecticam demonſtratoriam habere doctrinam,non tamen habere vſum circa omnes res: quoniam hoc(inquit)fit in alijs ſcientijs:at verò Dialecticam quæ agit de ſyllogiſmis probabilibus, habere doctrinam & vſum circa omnes res.Idem enim eſt ac ſi dixiſſet; Dialectica Demonſtratoria, vel analytica,non diuiditur in docentem & vtentem:at probabiliũ Dialectica(id eſt Topica)diuiditur in docentem, & vtentem.Reſpondetur,proculdubiò omnem Dialecticam diuidi in docentem & vtentem.Quod ſi ita eſt, exiſtimandum eſt planè,nunquam diuinum illud ingenium voluiſſe negare, Dialecticam (demonſtratoriam diuidi in vtentem & docentem:ſed aſſerere nos poſſe vti argũmentis probabilibus in omnium rerum tractatione, etiam ſi aliæ ſcientiæ non intercedant, at non poſſe vti demonſtrationibus in omnibus rebus,niſi medient aliæ artes. Abditiſsimas enim demonſtrationes Arithmeticæ non poterit conſtruere Dialecticus, ſi fuerit penitùs Arithmeticæ ignarus:poterit tamen de rebus Arithmeticis, abſque Arithmeticæ ſcientia,probabiliter diſputare.

Demonſtratoria utẽs & docens

De Inſtrumentis. *Cap.* 7.

Videamus nunc Inſtrumenta,quibus vtitur Dialecticus, poſtquam egimus de Fine.Inſtrumentum enim eſt,quo artifex vtitur,vt finem ſuum conſequatur. Dico igitur primùm,Inſtrumenta Dialectici Docentis eſſe,præcepta,leges, definitiones, diuiſiones, argumenta, & omnia alia neceſſaria ad explicationem Definitionis, Diuiſionis & Argumentationis. Dico ſecundò, quoniam duplex eſt Inſtrumentum, aliud Commune,aliud Peculiare(Commune,quo artifex ſemper vtitur; ſicut manu faber:Peculiare, quo vtitur non ſemper, ſed pro negotiorum varietate;vt malleus) Inſtrumentum Commune Dialectici Vtentis eſſe Orationem:non quidem effuſam illam,qua vtuntur Rhetores,ſed conciſam,& breuem:hac enim vti debet Dialecticus in omni quæſtione. Dico tertiò, Inſtrumenta Peculiaria Dialectici Docentis eſſe Definitionem,Diuiſionem,& Argumentationem; nec his plura. Sunt quidem hæc inſtrumenta,quia eis Dialecticus vtitur:ſunt Peculiaria, quia non ſemper quolibet horum vtitur:non ſunt autem plura,quia finis Dialectici Vtentis eſt, omnem explicare quæſtionem:& certè omnis quęſtio aliquo horum inſtrumentorum explicatur. Etenim Quæſtio aut anceps eſt & ambigua,aut certa:ſi anceps, Diuiſione finitur: ſi certa & determinata,vel eſt ſimplex,vt quid eſt homo, & explicatur Definitione;vel

Inſtrumẽta docẽtis.

Inſtrumẽta Vtenis

eſt compoſita, vt eſt ne homo albus;& Argumentatione diſſoluitur.

Quæſita.

Quæſtio An res ſit quo Inſtrumēto explicetur.

Ordo Inſtrumentorum.

PRimùm videtur hæc Inſtrumenta non ſufficere ad omnem explicandam quæſtionem, ác proinde danda eſſe plura. Quatuor enim ſunt quæſtiones, ex Ariſt.2.Poſter. cap.1.videlicet An res ſit, Quid ſit, Qualis ſit, & Quamobrem talis ſit:ex quibus tertia & quarta Argumentatione explicantur:ſecunda Definitione. Prima verò quonam tandem Inſtrumento explicabitur:præſertim ſi fuerit certa, & non multiplex,& ambigua? Nam ſi ambigua fuerit,ipſa quidem, & aliæ tres Diuiſione explicabuntur.Reſpondetur, quæſtionem An res ſit,ſenſu,& experientia frequentiſsimè explicari.Veruntamen ſi non poſsit explicari ſenſu, probabitur Argumentatione. Argumentatio quippe etſi potiſsimùm propter quæſtiones compoſitas ſit inuenta, etiam inſeruit ſimplicibus quæſtionibus,dummodo in Enuntiationes reſoluantur.Demonſtratione enim probant Theologi & Metaphyſici Deum eſſe.Sed videtur hinc effici,Argumentationem priorem eſſe Definitione, contra quā ſentiunt noſtri Dialectici,qui primum locum Definitioni concedunt. Certè apud Ariſtot.2.Poſterior.capit.2.queſtio. An res ſit,præcedit quæſtionem Quid ſit:ergo ſi Argumentatio explicat rem eſſe,prior erit Definitioni,quæ quidnam res ſit,exponit.Reſpondetur,non oportere,vt ſi numerus aliquarum rerum ſumitur ab alijs, eūdem ordinem hæ inter ſeſe habeant,quem illæ:vt apud Ariſtot.2.de Cœlo,cap.2. ex tribus dimenſionibus(ſcilicet longitudine,latitudine, & craſsitie, aut profunditate) ſumuntur tria genera differentiarum ſitus.Verbi gratia:Ex longitudine, ſurſum, & deorſum:ex latitudine,dextrum,ſiniſtrum:& ex profunditate,ante,& ponè.Et tamen (ut ex Ariſtot.colligit diuus Thom.eodem loco, lect. 2.) Priores Differentiæ ſunt antè & ponè,quàm dextrum& ſiniſtrum:cùm alioquin nemo Geometrarum neſciat, priorem eſſe latitudinem profunditate.Idem in multis alijs rebus obſeruari potuiſſet,ſed eſſet in re facili teſtes quærere non neceſſarios. Quòd ſi his nou contentus, cauſam à nobis exigas, quare Argumentationis tractationem Definitionis diſputatio antecedat,accipe tres. Quoniam enim non ita paſsim de rerum exiſtentia quæſtio in diſciplinis agitari ſolet,ſed frequentiſsimè tanquam ſenſu,aut experientia nota relinquitur:& primùm quod interrogatur,eſt rei Diffinitio,qua data, ad Diſputationes& Demonſtrationes deſcenditur:Optimo ſanè conſilio autores priùs de Diffinitione,quàm de Argumentatione diſputant.Secunda cauſa eſt:quia licet quæſtio An res ſit prior,iudicetur quæſtione Quid ſit,ordine naturæ:tamen Ariſt.ipſe cap.2. Secundi Poſter.docet, quæſtionem An res ſit per Medium & Cauſam, aut Definitionem eſſe explicandam: quod latiùs etiam docet 9.cap.eiuſdem lib. Quia igitur ad demonſtrandum rem aliquam eſſe,ſumenda eſt pro medio Definitio eiuſdem rei, etiam ſi non ſit Eſſentialis:idcircò in diſciplinarum tractatione Definitio Argumentationi eſt anteponenda; vt pars oti.Iam verò tertiam accipe cauſam. Nunc de his Inſtrumentis acturi ſumus,hoc pacto,vt de Definitione agentes, raró ad eius leges, aut methodum oſtendendas argumentemur, ſed tantùm veluti exiomata quædam omnia tradamus.At de Argumentatione agentes,omnia ferè definiendo explicabimus.Quare meritò de Definitione,priùs quàm de Definitione,priùs quàm de Argumentatione ſermonem inſtituemus. Ac vt ſimus in præſtando, quàm in promitten-

ndo liberaliores, quartam etiam rationem adducamus. Definitiones ad primam entis noſtræ functionem, quæ ſimplicium intelligentia, aut apprehenſio dicitur, ertinent: Argumentatio verò ad tertiam operationem, quæ appellatur diſcurſus, eſt ferenda: ac proinde non ab re priùs de Definitione agitur.

Secundùm. Hæc tria quæ enumerauimus ſunt Obiectum, & Materia, vt dictum ſt cap. 6. Ergo non ſunt Inſtrumenta. Reſpondetur, hęc tria eſſe Materiam Dialecti Docentis, & Inſtrumenta Vtentis: quin etiam hęc eſſe Inſtrumenta Dialectici Docentis, quatenus ipſe Docens Dialectica vtitur. Præceptor enim, qui auditores doet Dialecticam, ea ipſa, qua præditus eſt, vtitur Dialectica. Immo quum aliquis autoidaſcalus per ſeipſum in Dialectica proficit, ad nouas concluſiones percipiendas, uti ur præceptis iam antea ex ipſa arte cognitis.

Tertium. Apparet multò plura eſſe Dialecticę Inſtrumenta. Regulis enim ſępæ Dialecticus vtitur & pręceptis: Methodo in tractandis quęſtionibus indiget: Interro ationibus non rarò agendum eſſe ei, docet in Topicis Ariſt. Inſuper Expoſitio (quę ihil alind eſt, quàm mentis noſtrę explicatio, quum aut alijs reſpondemus, ita ferè abere, aut ſecus, aut antequàm ab alijs interrogemur, animũ noſtrum eis aperimus) b auctoribus commendatur: igitur Regula, Methodus, Inter rogatio, Expoſitio deique, pluraiam conſtituent Inſtrumenta. Reſpondetur primò, non eſſe in more pud graues auctores, vt cùm res diuidunt, in minutiſsimas partes illas cõ cidant. Hoc nim potiùs contenti ſunt vno, ſi maiores partes numerent, ad quas cæterę poſſunt eferri. Nõnne animal in hominem, & brutum diuiditur? At ſi Philoſophi ſumus oncedamus oportet, Embryonem eſſe animal; nec tamen eſſe hominem (cùm nonlum rationali animo pręditum ſit) aut brutum: ſed referri ad hominem. Pręterea, Nonne Porphyrius quinque tantùm voces ſimplices, vniuerſas, atque Synonymas radit? At Metaphyſicorum placitum eſt, quodlibet Genus ſupremum conſtare nodo quodam interno, quod eius eſſentiam complet. Qui modus, licet ſimplex ſit, atque Synonymus, nec generis ſupremi eſt Genus, nec eius Species, aut verò Accidens. Differentia erit (inquies) aut affectio propria. Abſit. Propria enim affectio à naura manat, non eſt interna naturæ, ille verò modus, internus eſt, & eſſentiam complet. Differentiam verò non eſſe, colligit Caietanus, cap. de Differentia, ex ipſomet Porphyrio, aſſerente, Differentiam eſſe, quę diuidit ea, quę ſub eodem genere continentur. Genera autem ſuprema ſub eòdem genere minimè continentur: ergo ſaltem apud Porphyrium (nam de Ariſtot. dicam alio loco fuſius) ille modus internus non eſt Differentia. Pręterea docet Porphyrius, omnem Differentiam conſtituere Speciem, aut diuidere Genus: at ille modus internus nec diuidit aliquod Genus (cùm Ens non ſit Genus) nec conſtituit Speciẽ quia Genus ſupremũ Species eſſe non põt: Ergo non eſt Differentia. Liquet igitur dari aliquod prędicatũ Synonymũ & ſimplex, quod minimè eſt Genus, aut Species, aut aliquod eorũ quę in Porphyrio reperiuntur. Sed vir doctus ſatis ſe ſuo muneri feciſſe ratus eſt, enumerando ea prędicata Synonyma, ad quę alia quodammodo poſſent referri. Nam modus internus lata vocabuli ſignificatione etiam Differentię poteſt nuncupari. Quanquam igitur Dialecticę pręceptores tantùm illa tria numerent Inſtrumenta, non ſunt accuſandi; quia hęc quę nuper ſubiecta ſunt, ad illa poſſunt referri. Reſpondetur ſecundò, non numerari Expoſitionem, quoniam tantùm illa numerata ſunt Inſtrumenta, quę peculiarem exigunt tractationem. Methodus etiam non tam Inſtrumentum eſt, quã

De Regula, Methodo, & Expoſitione.

Modus Internus Generis Supremi an ſit Differẽtia, uel proprietas.

Ordo

Ordo, quem in vſu Inſtrumentorum ſeruare debemus. Interrogare denique, ſicut & regulis vti, facillimum eſt. Agamus igitur iam quod noſtri eſt muneris, & de tribus Inſtrumentis ordine pertractemus.

De Diffinitione Cap. 8.

INter hæc autem inſtrumẽta, primùm eſt de Diffinitione tractandum. Cur enim Argumentationem præcedat, diximus iam: & de Diuiſione ratio eſt in promptu. Nam Diffinitio rei eſſentiam explicat, & priùs eſt, abſque dubio, rem eſſe ſua eſſentia conſtitutam, quàm diuidi. Ac licet, ad Definitionem alicuius rei excogitandam, neceſſarium ſit, rem aliam ſuperiorem diuidere. vt ad definiendum hominem, diuidendum eſt priùs animal: tamen nos, qui definitiones iam ab alijs inuentas ſuſcipimus, priùs de Definitione tractare, ratio ipſa compellit: præſertim cùm ad intelligendam Diuiſionis naturam, neceſſaria ſit Definitio.

Quid, & quotuplex ſit Definitio.

Eſt autem Definitio oratio, quę id quod definitur explicat ambitu quàm breuiſſimo; vt animal rationale, eſt hominis definitio. Duplex verò eſt Definitio, alia Rei, alia Nominis: ſi enim rei explicet naturam, Definitio Rei eſt, vt animal rationis particeps: ſi verò potiſsimùm declaret alicuius nominis ſignificationem, erit Definitio Nominis; vt Theologus eſt, de Deo loquens; Philoſophus, amator ſapientię. In huiuſmodi quippe Definitionibus id modò agitur, vt alicuius nominis vis, aut Etymon explicetur. Definitio Rei eſt triplex, Eſſentialis, Cauſalis, & ea, quam Latiniores Deſcriptionem, alij Deſcriptiuam appellant. Eſſentialis eſt, quæ rei naturam declarat per genus & differentiam; vt animal rationis particeps, eſt Eſſentialis hominis Definitio; traditur enim per genus (nempe animal) & differentiam, nempe rationis particeps. Genus autem appello, quòd de pluribus ſpecię differentibus dicitur, in quæſtione qua quæritur, quid Res ſit. Vt animal eſt Genus hominis & bruti. Differentia verò eſt, qua inter ſe differunt, quæ ſub eodem genere cõtinentur, vt rationale diſtinguit hominem à bruto. Cauſalis Definitio eſt, quæ per rei genus, & cauſſam traditur: vt homo eſt animal peculiari conſilio à Deo creatum. Cauſa autem eſt, cuius vi aliquid fit; & eſt quadruplex, Materia, Forma, Agens, & Finis. Materia eſt, ex qua aliquid fit: vt ex ære ſtatua. Forma eſt, quæ dat eſſe rei. Cui Definitioni (ne competat Cauſæ Agenti) addendum eſt, intrinſecè, vt animus rationalis dat eſſe homini. Agẽs eſt, quod aliquid efficit, vt Sol Ranam. Finis denique eſt, cuius gratia aliquid fit, vt beatitudinis conſequende gratia, ſcelera plangimus. Ex omnibus igitur his cauſarum Generibus deſumi poteſt Cauſalis Definitio. Ex Materia, vt homo eſt animal, conſtans idoneo ad intelligendum corpore. Ex Fine, animal ad beatitudinem conſequendam creatum. Ex Forma, animal rationali animo præditum. Denique ex Efficiente, animal peculiari conſilio à Deo creatum.

Quatuor cauſarum genera.

Ad Definitionem ex cauſis reducitur Definitio ab effectis: nam ſæpè Cauſæ per Effecta definiuntur, cùm non ſemel contingat, Effectus nobis eſſe Cauſis notiores. Notior quippe eſt nobis importuniſsimus Caniculæ Effectus, ipſomet aſtro. Deſcriptio autem illa Definitio appellatur, quæ Rem per Genus, & propriam affectionem, aut accidentia explicat; vt homo, eſt animal riſus particeps. Nec tamen omnia Accidentia in Deſcriptione collocari debent, ſed ea quæ ſunt ad Rei naturam explicandam neceſſaria, aut ſaltem valde vtilia.

Hoc

Hoc quidem pacto loquendum eſt nobis, quando cum tyronibus agimus. Nam quum profecerint, peruenerintq; ad libros Ariſt. de Poſteriori Analyſi, docebimus eos, ſolam Definitionem Eſſentialem eſſe Definitionem Rei; alias verò omnes appellandas eſſe Nominis Diffinitiones: id quod egregiè (vt multa) eruditiſsimus Cardinalis Caietanus 2 Poſter. cap. 6. ex Ariſt. collegiſſe videtur; & in Prologo opuſculi de Ente & Entia ſub Finem apertiſsimè explicaſſe. Et confirmari etiam poteſt ex alio Ariſt. loco, cap. de Subſtantia in Categorijs: vbi docet, ſola genera & ſpecies Categoriæ Subſtantiæ, ac ipſarum differentias dici Nomine & Ratione de primis Subſtantijs; reliqua verò omnia ſolo Nomine de ipſis poſſe efferri. Quod ſi ita eſt, profectò qui dixerit, Petrum, aut hominem eſſe riſus compotem, aut coloratum, ſola ea quæ ad Nomen pertinent proferet. Sed quemadmodum patres filijs in tenera ætate conſtitutis, eorum ſe verbis accõmodant, & inarticulatas quodammodo voces proferunt; ſic decet præceptores, tantiſper nimiam eruditionem diſsimulare, & quandiu teneros habent diſcipulos, communem loquendi modum ſeruare; & etiam Deſcriptiones vocare Diffinitiones Rei. Quæ ſit verè Definitio Rei.

Leges Diffinitionis.

Tradita Definitione huius Inſtrumenti, expoſitisque eius diuiſionibus, tradendæ ſunt leges, quæ in Definitionibus ſeruari debent. Hunc nanque ordinem in explicãdis Inſtrumẽtis ſeruaturi ſumus. Prima lex eſt: vt Definitio conſtet Genere & Differentia, aut his, quæ locum Generis & Differentiæ obtinent; ordine tamen ſeruato; vt Genus primò collocetur; de qua re latiùs in quęſtionibus. Secunda lex. In Definitione nihil ſuperuacaneum eſſe debet, nec quicquã deeſſe. Definitio enim, metaphora ſumpta ab agrorum finibus, nuncupatur (ob quam cauſam ab alijs Finitio, ab alijs Terminus appellatur) at fines agrorum ſic agrum includunt, vt nihil eius extra relinquant, nihilvè admittant extraneum. Ergo Definitio totam, ſolamque rei definitę naturam debet explicare. Præterea ſi liceret in Diffinitione ſuperuanea addere, poſſet non competere omni definito; ſi neceſſaria detrahere, in alia à definito quadraret; vt hęc Definitio hominis, Animal rationis particeps candidum; non admittit Aethiopes. Hęc verò alia hominis Definitio, Subſtantia, corporea, animata, particeps ſenſus, bruta ad hominis conſortium trahit. Tertia lex. Definitio debet trahi per notiora: alio quin Res per illam minimè innoteſcerent, qui tamen eſt finis Definitionis. Quo fit, malas eſſe Definitiones, quę per inuſitata, incognita, aut antiquata verba traduntur. De qua re vide Ariſt. 2. Poſter. cap. 15.

De Methodo inueſtigandi Definitiones.

Ddamus vnicum verbum de Methodo Definitionis inquirendæ, quam tradit Ariſtot. 2. Poſter. cap. 14. Principiò Genus eius rei, quam volumus definire, inquirendum eſt; tum in ſuas differentias eſt diuidendum; illa quę relicta, quæ

quæ definito minimè competit,& aſſumpta alia,ac Generi copulata,ſi illa oratio,quę ex eis conficitur,reciprocatur cum Definito,iam habemus Definitionem:ſin minùs, totum illud compoſitum diuidatur,donec ad eum numerum perueniamus differentiarum,qui adiunctus Generi cum re definita reciprocetur. Vt ſi definire volumus Animal,diuidenda eſt Subſtantia (quæ Animalis Genus eſt) in corpoream, & corporis expertem:& reiecta ſubſtantia corporis experte, quia nondum ſubſtantia corporea cum animali conuertitur,ipſa equidem in viuentem,& in inanimē eſt diuidenda. Tandem ſubſtantia corporea uiuens diuidenda eſt in ſenſus participem, & expertem. Quia verò ſenſus expers non eſt animal, definitio animalis erit ſubſtantia corporea, vitæ, ſenſusq; particeps.

Quæſtiones.

An Definitio Cauſalis ab alijs diſtinguatur.

PRima. Dictum eſt,Definitionem Rei eſſe triplicem,aliam Eſſentialem,aliam Cauſalem, & aliam Deſcriptiuam. Quæ Diuiſio ſuperuacanea videtur, cùm Definitio Cauſalis contineatur ſub alijs generibus finitionis. Quod ita probatur. Nam Definitio Cauſalis uel traditur per cauſas internas,ut per Materiam & Formā; uel per externas,ut per Efficientem,& Finem. Si primùm, Definitio eſt Eſſentialis: ſi ſecundùm,Deſcriptio. Nam quare hæc Definitio,Animal rationale, erit Eſſentialis:& non hæc alia quæ per Formam traditur, Animal conſtans animo rationali? Præterea quare hæc erit deſcriptio hominis, Animal riſus particeps: & non ea quæ per Finem traditur,Animal ad beatitudinem conſequendam creatum, cùm propinquiùs ſit eſſentiæ humanæ, eſſe riſus participem,quàm eſſe creatum ad ſupernaturalem beatitudinem conſequendam. Illud enim à natura ſua homo habet, hoc uerò ex peculiari Dei omnipotentis largitate. Reſpondetur,propter hæc argumenta me arbitrari, Definitionem Rei tantùm in illa duo membra eſſe diuidendam, licet antea diuiſerimus in tria, tum ne aduerſus tantum Dialecticorum conſenſum,ſoli ſtare videremur;tum etiam vt daretur latiſsimus campus oſtendendi ex quot generibus cauſarum poſſent Definitiones depromi. Et certè Magiſter Soto Definitionem Cauſalem ex Materia & Forma,appellat Definitionem Eſſentialem Phyſicam: Definitionē autem aliam,quæ vulgò appellatur Eſſentialis,ut animal rationale, appellat Eſſentialem Metaphyſicam.

Cæterùm contra hęc eſt argumentum. Nam ſequeretur inde, hanc Definitionem,quę ſumitur ab hominis materia, Animal conſtans corpore idoneo ad intelligendum, Eſſentialem eſſe. Hoc autem falſum eſt. Etenim ſi Eſſentialis eſſet, conſtaret differentia, ſed non conſtat differentia,ergo non eſt Eſſentialis. Propoſitio nota eſt. Probatur aſſumptio. Differentia (vt aiunt Doctores) ſumitur à Forma, ſed id quod ponitur in illa Definitione loco Differentię, eſt Materia; ergo ab eo non poteſt ſumi Differentia. Antequam huic dubio reſpondeamus, oportet aliqua animaduertere. Vnum eſt, Genus non eſſe Materiam, neque Differentiam eſſe Formam. Siquidem Genus prędicatur in recto de re cuius eſt Genus, & Differentia item: at Materia, uel Forma non prędicantur in recto de toto compoſito;non enim homo anima eſt,aut corpus. Secundum eſt, Genus non ſumi à ſola Materia: etenim ſi animal à ſola hominis Materia ſumeretur, lapis quoque eſſet animal;quia eadem materia,quę eſt hominis, poteſt eſſe lapidis. Itē

Quomodo Genus & Differētia à Materia,& Forma ſumātur.

Genus ſumeretur à ſola Materia, nullum actum diceret, quia Materia eſt ens tantùm in potentia;at animal,quod eſt Genus, aliquem actum & perfectionem dicit. Tertium eſt,Genus ſumi à Materia,& Differentiam à Forma;quia Genus ſumitur ab eo quod ſe habet, vt Materia; & Differentia ab eo quod gerit vicem Formę: uerbi gratia: Homo habet eſſe ſenſitiuum,& eſſe intellectuale: & quidem in eſſe ſenſitiuo non clauditur actu eſſe intellectuale,vel rationale; quia aliquid poterit eſſe actu particeps ſenſus,quod non erit actu rationale. At uerò in rationali clauditur actu ſenſitiuum, quippe cùm nihil poſsit eſſe actu rationale,quin ſit actu particeps ſenſus. Et quia Materia ſe habet ut Potentia, Forma ut Actus; ideo ſenſitiuum, aut particeps ſenſus dicitur, habere modum Materię, & rationale, & diſcurſiuum modum Formę. Iam uerò quoniam animal ſumitur ab eſſe ſenſitino, & rationale ab eſſe diſcurſiuo, ideò animal (quod eſt Genus) dicitur ſumi à Materia; & rationale (quod eſt Differentia) dicitur ſumi à Forma. His poſitis,reſpondeamus iam argumento: Dico enim, Differentiam ſumi à Forma in ſenſu expoſito. Quod ideò dixerim,ut intelligãt omnes, quo ſenſu concedenda ſit propoſitio. Ad aſſumptionem uerò dico, illam Definitionem, de qua nunc diſputamus, non ſumi à ſola Materia, ſed à Materia, & Forma hominis. Nam eo ipſo quòd dicitur, hominem conſtare corpore idoneo ad intelligendum,dicitur conſtare animo rationali:nunquam enim corpus idoneum eſt, ut deſeruiat intellectioni, eiq; obiectum miniſtret, donec aduenit animus rationalis. Veruntamen adhùc ab aduerſarijs ita poteſt inſtari. Sequeretur non eſſe diſcrimen inter Definitionem ſumptam à Materia, & Definitionem ſumptam à Forma; ſi utraque ſumitur à Forma. Reſpondetur, eſſe diſcrimen,quod Definitio,quę vocatur à Forma, explicitè, & clarè Formam manifeſtat: at illa quę ſumitur à Materia,apertè quidem Materiam oſtendit; ſed tamen occultè etiam Formam indicat.

Secunda quęſtio eſt. An omnis Definitio quę ſumitur ex materia, ſit Eſſentialis. Reſpondetur, triplicem eſſe Materiam,Circa quam,In qua,& Ex qua. Materia Circa quam eſt obiectum alicuius ſcientię, uirtutis, potentię, aut uerò actus: nam circa obiecta ſua uerſantur hęc omnia. Definitio autem quę ab hac Materia ſumitur,erit illa quidem Eſſentialis,cùm ab obiecto ſumatur eſſentia horum omnium; uerùm nō erit Materialis Definitio:tale nanque obiectum habet ſe,ut Forma reſpectu iſtorum, cùm ab illo ſumatur cuiuſlibet eorū ſpecies. Erit itaq; Definitio Formalis.Sed materia In qua, eſt ſubiectū alicuius Formę, quā uolumus definire; ut homo eſt ſubiectū riſibilitatis, nix uerò candoris. Quando itaque Forma quę definitur,habet neceſſariam,& per ſe cōnexionem cum tali ſubiecto,uel Materia; Definitio quę ab illa Materia ſumitur, erit Eſſentialis ut ſi quis, Potentiam ad ridendum per hominem definiat. Quod ſi non habeat talem connexionem,erit Deſcriptio, ut ſi candor per hominem definiretur. Tandem Materia Ex qua,eſt illa,ex qua unà cum Forma aliquod totum componitur. Si igitur id quod definitur,per talem Materiam definiatur,ſine qua non poſsit conſtare (ut res viuens per corpus organicum) Definitio erit Eſſentialis:ſi uerò per eam,ſine qua poſsit conſtare, Deſcriptio erit; ut ſi quis cathedram per lignum definiat.

An omnis Definitio à Materia ſumpta ſit Eſſentialis

Tertia quęſtio. Quomodo Deſcriptio ponitur Definitio Rei, cùm nullius rei naturam declaret,ſed tantùm accidentia exprimat? Reſpondetur,Deſcriptionem declarare etiam naturam, ſaltem confuſè; licet pręcipuè explicet accidentia: quia accidentia ex Ariſto. 1. de Animo, magnam partem conferunt ad cognoſcendum quod quid eſt. De hac tñ Definitione quid ſentiendum ſit uiris doctis,iam ſupra diximus.

An Definitio Eſſentialis ſolo Genere, & Differẽtia conſtet.

Quarta. Nunc impugnare libet leges Definitionis. Dictum eſt Definitionem Eſſentialem tantùm conſtare Genere & Differentia,& quidem ordine quodam ſeruato. Primùm ita impugnatur. Ex Ariſtot.7.Metaph.tex.16.Accidentia propria habent ſuum quod quid eſt,& ſuam quidditatem;ex quo intelligitur,ea habere ſuam Definitionem Eſſentialem:at in Definitione accidentium iſtorum neceſſariò debet poni aliquid externum,quod non eſt Genus, aut Differentia:Ergo Definitio eſſentialis non tantùm genere, & Differentia conſtabit. Probatur aſſumptio. Etenim in Definitione,riſibilis, ponitur homo; alioquin hæc Enuntiatio, homo eſt riſibilis; non eſſent in ſecundo modo dicendi Per ſe. Secundus nanque modus dicendi Per ſe eſt,quando Subiectum ponitur in Definitione Prædicati,ut patet ex.1. Poſter.ca. 4.Reſpondetur, eam legem tantùm intelligi de Eſſentiali Definitione ſubſtantiæ cõpletæ,vt docet Chryſoſtomus Iauellus 7.Metaph.quæſt.7.Vnde in Definitione accidentium Eſſentiali clauditur aliquid externum,vt argumentum probat. At nec in ſolis accidentibus id verum eſt, ſed in quibuſdam quoque ſubſtantijs non completis,aut integris. Vt ſi quis velit definire Animam,ponet in eius Definitione corpus; quia anima non eſt ſubſtantia perfecta,atque completa, ſed pars ſubſtantiæ; nempe hominis. De hac re vide Cardinalem Caietanum,cap.de Specie. Immò Ariſt.ipſe eſt eiuſdem ſententiæ:dicit enim Simum ita definiri:Simus eſt naſus concauus.Cæterùm offert ſe dubium. Sequeretur eum,qui diceret, naſus ſimus committere nugationem. Probatur,nam loco alicuius nominis licet ponere eius Definitionem;vt docet Ariſt.2.Topic.Ergo loco Simi licet ponere eius Definitionem, nempe naſus concauus. Atque ita dicere naſus ſimus, idem eſt ac dicere naſus concauus: quæ eſt manifeſta nugatio,ideſt,eiuſdem vocis inutilis repetitio. Reſpondetur:loco nominis non licere ponere eius Definitionem,quĩ in illius Definitione Eſſentiali clauditur aliquid (vt aiunt) per additamentum:ideſt,quod neque Genus,nec Differentia eſt; ſed quidpiam eſſentiæ additum. Et quia Simum definitur per additamentum, non licet ponere eius Definitionem totam; ſed poſtquam ſemel dictum eſt Naſus,ſufficit addere quod eſt de eſſentia Simi, nempe, concauitatem. Quare naſus ſimus idem eſt quod naſus concauus,& nihil aliud. Nemo tamen verba noſtra ſuggillet, quia Definitionẽ accidentiũ Eſſentialem appellauerimus:eſt.n.reuerà Eſſentialis;quamuis non ita perfecta ut ſubſtantiæ Definitio. Quod ſi alicubi Ariſt. negat,accidentia habere Definitionem Eſſentialem, intelligendus eſt cum hac adiectione, ſi cum ſubſtantiarum Definitione conferatur. Quemadmodum alio in loco negat,accidentia eſſe entia,non quòd ſint non entia; ſed quia ſi cum ſubſtantia ea conferas,vix appareant entia. Vide ipſum 7.Metaph.tex.17.18.& 19. Denique leges quæ lib.3.cap.11.quæſtiuncula prima ſcribemus.

An loco nominis eius Definitio poſſit perpetuò collocari.

De ordine partiũ Definitionis.

Secundò,dicitur in eadem lege,Definitionem debere conſtare Genere & Differentia ordine quodam:ideſt,vt Genus ante Differentiam collocetur.Quod ab Ariſt. quidem aſſeritur 2.Poſt.cap.14. Sed uidetur nullius ponderis obſeruatio. Etenim ex 2.Periher.cap.1.verba tranſpoſita non mutant ſenſum,ergo idem eſt dicere, animal rationale,& rationale animal.Reſpondetur,tranſpoſitionem hãc Generis & Differentiæ poſſe fieri,aut ſola uoce elegantiæ cauſa,vt familiare eſt Ciceroni; aut etiam mente:ita uidelicet,ut primò mente concipiamus rationale,& deinceps animal. Si fiat priori modo,non admodum refert:ſi uerò poſteriori,redditur Definitio vitioſa: quod primùm ita probatur. Cùm in rationali claudatur animal, dicendo rationale, iam dicimus animal. Ergo ſi iterum addimus animal, iam fiet inutilis repetitio, &

nugatio,

ugatio, ſaltem impropria. Nec poteſt argumentum infringi, dicendo, ita quoque
robari, non poſſe dici, animal rationale; quia in rationali, clauditur animal: ergo qñ
oſt animal ponitur rationale, iterum in rationali intelligitur animal. Nō inquam in-
ringit hæc ſolutio argumētum: quoniam is qui intelligit rationale, neceſſariò debet
riùs intelligere animal, vt extrinſecum: quia Definitio rationalis eſt, animal habens
ationē. Vnde qñ ponitur priùs rationale, priùs debet intelligi animal: ſi ergo poſtea
ddatur animal, bis animal intelligetur. Cæterùm quando animal priùs ponitur, po-
cà adueniente rationali, cùm iam ipſum animal ſit extrinſecè intellectum, aut conce
tum, non oportet iterum concipi. Stat igitur primum argumentum. Secūdò proba
ur idem Genus, & Differentia habent ſe quaſi potentia. & actus, vt antea diximus;
x actu aūt & potentia vt vnum per ſe conſtituatur, actus debet aduenire potentiæ,
on potentia actui. Sed de his in Metaphyſica agendum eſt. Reſpondeamus iam ar-
umento: Locum illum Ariſt. Verba tranſpoſita non mutant ſenſum, non eſſe intelli
endum de Definitione, ſed de veritate Enunciationum; de quibus tunc Ariſt. diſpu
abat. Neq; porrò de omnibus Enūtiationibus illud dici poteſt. Magnum enim diſcri
ien agnoſcunt Dialectici inter has duas enuntiationes, Nullus homo non currit, &
Nonnullus homo currit; ob eam ſolùm cauſam, quòd negatio illa varium obtineat
tum: ut lib. 4. cap. 7. explicabitur. ¶ Quinta obiectio aduerſus tertium præceptum De Relatorum Definitionib.
nobis traditum. Dictum eſt, Diffinitionē debere tradi per notiora. Sic aūt diſputo.
num relatūm definitur per aliud, & unum non eſt notius altero: ergo Definitio nō
ebet tradi per notiora. Propoſitio eſt manifeſta. Probatur aſſumptio ex Ariſt. in Ca-
gorijs, vbi docet, relata eſſe ſimul natura, & eum qui definitè cognouerit vnum rela
orum, definitè cognoſcere reliquum. Cardinalis Caietanus in Iſagogem Porphyrij,
de Specie, tres aſsignat Solutiones. Principiò dicit, negādam eſſe propoſitionem. nā
diuo Alberto (magno profectò viro, ac diui Thomæ magiſtro) conſtat, unum
latorum non definiri per aliud, ſed ad aliud; ideſt, vnum relatorum non poni in Dif
nitione alterius ratione ſuimet, ſed ratione ordinis, quem aliud habet ad ipſum. Ver
gratia: filius nō ponitur in Diffinitione patris ſecundū ſe, ſed rōne ordinis, atq; ha-
tudinis, & reſpectus, quem habet pater ad ipſum. Non. n. dicimus, patrem eſſe fi'iū,
d patrem referri, aut ordinem habere ad filium. Et talis ordo eſt notior patre, cùm
t differentia patris, quā pater eſt. Secundò reſpondet, Relatum quod ponitur in
Deffinitione alterius, duobus modis poſſe conſiderari; primum ut terminat rela-
onem alterius ad ſe; ideſt, ut eſt Terminus, aut (vt ita dixerim) Scopus, in quem alte
m refertur; & quodammodo tēdit; & hac ratione eſt notius illo altero, in cuius De
nitione ponitur; quia terminans habet ſe vt actus; id verò quod terminatur, ut po-
ntia: Actus autem eſt notior Potentia: & ſub hac cōſideratione vnum Relatum po-
tur in Diffinitione alterius. Quo fit, ut ſimpliciter concedendum ſit vnum rela-
m quando definitur per aliud, definiri per notius. Secundò, Illud Relatum poteſt
nſiderari, non ut terminat relationem alterius ad ſe, ſed ut ipſum quoque refertur
id quod definitur: & ſic non eſt notius, nec ponitur in Definitione ſui correlati.
æc ſolutio eſt Auicennæ, nec reprehendit eam Caietanus, loco citato. Nihilominus
xpendemus, quæ ipſe docet 1. part. quæſt. 13. articul. 7. agnoſcamus, hanc ſolutio-
em non poſſe defendi. Docet enim ibi Caietanus, vnum Relatorum non terminare
lationem alterius ad ſe; niſi quatenus eſt correlatum. Vana ergo eſt hæc Auicennæ
ſtinctio, aut conſideratur Relatum ut terminans, aut ut correlatum, ſi nō alia ratio-
terminat niſi ut correlatum. Tertia ſolutio eſt, Argumentum non infringere no-

ſtram regulam. Nós ſiquidem minimè diximus, omnia quæ ponuntur in Definitione, debere eſſe notiora definito; ſed diximus, Definitionem debere tradi per notiora. Diffinitiones autem Relatorum etſi quatenus includunt ſuum Correlatum, non tradantur per notiora, ſed per æquè nota: tamen quatenus includunt genus ipſius Relati, traduntur per notiora. Exemplum. Pater ita definitur, Pater eſt, Relatum ad filium, & licet filius non ſit notior patre, tamen eſſe Relatum notiùs eſt, quàm eſſe patrem: uniuerſaliora enim ſunt notiora ex 1. Phyſicor. Cæterùm cui nulla harum ſolutionum placuerit, poterit reſpondere, Definitionem debere tradi per notiora, ſi res illa habeat notiora. Deniq; melior ſolutio, ac planior his oīb. eſt, abhac regula, de qua nūc eſt diſputatio excepiſſe Ariſ. Relata 6. li. Top. loco 20. in Boetij verſione.

An oēs Definitionis partes latius pateāt re definita.

Sextò. Quæritur, an leges traditæ, ſufficiant ad bonam Definitionem conſtituendam. Videtur enim non ſufficere: nam hæc Definitio, Animal rationale, ſeruat omnes leges à nobis traditas; & alioquin non eſt bona. Ergo leges traditæ ad bonā Definitionem non ſufficiunt. Propoſitio patet. Aſſumptio probatur. Ex Ariſt. 2. Poſterior. c. 14. oīa membra Definitionis ſimul ſumpta reciprocantur cum re diffinita, at verò quodlibet eorum per ſe eſt eò latius, & ſuperius; ſed hoc nō competit huic Definitioni, cùm Rationale conuertatur cum homine: Ergo non eſt bona. Et quidem huius ſecundi argumēti aſſumptio eſt manifeſtiſsima. Propoſitio verò probatur exēplo Ariſt. Ternarius ſic definitur. Numerus impar vtroque modo primus: & certè Numerus latiùs patet, quàm ternarius: impar alijs competit à ternario: deniq; vtroq; modo primus conuenit etiam binario. Duobus nanq; modis vocatur aliquis numerus primus; vno, quia non habet intra ſe numerum, quo aliquoties ſumpto menſuretur: & hoc quadrat in Binarium, Quinarium, Septenarium, &c. non tñ in Nouenariū, quia nouenarius habet intra ſe ternarium, qui ter ſumptus conſtituit nouenarium. Altero, quia non componitur ex pluribus numeris: qua acceptione binarius, & ternarius tantùm ſunt numeri primi. Quanquam igitur ſingulæ Definitionis partes cōpetant alteri, quàm rei quæ ſub Definitionem cadit, tamen omnes ſimul ſumptæ æquantur ternario. Reſpondetur, illud non eſſe preceptum in vniuerſum ſeruādum; ſed præceptum eſt, ut licet, aliquando accidat ſingula Definitionis membra latius patere, definito, omnia certè adunata cum ipſo reciprocentur.

Ariſt. ingenium.

Libet hoc loco adnotare, Ariſt. 2. Poſt. cap. 14. & 15. & lib. 6. Topic. infinitas propemodum Definitionis leges tradidiſſe. Qua in re (meo iudicio) Stoicis in Sapiente aſsignando, & Ciceroni in Oratore quærendo ſimilis fuit. Quemadmodum .n. Stoici ita omni perturbatione, aut paſsione liberum eſſe volebant hominē Sapientem, ut talem virum nunquam mundus habuerit & Cicero Oratorem quæſiuit ita in omnibus Rhetoricæ partibus inſtitutum, vt vix eum cogitare, nedum inuenire potuerit: Sic Ariſtot. tot leges Definitionis tradit, ut vix ac ne vix quidem reperias Definitionem, quæ omnes ſeruet: nam quas ipſe in ſuis libris Definitiones aſsignat, ut poſsint defendere interpretes, ualde laborant. Fuit enim ut in præcipiendo grauis, & acutus, ita in ſeruando præcepta remiſſus: & cùm onera grauia nobis impoſuiſſet, ne digito quidem ſuo ea tangere voluit. Videas ipſum in libris Poſteriorum, accuratiſsimè, & ſcrupuloſiſsimè de Demonſtratione tractantem, deinde verò quum nititur quidpiam demonſtrare, potiùs aliquando coniectari, quàm Demonſtrationes inueniſſe, videtur. Lege quæ de mundi æternitate docet, quæ de immenſitate primi Motoris, quæ de vnico Mūdo, quæ de numero Intelligentiarum, quæ de motu ad Categoriam Qualitatis: & vide, ſuſpicarine, an ſcire videatur. Scientia autem effectus

Amicus Plato, amicus Socrates, ſed quāuis odium pariat, magis amica ueritas.

Demon-

Demonſtrationis eſt,ſuſpicio coniecturæ,& quidem leuiſsimæ. Certè hæc non eo
animo dixerim,ut Principi detraham Philoſophorum; ſed ut tacitè reſpondeam im-
portuniſsimis argumentis,quæ ex 6.lib.Top.contra Diffinitiones;& ex libris Poſte
riorum contra Demonſtrationes, & Diffinitiones ſolent adduci. Reſpondendum
eſt enim,requiri omnia illa ad accuratiſsimas Definitiones,aut Demonſtrationes; ve
rùm pauciora ad bonas,& ſatis probatas Definitiones, Demõſtrationeſuè ſufficere.
Septima obiectio contra artem inueſtigandi Diffinitionem. Si illa Methodus
bona eſſet,ſequeretur hac ratione poſſe Definitionem probari : Homo eſt animal,
& non eſt irrationale, ergo eſt animal rationale:ſed Ariſt.2.Poſt.c.5.docet per ſyllo-
giſmum diuiſorium non poſſe demonſtrari Definitionem : Ergo methodus illa re-
jicienda eſt. Reſpondetur,Ariſtotelem loco citato tantùm velle oſtendere, nõ poſſe
fieri Demonſtrationem potiſsimam,ad probandum Definitionem alicuius de ipſo:
non tamen negat,poſſe fieri Syllogiſmum,qui id oſtendat.

De Diuiſione altero diſſerendi Inſtrumento. Cap. 9.

Diuiſio alterum eſt Dialecticorum Inſtrumentum. De qua tractaturi,primùm
ea,quæ de ipſa populariter aſſeruntur dicemus; explicantes quid,& quotuplex
ſit, & quæ præcepta debeat obſeruare:deinde verò inter dubitandum quædam reij-
ciemus. Diuiſio eſt communioris in minus communia diſtributio : ut animal aliud
homo, aliud brutum. Diuiſio autem eſt duplex,alia Nominis, alia Rei. Nominis
eſt,quæ alicuius nominis ſignificationes enumerat, vt Canis,alius cœleſtis, alius ter-
reſtris,alius tandem marinus. Quòd diuidendi genus ad manum habere oportet, ad
ambigua,& Homonyma explicanda. Diuiſio Rei eſt, rei communioris in minus com
munes diductio;ut animal,aliud homo,aliud brutum. Cæterùm Diuiſio Rei duplex
eſt. Nam Totum eſt duplex;aliud Integrum,aliud Vniuerſum. Totum Integrum
eſt,quod ſuis partibus neq; nomen tribuit,nec rõnem;vt domus,quæ in fundamẽto
parietibus,& tecto conſiſtit;cùm fundamentum non ſit domus, nec tectum domus
appelletur. Totum Vniuerſum eſt, quod tribuit ſuis partibus nomen, & ratio-
nem ; vt homo, & brutum animalia ſunt. Diuiſio ergo Rei eſt gemina, quædam
totius Integri in ſuas partes, vt domus,alia pars eſt tectum,alia fundamentum,alia pa
rietes:quædam totius Vniuerſi in partes ſibi ſubiectas,ut animal, aliud homo, aliud
brutum. Dimiſſa autem Diuiſione totius Integri,quæ Partitio nuncupatur,agamus
de Diuiſione totius Vniuerſi:hæc duplex eſt,quædam Per ſe, quædã per Accidens;
aut (vt quidam loquuntur) alia eſt Eſſentialis,alia Accidentia. Diuiſio Per ſe eſt, cu-
ius partes neceſſariò connectuntur cum diuiſo;vt animal,aliud homo,aliud brutum:
& hæc aut eſt Generis in Species,cuius ſcilicet diuiſum eſt Genus, & membra diui-
dentia ſunt Species:ut in exemplo ſuperiori liquet;aut Generis in Differentias, cu-
ius diuiſum eſt Genus,& membra diuidentia ſunt differentiæ;vt animal aliud ratio-
nis particeps,aliud expers. Præterea Diuiſio per Accidens eſt,cuius membra diuidẽ-
tia ex Accidenti,& non per ſe connectuntur cum diuiſo; vt animalium aliud album,
aliud nigrum,aliud medio colore affectum. Rurſum Diuiſio per Accidẽs triplex eſt,
Subiecti in accidentia,vt ſuperior:Accidentis in ſubiecta,vt album,aliud homo,aliud
nix,aliud papyrus;ac denique Accidentis in accidentia,vt Muſicus,alius albus, alius
Aethiops,& alius medio colore affectus.

Totum integrum,& vniuerſũ.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Præcepta bonæ Diuiſionis.

HI autem ſunt canones,quos diuidendo ſeruare debemus. Primus. Oportet partes Diuiſionis exhaurire totum diuiſum,eo pacto atque lege,vt nihil ſub diuiſo contineatur, quin etiam ponatur ſub aliqua Diuiſionis parte: ſicut nihil poni debet ſub partibus diuidentibus,quod ſub diuiſo minimè contineatur. Quare hæc eſt mala Diuiſio, Animalium aliud piſcis, aliud auis. Secundus canon. In Diuiſione nihil contineri debet ſuperuacaneum. Quo fit,vt hæc ſit mala Diuiſio, Animalium aliud homo,aliud brutum,aliud album. Hinc ſequitur tertius canon,ſcilicet membra diuidentia debere eſſe oppoſita. Oppoſita,inquam,aut re,aut ſola ratione. In hac enim Diuiſione, quam diuus Ambroſius primo Officinorum tradit; Bonum,aliud honeſtum,aliud delectabile,aliud vtile,membra non ſemper re opponuntur,ſed ratione ſola. Medicina quippe dulcis, eſt delectabilis,& utilis, & honeſta etiam erit, ſi alicuius uirtutis gratia ſanari homo velit. Sed Plato quartum præceptum addere uoluit in Politico & Sophiſta, vt diuiſio ſit bimembris. Quod præceptum reprehenditur ab Ariſt.primo de Part. animalium, capit. 2. Quia cùm virtus Cardinalis poſsit vnica Diuiſione in prudentiam,iuſtitiam,temperantiam, & fortitudinem diuidi; quare diuidetur in prudentiam,& non prudentiam;& deinde non prudentia in temperantiam,& non temperantiam: atque ita deinceps. Solent quidam hoc loco de methodo argumẽtandi ex Diuiſione,agere,ſed id opportunè fiet cap.5.lib.7.

Platonis præceptũ.

Huius capitis difficultates.

PRrima. Quomodo dictum eſt nomen totius Integri non competere eius partibus? Duplex nanque totum Integrum à Philoſophis ponitur,aliud Homogeneum,aliud Heterogeneum: Homogeneũ eſt,cuius partes eiuſdem rationis ſunt cum ipſo;vt quælibet pars aquæ, eſt aqua:diciturque à Latinis totum Similare. Heterogeneum eſt,cuius partes ſunt diuerſæ rationis à toto;vt domus: vocaturque totum Diſsimilare. Ergo ſaltem ſententia noſtra erit falſa in toto Homogeneo. Reſpondetur,negando conſequentiam. Nam totum Integrum,etiam Homogeneum, duobus modis poteſt conſiderari; primò,vt totum Integrum eſt: ſecundò,vt participat nomen totius Vniuerſi. Verbi gratia; Aqua paludis poteſt conſiderari, vt totum Integrum eſt: ſcilicet,vt implet totum lacum:& tunc nomen eius eſt hoc, Aqua implens totum lacum: & breuitatis cauſa vocetur aqua B,vel aqua C. Secundò poteſt conſiderari,qua tenus competit ei nomẽ aquæ,quæ eſt totum Vniuerſum ad omnem aquam in orbe exiſtentẽ;& hac ratione nomen eius eſt ſimpliciter Aqua. Licet ergo hæc enuntiatio vera ſit hæc particula aquæ huius paludis eſt aqua: tamen hæc eſt falſa, hęc particula aquę huius paludis eſt aqua: B,uel C;quia ſignificat,hanc particulam aquę eſſe illam aquam, quę implet totum lacum: quod quidem eſt falſum. Perſpicuum eſt igitur, totum Integrum,quamuis ſit Homogeneum,non prędicari de ſuis partibus, quà totum Integrum eſt. Non prędicari inquam in recto; nam in caſu obliquo bene poteſt prędicari, ſicut & totum Heterogeneum. Hęc enim enuntiatio vera eſt, Brachium eſt hominis. Reſpondetur ſecundò prędictum argumentum;ſi quid probat, probare etiam partem Integrantem prędicari de toto Integro.Sicut enim nomen totius aquę paludis competit eius parti,non tamen loquendo

Totũ Homogeneũ, & Heterogeneum.

quēdo de aqua paludis, ut totum Integrum eſt; ita nomen partis integrantis conuenit toto Integro: nam tam hęc particula aquę, quàm tota aqua paludis, eſt aqua.

Secunda occurrit difficultas contra id quod diximus, diuiſionem Rei eſſe duplicē, aliam totius Integri in ſuas partes, aliam verò totius Vniuerſi in partes ei ſubiectas. Etenim hęc diuiſio, Hominis alia pars eſt corpus, alia anima; nec eſt totius Vniuerſi in ſuas partes, vt cōſtat; nec totius Integri in ſuas: ergo ſunt plura genera Diuiſionis. Antecedens quoad ſecundā partem probatur; quia cùm anima & corpus nō diſtent ſitu & loco, non poſſunt partes integrantes vocari. Reſpondetur, argumentum concludere: & ita Diuiſionem Rei hac ratione eſſe diuidendā. Diuiſio Rei alia totius integri in ſuas partes, alia totius eſſentialis in ſuas partes eſſentiales Phyſicas; vt hęc modò adducta: alia verò totius vniuerſi in ſuas partes. Qua aūt ratione partes eſſentiales Phyſicę ab integrantibus diſtinguantur, lege in Magiſtro Soto 1. Phy. quęſt. 3. *Diuiſio totius in partes eſſentiales.*

Tertia difficultas. Dictum eſt, Diuiſionem Per ſe eſſe duplicem, aliam Generis in ſpecies, aliam Generis in differentias. Hęc Diuiſio, Ens aliud ſubſtantia, aliud accidens, eſt Diuiſio rei vniuerſę; quoniam ens quod diuiditur in decem Categorias, eſt ens rei; & pręterea eſt vniuerſum: vt libro ſequenti, capite vndecimo oſtendemus: & eſt Diuiſio Per ſe, quia per ſe ſubſtantia eſt ens, & accidens quoque. Ac pręterea nō eſt Diuiſio Generis in ſpecies, aut differentias: quoniam ens non eſt genus; teſte Ariſtotele 4. Metaphyſ. text. 2. & Porphyrio in Iſagoge, capite de Specie. Ergo datur alius modus Diuiſionis Per ſe. Reſpondetur libentiſsimè concedendo, non tantùm eſſe duas ſpecies Diuiſionis Per ſe totius vniuerſi; ſed addendam eſſe tertiam, ſcilicet Analogi in Analogata. qualis eſt Diuiſio Entis. *Analogi in eius inferiora Diuiſio.*

Quarta. Hęc diuiſio, Animal aliud quod ridere poteſt, aliud quod mugire, &c. eſt Diuiſio rei uniuerſę; & eſt Per ſe: quoniam ex Ariſt. 1. Poſter. cap. 4. genus per ſe cōnectitur proprietatibus ſuarum ſpecierum, vt neceſſum eſt lineam aut rectā eſſe, aut curuā: & numerū, aut parē aut imparē atqui illa diuiſio nō eſt Generis in ſpecies, aut in differētias; vt cōſtat: ergo datur aliud Diuiſionis genus. Dices, Continetur ſub Diuiſione Generis in differentias, quia homo non modo differt à belua, quoniam eſt animal rationale, ſed etiā quia poteſt ridere. Verùm hac ſolutione non euertitur argumentum. Nam quum ſupra numerata eſt Diuiſio Generis in differētias inter Diuiſiones Per ſe, aut differentia ſumebatur pro differentia eſſentiali tantùm, aut vt cōprehendit etiam differentias accidentarias. Si priori modo, riſibile non eſt differentia, ſed proprietas: ſi poſteriori, certè ſub Diuiſione generis in differentias claudetur Diuiſio ſubiecti in accidentia: qualis eſt hæc, Animal aliud album, aliud nigrum, aliud medio colore affectum; nam hæ etiam ſunt accidentariæ differentiæ: teſte Porphyrio, cap. de differētia. Reſpōdetur, propter hoc argumentum eſſe defendendum, illis Diuiſionibus, quæ enumeratæ ſunt, poſſe addi quartum genus Diuiſionis Per ſe, nempe generis in proprietates. *Generis in pprias affectiones Diuiſio.*

Sunt tamen qui arbitrantur, huic, præcedentiq; difficultati poſſe aliter reſponderi, dicendo; Diuiſionē Analogi in Analogata referri ad Diuiſionem Generis in ſpecies, ac Diuiſionem Generis in proprietates ad diuiſionem Generis in differentias. Sed nō placet ſolutio. Etenim ſi Diuiſio Analogi in analogata refertur ad Diuiſionem generis in ſpecies; quare ergo Diuiſio generis in differentias non refertur ad Diuiſionem generis in ſpecies; pręſertim cùm magis differant Analogum & Analogatum à Genere & Specie, quàm Genus & Differentia à Genere & Specie? Item plùs differt proprietas à differentia, quàm differentia à ſpecie: nam differentia & ſpecies ad

eandem ſemper attinent Categoriam; proprietas autem & differentia non item: Ergo multò magis referri debet Diuiſio generis in differentias ad Diuiſionem generis in ſpecies,quàm Diuiſio generis in proprietates ad Diuiſionē generis in differentias. At quoniam 2. Topicorum monet Ariſtoteles, ſæpe loqui vt plures loquuntur,& ego nominum quæſtiones ſuſcipere nolo, appellentur hæ diuiſiones vt libuerit,referantur vt placuerit: dummodo intelligatur,dari aliquas Diuiſiones Per ſe,quæ ſunt Analogi in Analogata,& alias generis in proprietates. Scio enim morem Doctorum in diuidendo,de quo dixi ſupra,cap.7.obiectione vltima.

Quinta difficultas. Quare non eſt facta mentio Diuiſionis ſpeciei in indiuidua? Reſpondetur: Quia magiſter Plato(vt Porphyrius ait)iubebat,ſpecies in ſcientijs nō diuidi in ſingularia,quòd ſint ferè infinita.

Sexta. Quomodo Diuiſio accidentis in accidentia vocatur per accidens,cùm hæc diuiſio,color alius candor,alius atror,alius medius,ſit accidentis in accidentia,& nō ſit accidentaria? Albedo enim per ſe colori eſt cōnexa. Reſpondetur, Diuiſionem hāc eſſe accidentis in accidentia,ſumendo accidens,ut ſignificat quidquid con tinetur in nouem Categorijs;qua ratione non ſumitur nunc:ſed accipitur nunc, vt ſignificat illud quod alteri accidentariò, contingenterque conuenit. Et quia diuiſum huius Diuiſionis non conuenit contingenter membris diuidentibus, ideò non eſt accidentis in accidētia, ſed generis in ſpecies. Color enim reſpectu corporum,accidens eſt:reſpectu albedinis,genus.

Septima difficultas contra primum bonę Diuiſionis præceptū. Hæc Diuiſio eſt bona,Animal aliud album,aliud nigrum, aliud medio colore affectū;& nihilominus aliquid continetur ſub membris diuidentibus:quod minimè continetur ſub diuiſo. Nix ſcilicet,quę alba eſt,& animal non eſt. Reſpondetur, album duobus:modis poſſe conſiderari, aut ſecundùm ſe tantùm, & hac ratione continet ſub ſe niuem, aut ut pertinet ad hanc Diuiſionem,& hoc pacto non eam continet. Nam,vt pertinet ad hanc Diuiſionē,debet unà cū eo ſubintelligi animal;ita vt ſenſus Diuiſionis ſit iſte; Animal, aliud eſt animal album,aliud eſt animal nigrum,aliud eſt animal medio colore affectum: & ita nix nō continetur ſub albo. Cæterùm contra hanc receptiſsimā ſolutionem eſt argumentum; Si Diuiſio ſuprapoſita ita eſſet explicanda, ſequeretur eam non eſſe per Accidens,ſed Per ſe. Probatur. Nam quodlibet membrorum diuidentium habet neceſſariam connexionem cum diuiſo. Siquidem animal album neceſſariò eſt animal,& oppoſitum inuoluit repugnantiam:vt lib.4.cap.13.oſtendemus. Reſpondetur. Ad hoc ut aliquod membrū dicatur habere neceſſariam connexionem cum diuiſo, nō eſſe conſiderandum quatenus claudit in ſe diuiſum:alioquin omnis Diuiſio eſſet Per ſe; & omnia membra haberent neceſſariam connexionem cum diuiſo: ſed ratione eius quod includit præter ipſum diuiſum:ita vt ſi illud additum diuiſo habeat neceſſariam connexionem cum ipſo,Diuiſio ſit Per ſe;ſin minùs, Accidentaria. Et quia id quod addit animal album ad animal,eſt tantùm album, & album non habet neceſſariam cōnexionem cum animali;ideo hæc Diuiſio,Animalium aliud album,aliud nigrum,&c. eſt per Accidens. Poſſunt tamen (vt videtur) duo hinc incommoda ſequi alterum eſt, hanc Diuiſionem,Hominum alij ſunt Grāmatici, alij Rhetores,alij Phyſici,&c.alij nihil horum ſunt, eſſe tamen poſſunt, eſſe per ſe; quòd profectò nemo concedet. Probatur complexio: Nam Grammaticus habet neceſſariam connexionem cum homine,cùm nemo poſſit habere ſcientiam Grammaticæ,id eſt,habitum rerum Grammaticarum demonſtratione acqui-

ſitum,

ſitum, niſi fuerit homo;& idem dico de Rhetore. Alterum incommodum:Sequeretur hanc diuiſionem, Animalium aliud præditum eſt voluntate,aliud caret illa:vel aliud intellectu conſtat,aliud eo deſtituitur;non eſſe Per ſe. Patet,quia habens uoluntatem, non habet neceſſariam connexionem cum animali;cùm Angeli ſint prædi ti voluntate, & non ſint animalia. Quòd ſi dicas,illud membrum, habens volunta tem,habere neceſſariam connexionem cum animali,quia debet ibi ſubintelligi diuiſum, nempe animal; iam hæc ſolutio eſt exploſa. Hæc argumenta petunt à nobis, quid intelligamus, quum dicimus, aliquod membrum habere neceſſariam connexionem cum diuiſo. Reſpondetur in primis, ad hoc non ſufficere, ſi ipſum membrum diuidens non poſsit vlla ratione intelligi ſine diuiſo;aliàs argumentum illud de Grammatico & Rhetore firmum permaneret. Sed tunc membrum diuidens iudi candum eſt,habere neceſſariam,& Per ſe connexionem cum diuiſo,quando vel directè continetur ſub diuiſo,ſicut homo ſub animali,& ſubſtantia ſub ente;uel quando ita connectitur inferioribus illius diuiſi, vt talium inferiorum naturæ non poſsint ſine ipſo reperiri: ſed quædam inferiora ipſius diuiſi habeāt neceſſariam connexionem cum altero membrò diuidente, & quædam cum oppoſito. Quia ergo habens voluntatem,ita competit quibuſdam inferioribus animalis,ut neceſſariò debeat eſſe coniunctum eſſentijs eorum animalium, ideò illud membrum dicitur neceſſariò & per ſe connecti cum animali.Verbi gratia, Intellectus neceſſariò coniunctus eſt cuidam animali,nempe homini; & ab alio animali neceſſariò ſeparatur, ideſt, à bruto: ideò habens intellectum neceſſariam cōnexionem habet cum animali. Quò fit,vt ex duabus nunc propoſitis diuiſionibus, prior ſit accidentaria, poſterior neceſſaria.

De Argumentatione, tertio Dialecticorum Inſtrumento. Cap. 10.

Tertium Inſtrumentum Dialecticum eſt Argumentatio, de qua non priùs diſſeremus,quàm explicauerimus quid ſit Enuntiatio: ex Enuntiationibus nanque ipſa Argumentatio coaleſcit. Enuntiatio eſt oratio verum, aut falſum ſignificans, vt,homo eſt animal. Et quidem Enuntiatio tribus partibus ſæpiſsimè conſtat,Subiecto,Attributo,& nexu vtriuſque. Subiectum eſt prior Enuntiationis pars,cui tribuitur altera; ut illa vox, homo, in ſuperiori Enuntiatione. Attributum, vel Prædicatum eſt poſterior Enuntiationis pars,quæ tribuitur alteri,uel illa vox,animal. Nexus autem,ſiue Copula eſt verbum Sum, es,fui,quo Prædicatum Subiecto connectitur. Dixi,Enuntiationem ſæpe his partibus conſtare: tum propter Enuntiationes ſecundi Adiacentis,quæ non conſtant Prædicato,licet reduci poſsint ad Enuntiationes Prædicato conſtantes: vt patet in hac Enuntiatione, Homo eſt. Tum propter Hypotheticas, quæ non conflantur ex Subiecto, & Prædicato; ſed ex duabus Enuntiationibus; vt hæc Enuntiatio, Si Sol lucet,dies eſt.Et quidem Enuntiatio (vt Cicero docet) Græcè dicitur Axioma, Latinè verò appellatur etiam Enuntiatum, Effatum,ſiue Pronuntiatum. Argumentatio autem eſt oratio ex antecedente,& conſequente; veluti ſuis partibus conſtituta, quas coniunctio aliqua inferendi connectit: vt homo eſt animal,ergo homo eſt ſubſtantia. Antecedens eſt prior Argumentationis pars,ex qua altera ſequitur; vt illa Enuntiatio,homo eſt animal, in ſuperiori Argumentatione. Conſequens autem eſt poſterior pars,quæ ex alia infertur; vt illa enuntiatio,Homo eſt ſubſtantia,in ſuperiori Argumētatione. At coniunctio inferendi eſt,Ergo,uel Igitur. Requiritur tamen coniunctio inferendi,quia hæc oratio, Si Sol lucet, dies

Enūtiatio

Argumentatio.

dies eſt,conſtat antecedente,& conſequente; nec tamen eſt Argumentatio:quia illud antecedens non iungitur conſequenti, media inferendi coniunctione. Antecedens inſuper Argumentationis eſt geminum,ſimplex ſcilicet,& compoſitum.Simplex eſt, quod vnica enunciatione conſtat,vt in Argumentatione ſuperiori liquet: compoſitum verò, quod pluribus;vt in hoc ſyllogiſmo;Omne animal eſt ſubſtantia, omnis homo eſt animal,ergo omnis homo eſt ſubſtantia. Antecedens eſt compoſitum ex duabus Enuntiationibus,quarum prior vocatur Maior,vel Propoſitio:Poſterior autem Minor, vel Aſſumptio.

Quotuplex ſit Argumentatio.

Argumentatio eſt duplex,alia bona,alia mala;bona eſt,in qua ex antecedente ſequitur conſequens;vt homo eſt animal;ergo homo eſt ſubſtantia:mala autē in qua ex antecedēte nō ſequitur conſequens;vt Plato vixit ergo Ariſtoteles vigilat. Sed mala argumentatio reuerâ Argumentatio non eſt non enim conſtat antecedente & conſequente.Conſequens ſiquidem eſt, quòd ſequitur ex antecedente; at in mala Argumentatione id, quod appellatur Conſequens non ſequitur ex antecedente.Et quidem in ſtatua non eſt verè caput aut cor,ſed Analogicè;quia tametſi aliqua pars ſtatuæ locum eum occupet, quem in nobis caput iurè ſibi vendicat,non eſt caput;ſicut nec verè influit in membra.Idem omninò de priori & poſteriori malę Argumentationis parte iudiciū eſt.Quamobrē nō eſt vocanda omninò Argumētatio, ſed cum adiectione Argumētatio mala:quemadmodū Ariſ.1.Top.c.j.non vult oēm captioſam rōcinationem appellari ratiocinationem,ſed malam ratiocinationem.Bona Argumentatio eſt duplex, alia ratione formæ, alia ratione materiæ.Bona Argumentatio ratione formæ eſt, in qua ita conſequens ex antecedente infertur, vt in quibuſcunque vocabulis,ſeruata ſimili methodo argumentandi,nunquàm poſſit dari antecedens verum, & conſequens falſum:vt patet in hoc Syllogiſmo,qui eſt in Barbara,Omne animal eſt ſubſtantia,omnis homo eſt animal;ergo omnis homo eſt ſubſtantia. Argumentatio bona ratione materiæ eſt,in qua ex antecedente ſequitur conſequens,in illis vocabulis,aut ſimilibus,in alijs tamen poterit dari antecedēs verum, & conſequens falſum:vt omnis homo eſt riſibilis, ergo omne riſibile eſt homo.Nō enim hęc argumentandi formula in omnibus vocabulis firma apparet,vt non ſequitur,Omnis homo eſt animal ergo omne animal eſt homo.Efficax tamen erit quotieſcunque argumentabimur in terminis,qui viciſſim commeent:vt homo,& riſus particeps;animal,& ſenſus compos.Argumentatio autem bona ſiue ratione formæ, ſiue ratione materiæ,in quatuor ſpecies diuiditur,in Syllogiſmum,Inductionem,Enthymema,& Exemplum.Syllogiſmus,aut Ratiocinatio eſt oratio, in qua quibuſdā poſitis,aliud quidpiam ab his quæ poſita ſunt neceſſariò colligitur:Id eſt, quædam Argumentatio,in qua poſitis duabus enuntiationibus,ſequitur neceſſariò alia diſtincta à pręcedentibus;vt omne animal eſt ſubſtantia, omnis homo eſt animal ergo omnis homo eſt ſubſtantia.Hic obſeruandum eſt conſequens Syllogiſmi contingens eſſe nōnunquam,& aliquando etiam impoſſibile:tamen ſemper neceſſariò ſequi ex conceſſis pręmiſſis,id eſt,duabus enuntiationibus antecedentis.Inductio eſt Argumentatio,in qua à ſingulis probè numeratis ad vniuerſa progredimur; vt iſte homo poteſt ridere,& ille;ac cęterorum eadem eſt ratio: ergo omnis homo poteſt ridere.

Mala Argumentatio an ſit Argumentatio.

Quatuor præcipuè Argumentationis ſpecies,aut formæ.

Quòd

Quòd genus Argumentationis maximè eſt in vſu apud Ariſt.in Phyſica.Enthymema eſt Syllogiſmus truncatus,id eſt,cui vna enuntiationum deeſt; ut homo eſt animal;ergo homo eſt ſubſtantia.Exemplum eſt Argumentatio,in qua ex vno ſingulaaliud infertur,ob mutuam ſimilitudinem, quæ inter ipſa reperitur:vt Hebræi contemnentes Prophetas,non euaſere omnipotentis vindictam:ergo nec tu eris à ſupplicijs liber, ſi verbi Dei præcones irriſeris;quia vt illi,ita & iſti ſunt Dei nuntij.Alia quæ de formis Argumentationis dici hoc loco poterant, in quintum librum reieci-

Præcepta bonæ Argumentationis.

PRima lex bonæ Argumentationis.Sicut ex Antecedente ſequitur Conſequens ita ſequi debet ex oppoſito Conſequentis oppoſitum Antecedētis ;vt quia bene ſequitur:Homo eſt animal,ergo homo eſt ſubſtantia:ſequetur quoque, Homo non eſt ſubſtantia,ergo homo non eſt animal.Verùm non oportet ex oppoſito antecedentis ſequi oppoſitum conſequentis.Licet enim homo non eſſet animal, poſſet eſſe ſubſtantia,ſi eſſet lapis.Secunda lex.Quicquid ſequitur ad conſequens bonæ conſequentiæ,ſequitur etiam ad antecedens, vt homo eſt animal,ergo homo eſt ſubſtantia: ſed ad eſſe ſubſtantiam,ſequitur eſſe ens: ergo etiam ad eſſe animal ſequetur eſſe ens.Tertia lex.Ex vero antecedente,perpetuò ſequitur conſequens verum : ex falſo autem quandoque verum,quandoque falſum.Ex falſo verum,vt homo eſt Leo, ergo homo eſt animal: ex falſo falſum,vt homo eſt Leo,ergo homo eſt irrationalis.Ex hac vltima lege nonnulla conſectaria colliguntur.Nam cùm Argumentatio poſsit conſici ex enuntiationibus neceſſarijs,quæ ſemper debent eſſe veræ, vt homo eſt animal: et ex repugnantibus,vel impoſsibilibus, quę ſemper debent eſſe falſę, vt homo eſt lapis:& ex contingentibus,quę aliquando ſunt verę,aliquando falſę,vt homo eſt albus : ſequitur primò, antecedens.Neceſſarium nunquam poſſe inferre conſequens, Contingens,aut Impoſsibile.Cùm enim Neceſſarium ſemper ſit verum,& Impoſsibile ſemper ſit falſum,& Contingens aliquando à veritate aberret, profectò ex vero aliquando ſequeretur falſum.Secundò, antecedens Contingens nunquam poſſe inferre conſequens impoſsibile, quia aliquando ex vero ſequeretur falſum.Tertiò,antecedens Impoſsibile poſſe inferre conſequens Neceſſarium, vt homo eſt Leo, ergo homo eſt animal:item,conſequens Contingens,vt homo eſt Cygnus, ergo homo eſt albus:& deniq; Impoſsibile, vt homo eſt Leo,ergo homo non eſt rationis particeps.His affinia ſunt tria alia conſectaria; primum eſt,conſequens Neceſſarium poſſe inferri ex antecedente neceſſario,vt homo eſt animal,ergo homo eſt ſubſtantia:inſuper ex Contingenti;vt homo ambulat;ergo homo eſt animal: denique ex Impoſsibili,vt homo eſt lapis,ergo homo eſt ſubſtantia.Alterum eſt, conſequens Contingens poſſe inferri ex antecedente Contingenti, Impoſsibilique, haud tamen ex Neceſſario, vt patet ex primo conſectario.Tertium eſt,conſequens Impoſsibile poſſe inferri ex antecedente Impoſsibili,non ex Contingenti, Neceſſariove; alioquin ex vero ſequeretur falſum.

Vt autem finem his imponamus,duo adnotare libet.Vnum eſt,quomodo Argumentum & Argumentatio differant.Argumentatio eſt tota illa connexio antecedētis & conſequentis,vt tota hæc oratio;Plato eſt animal rationale,ergo Plato eſt riſus particeps:at Argumentum eſt illud,vnde tota Argumentatio robur habet,vt iſta definitio,Animal rationale,in ſuperiori Argumentatione.Secundum eſt, quænam ſint

numera

numera eius qui diſputat,& reſpondentis.Is qui diſputat,Argumenta excogitare debet,ac illa recto ordine proponere.Reſpondentis autem munus his partibus conſtat: Primùm enim oportet,ut bis Argumentum ſumma fidelitate repetat, cùm vt faciliùs occurrat ſolutio:tum, vt prima repetitione conueniat inter ipſum & eum qui diſputat,quænam ſit propoſita Argumentatio: in ſecunda autem, cuique parti Argumentationis reſpondeat;ita vt enuntiationes poſitas in antecedente, veras concedat,falſas neget,diſtinguat verò ambiguas. Quòd ſi aliqua ex propoſitis enuntiationibus parum ad rem pertineat,nec concedi debet,nec diſtingui, aut negari; ſed ſufficit dicere, Sit ita,Eſto,Tranſeat,&c.Iam conſequentiam,ſi bona fuerit, concedat;ſi mala neget:non tamen diſtinguat, quia conſequentia non eſt ambigua. Vltimo,ſi conſequens fuerit anceps, vel ambiguum,apertè diſtinguat;nunquam tamen neget,vel concedat;quia conceſsis præmiſsis,& conſequentia, iam intelligitur conſequens conceſſum.Negata verò conſequentia, non oportet negare conſequens.

Argumenta in ſuperiora.

PRimum contra diuiſionem Argumentationis in bonam ex forma, & bonam ex materia,probat eam,quæ dicitur bona ratione materiæ, non eſſe bonam. In bonæ Argumentatione conſequens debet neceſſariò ſequi ex antecedente; at in tali Argumentatione non neceſſariò ſequitur,ergo non eſt bonæ. Probatur aſſumptio. Quod neceſſariò eſt, ſemper ita eſt;ergo ſi in Argumentatione,quæ dicitur bona ratione materiæ,conſequens neceſſariò ſequitur ex antecedente, ſemper ita ſequetur.Semper igitur licebit ita argumentari; nec differet Argumentatio bona ex materia ab Argumentatione bona ex forma.Reſpondetur,diſcrimen eſſe,quòd in Argumentatione bona ex materia ſemper ſequitur conſequens ex antecedente, ſed in talibus rebus, aut ſimilibus: at in Argumentatione bona ex forma ſemper, & in omnibus rebus ſequitur.

Secundum contra definitionem Syllogiſmi. Etenim etiam Inductio eſt oratio, in qua,quibuſdam poſitis,aliud quiddam ab his quæ poſita ſunt,neceſſariò colligitur: nam alioquin Inductio non eſſet bona Argumentatio. Reſpondent quidam huic argumento,Inductionis concluſionem colligi neceſſariò ex præmiſsis:neceſſariò (inquiunt)ſecundùm ſe non, tamen reſpectu noſtri;quia eius neceſsitas non apparet nobis,niſi ad Syllogiſmum reducatur:ideoque Inductioni minimè conuenit Syllogiſmi definitio. Verùm hæc ſolutio nullius eſt ponderis.Eadem enim ratione Syllogiſmi Secundæ & Tertiæ figuræ non eſſent Syllogiſmi,cùm non appareat nobis eorum neceſſaria conſecutio:niſi reducantur ad Syllogiſmos Primæ figuræ. Quare reſpondemus,Inductionem excludi per illam particulam,poſitis;id eſt,diſpoſitis certa methodo & forma;quam ſtatim Ariſt.in librris Priorum erat explicaturus:nam 1. cap. 1.lib.hanc tradit diffinitionem.Præmiſſæ autem Inductionis non diſponuntur illa methodo,qua ipſius Syllogiſmi:quia in Inductione nihil refert,qua ratione collocentur enuntiationes,dummodo omnia inferiora numerentur:at in Syllogiſmo non parum refert,quæ enuntiatio cui præponatur,vt concluſio directa, aut indirecta, vniuerſa,aut particularis colligi poſsit.Sed de his lege librum de Argumentatione ad finem,vbi de Inductione agitur.

Tertiò quæritur,an in diffinitione Syllogiſmi neceſſum ſit addere illam particulam,

lam,& conceſsis,ut non ſolùm dicamus, quibuſdam poſitis, ſed etiam addamus, &, conceſsis.Reſpondetur,illam particulã non eſſe Ariſtot.in lib.1.Topic.cap.1.Quod ſi 1.Prior.cap.1.habetur, Boethius eam textui inſeruit.Quare non eſt ponenda neceſſariò.

Quartum argumentum.Hæc eſt bona Argumentatio, Omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal eſt homo; nec ex oppoſito Conſequentis ſequitur oppoſitum Antecedentis:non enim valet, aliquod animal non eſt homo;ergo non omnis homo eſt animal.Ergo prima bonæ Argumentationis lex meritò eſt contemnenda.Reſpondetur,non bene ſumptum eſſe oppoſitum Conſequentis, nomine ſiquidem oppoſiti intelligimus contradictoriam enuntiationem,& non tantùm ſubcontrariam. Contradicens verò illius antecedentis vniuerſa enuntiatio eſt, non particularis. Quid autem ſit Enuntiatio Contradicens, & quid Subcontraria,aut Subaduerſa,dicemus lib.4.cap.6.

Quintò contra illud præceptũ bonę Argumentationis,ex oppoſito conſequentis debet ſequi oppoſitũ antecedẽtis; ita quiſpiã diſputabit.Hæc eſt bona argumẽtatio, animal eſt ſubſtantia:ergo homo eſt ſubſtãtia:at qui non ſequitur ex oppoſito conſequẽtis oppoſitũ antecedẽtis:Ergo regula nulla.Probatur aſſumptio.Quia nõ ſequitur, nullus homo eſt ſubſtantia, ergo nullũ animal eſt ſubſtantia:nec bene colligitur,homo non eſt ſubſtantia,ergo animal non eſt ſubſtantia:nam licet ex impoſsibili homo non eſſet ſubſtantia,poſſet animal eſſe ſubſtantia:quia remanerent Leones.Reſpondetur,diſtinguendam eſſe Maiorem. Quum ais,animal eſt ſubſtantia,ergo homo eſt ſubſtantia:vel ſumis antecedens in ſenſu vniuerſali, ſcilicet,omne animal eſt ſubſtantia;& tunc eſt bona argumentatio;recteque ſequitur ex oppoſito conſequentis oppoſitum antecedentis:vt aliquis homo non eſt ſubſtantia, ergo aliquod animal non eſt ſubſtantia;vel accipis illud in ſenſu particulari, vt aliquod animal eſt ſubſtantia,ergo homo eſt ſubſtantia. Quòd ſi ita res ſe habeat, nego eſſe bonam argumentationem:quia in ſimili forma dabitur antecedens verum, & conſequens falſum;vt quoddam animal eſt bos,ergo quidam homo eſt bos.

Vltimum argumentum.Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal:eſt bona argumentatio.At non quicquid ſequitur ad conſequens, ſequitur ad antecedens. Nam bene ſequitur, Animal eſt,ergo genus eſt;cùm alioquin non ritè colligatur: homo eſt,ergo genus eſt.Reſpondetur,regulam eſſe intelligendam,quando illud quod ſequitur,non eſt ſecunda notio;vel pertinens ad nomina ſecundæ impoſitionis.Genus autem notio eſt.Item dico, illud non ſequi ad conſequens,ſed ad partem conſequẽtis;nam eſſe animal,non eſt eſſe genus,licet animal ſit genus.Denique aſſero, genus non ſequi ad animal neceſſariò,ſed accidentariò:ex mentis ſcilicet functione.Nos verò loquimur in regula de his,quæ neceſſariò ex conſequente ſequuntur.

De partibus Dialecticæ. Cap. II.

Abſoluta tractatione Inſtrumentorum, de partibus Dialecticæ diſputemus.Sũt autem Inuentio,& Iudicium.Nam cùm pręcipuum munus Dialectici ſit argumentari in omni materia, & hoc fieri nequeat ſine Inuentione & iudicio,non immeritò iſte ponuntur Dialecticæ partes.Niſi enim rationes inueniamus, & earum vim iudicemus,expendamusq́ue an tractandæ quæſtioni conueniant,& deinde eas recto ordine collocemus, quomodo poterimus diſputare? Tamen alia ratione ſunt

partes

partes Dialecticæ Docentis,& alia Vtentis. Docentis ſiquidem partes ſunt, quatenus,partim de iſta,partim de illa tractat:Vtentis verò,quia ſunt partes muneris eius, atque officij:quia is qui vtitur Dialectica, oportet vt inueniat argumenta, ac iudicet. Quod autem de Argumentatione dictum eſt, de Definitione etiam dictum puta. Aliam Dialecticæ diuiſionem capit.2. libri ſequentis proponemus.

Quæſita.

PRimùm interrogabit aliquis, Quomodò iſtæ ponantur partes Dialecticę,ſi ſunt etiam partes Rhetoricę;& Rhetorica eſt alia ſcientia à Dialectica. Reſpondetur,aliam eſſe Inuentionem Rhetoris,aliam Dialectici.Ille inuenit, & iudicat neceſſaria ad mouendum,& delectandum;iſte,vt definiat,diuidat, & argumentetur: quæ certè non præſtat Rhetor niſi Dialectico munere.

Secundò percontabitur quiſquam, Quare inter libros Ariſtotelis, in quibus de Argumentatione agit,quidam vocentur Diſpoſitionis,alij verò Iudicij,cùm in omnibus illis permixtim de iſtis agatur. Nam in libris Topicorum, quos Inuentionis appellant,etiam de Diſpoſitione, & Iudicio diſputatur; vt in lib.8. Topicorum. In Prioribus quoque Analyticis,quibus Iudicium (omnium conſenſu) tribuitur, agit Ariſtoteles de Medij Inuentione; ſicut in Poſterioribus Analyticis de Inuentione Definitionis diſſeritur.Reſpondetur. Quia in libris Topicorum potiſsimùm de Inuentione tractatur, in Analyticis verò præcipuè agitur de Iudicio.Eſt præterea alia eiuſdem appellationis cauſa,quam diuus Tom.1.Poſter.lect.1.aſsignat. Nam Iudicium videtur quandam certitudinem præ ſe ferre, ideoque libri Priorum,in quibus de certiſsima forma argumentandi,& libris Poſteriorum,in quibus de certiſsimis ex parte materię ſyllogiſmis diſſeritur,appellantur libri Iudicij,atque Diſpoſitionis.At Inuentio etiam rerum incertarum eſt.Equidem ſi inuenta omnia certa eſſent, nequaquam poſtea Iudicium exigeretur.Quare Libri qui de probabilibus diſputant Inuentionis,titulum habent.

Deniq; poſtulas.Quare Ariſt.ſolam artem Inueniendi, quæ docetur in Topicis, appellàuit Dialecticum? Reſpondetur.Quia ibi agitur de Syllogiſmis probabilibus; ad Dialecticum verò pertinet,proprio munere in omnibus ſcientijs probabiliter, & in vtranque partem diſputare. Vnde in Metaphyſica, & Phyſica ſi aliquando Ariſtoteles rationibus probabilibus agit,ſtatim adnotat ſe Dialecticè agere. At non eſt Dialectici muneris,neceſſaria argumenta, de quibus agitur in libris Poſterioris Analyſi, in omnibus ſcientijs inuenire;ſed de inuentis iudicare,an rectam formam obſeruet. Ideoque ars Demonſtrandi non appellatur ab Ariſtotele Dialectica, quanquam reuerà Dialectica ſit.Relege quæ diximus cap.6.dubio 3.

EN tibi humaniſsime lector prima Dialecticæ elementa,quibus,ſi mox ea iungamus, quæ Porphyrius & Ariſtoteles tradiderunt, negotium Dialecticum vndique abſolutum erit. Vt enim optimus quiſque Pictor,quauis ſit Appelles, rudiſsima priùs gypſo,aut carbone lineamenta ducit,ac poſtea viuos addit colores; ita nobis hæc priùs craſſa Mineruа tractanda fuerunt,vt ſtatim accuratiùs explicentur.

COMMENTARIORVM IN VNIVERSAM LOGICAM LIBER SECVNDVS.

IN QVO DE QVINQVE Vocibus agitur.

De Subiecto Dialectica. *Cap. 1.*

QVONIAM diuiſio ſcientiæ ex diuiſione eius rei,quæ in
ſcientia tractatur petenda eſt;antequam totius Dialecticæ
diuiſionem aggrediamur,atque ad ſingularum eius par-
tium tractationem veniamus,explicandum eſt,quodnam
ſit Dialecticæ Subiectum; illudq́; in partes diuidendum
eſt. Et quidem hæc iam in ſuperioribus conati ſumus
exponere; ſed nunc accuratiùs tractare oportet, Quidam
Philoſophi cenſent, in Dialectica de ſolis Vocibus diſpu-
tari: quam ſententiam hoc probant argumento; Diale-
ctica potiſsimùm inuenta eſt ad diſputationes, ſed in di-
ſputationibus ſolæ voces repeiiuntur: igitur Dialectica de ſolis vocibus tractat.
lij verò contra ſentiunt, tantùm de rebus agi, quà res quædam ſunt. Nam idem
ſt Subiectum ſcientiæ,& partis ſcientiæ,ſaltem loquendo de obiecto pro formali ra
one tractandi,vel(vt alij dicunt) de Subiecto formali;ſed in quadam Dialecticæ par
: (nempe in libro Categoriarum) agitur de rebus vt res ſunt; id eſt,proprietates,
uæ ipſis,vt res quædam ſunt competunt,explicantur: Ergo in Dialectica agitur de
ebus vt res ſunt. Propoſitionem illi ut manifeſtã relinquũt. Aſſumptionem uerò
robant; quia ſubſtantiæ, vt res quædam eſt,conuenit accidentia contraria viciſsim
ecipere: quantitati ſimiliter, & qualitati, vt res quædam ſunt, conuenit;,illi quidem
t res æquales,aut inæquales conſtituat;huic ſimiles,aut diſsimiles. Hæ autem ſunt
ropriæ affectiones, quæ de ipſis in Categoriarum libro traduntur.

Sed diui Thomæ diſcipuli mediam viam tenent. Dicunt enim primùm,in Dia-
ectica non agi de ſolis Vocibus, quia ſi id in alicuius ſcientiæ munere ponendum
ſſet,ad Grammaticam potiùs, in qua de ſolis illis entibus rationis diſputatur quæ
d voces pertinent,referri oporteret. Deinde,quoniã Ariſtoteles 1.Elenchorũ ait,
uia in diſputationem res adducere non poſſumus,vtimur vocibus loco rerũ diſpu
atur igitur in Dialectica de vocibus,propter res quas ſignificant. Denique in Dia
ectica longiſsima eſt tractatio Enuntiationis neceſſariæ, vel contingentis: Enun-
iatio tamen neceſſaria, aut contingens dicitur, quia res ſignificatæ;contingentem
abent, vel neceſſariam connexionem : non ergo eſt præcipua. Vocum tractatio in
ac arte. Dicunt ſecundò, in Dialectica non agi de rebus quatenus res ſunt;alio-
quin Dialectica eſſet ſcientia Rei, aut Realis, contra Ariſtotelis ſententiam;qui 6.

Subiectũ Dialecticę

Metaphyſicorum, text. 2. ſolùm tres ſcientias ſpeculatrices Rei agnoſcit. Dicunt tertiò, in Dialectica potiſsimùm de ſecundis Notionibus diſputari. Si enim agitur de vocibus, agitur de eis vt res ſignificant: ſi de rebus diſputatur in libro Categoriarum, earumq; proprietates aſsignantur, id certè fit; quatenus res illæ aut genera ſunt, aut ſpecies, aut denique Enuntiationibus, aut Syllogiſmis inſeruire poſſunt: quæ omnia ad ſecundas pertinent notiones; ut dicemus. Sed, teſte Ariſtotele, libro 1. Poſterior. cap. 2. propter quod vnumquodque eſt tale, illud eſt magis ta'e: Ergo magis, uel potiſsimùm in Dialectica agitur de ſecundis Notionibus. Explicandum eſt igitur quid ſit Notio ſecunda, quæ à diuo Thoma Intentio ſecunda appellatur.

Prima, & ſecũda Notio aut Intentio.

Intentio aliter accipitur à Philoſopho Morali, alitèr à Dialectico. Philoſophus Moralis, teſte diuo Thom. 1. 2. q. 12. ar. 1. vocat Intentionem actum quendam voluntatis noſtræ erga finem acquirendum per media; ut quum appetimus beatitudinem, & ob eam cauſam ieiunamus. Sed hæc ſignificatio parum ad præſens inſtitutum ſpectat. Dialecticus verò vocat Intentionem notionem, cognitionem, uel conſiderationem, qua intellectus quidpiam conſiderat: Vt illa conſideratio, qua ego conſidero lapidem, vocatur intentio lapidis. Vnde prima Intentio apud Dialecticum, idem eſt quòd prima conſideratio: & ſecunda intentio, ſecunda conſideratio.

Cæterùm, vt intelligatur, quænam ſit prima conſideratio, quænam ſecunda, aliqua ſunt Prænotanda. Primùm eſt, intellectum noſtrum eſſe quandam vim, & facultatem animæ, non affixam alicui organo, & inſtrumento corporeo; non enim eſt in Pupilla, vt viſus; neque in Meminge, aut membranula, ut auditus: & cùm oporteat obiectum potentiæ & facultatis animæ, ipſi facultati, & potentiæ proportionari (ideò ſi quidem viſus non percipit ſonos, quia ſibi minimè proportionantur) neceſſe eſt, obiectum intellectus fieri, immateriale. Secundùm eſt, in imaginatione noſtra remanere phantaſmata rerum, quas ſenſu externo percipimus. Quæ phantaſmata appellantur ſimulacra, idola, ideæ, atque imagines, vel ſimilitudines rerum ſenſatarum. Sed per hæc phantaſmata non poteſt intellectus adhùc res externas percipere, quia ſunt materialia, & corporea: repræſentantq; res cum affectionibus, aut (vt alij dicunt) conditionibus ſuis corporeis, & materialibus. Verbi gratia: Phantaſma Leonis repræſentat hunc leonem cum ſuo colore, magnitudine, macie, vel pinguedine: & aliud Phantaſma repræſentabit alium Leonem cum alijs qualitatibus. Tunc aduenit quædam alia potentia animi noſtri, quæ intellectus Agens appellatur, efficitq;, vt ex illis phantaſmatibus corporeis eliciatur, & conſurgat quædam ſpecies ac ſimilitudo immaterialis, repræſentans Leonem ſine conditionibus ſpecialibus, & determinatis, quę ſimilitudo ſimulatq; producta eſt, tranſmittitur in intellectum Patibilem. Id ſi minùs intelligitur, hoc exemplo forſitan percipietur. Cùm pomum eſt in tenebris, confuſa ſunt quodammodo eius color, ſapor, odor, pondus, & alia accidentia: ſed adueniente luce, producitur quædam imago pomi, quæ ſolùm illius colorem refert, non ſaporem, non odorem; illaq; ſpecie in oculo poſita videmus pomi colorem. Eodem pacto in phantaſmatibus confuſa ſunt omnia; nam non modò huius, aut illius hominis, uel Leonis naturam repræſentant, ſed etiam accidentia: at luce intellectus agentis poſtquam ſunt illuſtrata, conſurgit in intellectu patibili ſpecies, quæ ſolam naturam refert, aut repræſentat. Quum ergo ratione illius ſimilitudinis Leo abſque ſingularibus, & peculiaribus Materiæ conditionibus repræſentetur, iam cenſetur ita immaterialis, ut poſsit ab intellectu conſiderari. Et illius ſimilitudinis productio appellatur à Philoſophis Abſtractio; & intellectus Agens, qui eam produxit,

Phãtaſmata. (margin note beside "quidem viſus non percipit ſonos…")

Species intellectilis beneficio Agẽtis intellectus producta. (margin note beside "Phantaſma repræſentabit alium Leonem…")

vocatur Intellectus Abſtrahens. Inſuper Similitudo illa vocatur Abſtracta; denique res per talem ſimilitudinem repræſentata, vt Leo, vocatur quoque Abſtracta.

Poſtquam igitur producta eſt hæc Species, uel Similitudo, duas conſiderationes, uel cognitiones poteſt intellectus habere, reſpectu illius rei, cuius ſimilitudo abſtracta eſt. Primùm enim poteſt conſiderare, ea quæ competunt illi, quatenus eſt in rerum natura: Verbigratia: Simul ac intellectus Patiens recepit ſpeciem leonis, poteſt principiò conſiderare, Leonem eſſe animal, eſſe corpus, eſſe ſubſtantiam, eſſe ens. Et hæc conſideratio uocatur prima Intentio, prima Notio, prima Notitia, aut Conſideratio. Secundò poteſt cõſiderare, ea quæ competunt rei, aut (uerbigratia) leoni, quatenus habet ſpeciem, & ſimilitudinem ſuam in intellectu noſtro. Sed quæ tandem iſta ſunt? Quid leoni competit, eo quod eius ſimilitudo in intellectu reperitur? Conuenit ei eſſe rem intellectam, rem abſtractam, rem uniuerſam, ſpeciem deniq;. Quin ẽt, ſi intellectus formet aliquam enuntiationem de leone, dicendo, leonem eſſe animal, competit leoni eſſe ſubiectum Enuntiationis. Hæc igitur ſecunda Conſideratio, uocatur ſecunda Notio, Intentio, uel Notitia. Præterea, qm̃ laboramus penuria uocabulorum, fit, ut obiecta actuum, & operationum noſtrarum nominibus ipſarum operationum appellemus; ut diuus Ignatius uocauit Chriſtum Amorẽ ſuum; quia ipſum ualde amabat: & Hiſpanè rem quã uidemus pulchram, appellamus *Buena v ſta*. Quare id quod per primam intentionem cõſideratur, primam intentionem nominamus; & quod per ſecundam conſideramus, dicimus quoq; ſecundam Notionem. Vt Animal Corpus, Subſtantiam, & Ens, dicimus primas intentiones: at Abſtractum, Intellectum, Vniuerſale, & Subiectum enuntiationis, dicimus ſecũdas intentiones. Deniq; nomina, quæ ſignificant ea, quæ pertinent ad primam conſiderationem, uel intentionem: dicuntur nomina primæ Intentionis, primæ Impoſitionis, primæ Notionis: & nomina quæ ſignificant, ea quæ per ſecundam notionem intelliguntur, appellantur nomina ſecundæ Notionis, uel Impoſitionis. Quum ergo dicimus, ſubiectum Dialecticæ, uel materiam, de qua Dialectica agit, eſſe ſecundas intentiones, aut notiones, non loquimur de Intentione ut Philoſophus Moralis, nec de actu intellectus, ſed de ſecunda notione pro obiecto, uel pro re, quæ conſideratur per actum ſecundæ intentionis, uel notionis: qm̃ tractat Dialectica de Genere, Specie, Prædicato, Subiecto, Maiori extremitate, Minori, & alijs multis; quæ ſolùm pertinent ad ſecundam conſiderationem intellectus noſtri. Hæc aũt ſecunda Intentio, de qua Logica tractat, ut de materia uocatur ab alijs Ens rõnis; ab Ariſ. 6. Metaph. tex. 8. appellatur Ens uerũ; & à nonnullis Ens in anima. Explicandum eſt tñ quõo ens rationis cum ſecunda notione reciprocetur; ne ambiguitate nominis confundamur. Ens rõnis quatuor modis dicitur, primo, quod eſt rõne, tanquam à cã efficiente; ut arca, quæ ab artifice fit medio intellectu, & ratione. Huiuſmodi autem ens rationis non pertinet ad ſecũdas notiones Logicas, cùm ſit merum ens rei in Categorijs collocatum. Secundo, ꝙ eſt in intellectu, & ratione tanquam in ſubiecto: quemadmodum ſcientia, & operatio mentis, ſpeciesq; intellectilis, & conceptus, quem Theologi Verbum appellant. Verùm nec iſta ſunt ſecundæ notiones Logicæ, ſed uera entia rei; cùm in Categorijs quoque reponantur. Tertiò, quòd pertinet ad rationem, ut eius obiectum; quia videlicet eſt ens ab intellectu conſideratum. Tamen iſtud ens rationis ſæpiſsimè eſt ens rei, in Categorijs repoſitum, ut quando conſideramus hominem, Leonem, albedinem: licet interdum ſit ſecunda notio Logica, ut quando conſideramus definitionem generis, ſpeciei ſubiecti, prædicati, &c. Quartò, dicitur ens rationis, quia conſurgit

Gemina conſideratio mentis noſtræ.

Qua ratione ſecũda Notio ſit materies Dialecticæ.

Ens rationis quadripartitum.

Propria Rationis antia.

ſurgit ex opere rationis; id eſt, eſt modus quidam, uel conditio, ob eam cauſam conſurgens, quòd intellectus aliquid operatus eſt. Vt quum intellectus meus conſiderat hominem, ex tali conſideratione reſultat in homine quædam conditio, uel denominatio, ratione cuius dicitur Conſideratus: & quando intellectus definit lapidem, reſultat in lapide quædam relatio, ob quam dicitur Res definita. Et hoc ens rationis vocatur ſecunda notio Logica; nec vllam cauſam efficientem habet, licet conſurgat ex opere intellectus: neq; eſt in aliquo ente reali, tanquam in ſubiecto.

Entia rationis interdū uocibus, non nunquam rebus applicantur.

Cæterùm, huiuſmodi ſecundæ notiones aliquando conſurgunt in rebus, aliquando in vocibus, ut eſſe Nomen, aut Verbum eſt ſecunda notio; atq; ens rationis, & conſurgit in vocibus, eo quòd variè ab intellectu ſumuntur. Vt vox latro, quando ſumitur ab intellectu noſtro ad ſignificandum cum tempore, eſt verbum ſignificans latrare; quando ſumitur ad ſignificandum ſine tempore, eſt nomen ſignificans furem. At verò eſſe genus, uel ſpeciem eſt relatio, aut denominatio conſurgens aliquando in rebus, & nonnunquam in vocibus. Sed quiduis horum accidat, ſi Notiones pertineant ad orationem congruam, & conſentaneam conficiendam, vt nomen, uerbum, & Syntaxis, de ipſis agit Grammatica: ſi ad ornatam & ſuaſoriam, ut Tropus, Genus cauſæ, Exordium, & Epilogus: de ipſis agit Rhetorica: ſi denique pertineāt ad uerum à falſo diſcernendum in omni ſcientia, ut Definitio, Syllogiſmus, Inductio, & Diuiſio, de ipſis agit Dialectica. Quare (vt vno uerbo dicam) Dialectica agit de Vocibus, quatenus ſignificant res; de rebus, ut ſecundis ſubiacent notionibus, quæ ad verum à falſo diſcernendum ordinantur.

Obſeruatio.

DVbia huius capitis in aliud tempus reijciuntur. Interim legantur autor opuſculi 48. (quod ſub diui Thomæ nomine circumfertur) tractatu 1. c. 2. & trac. 2, cap. 1. & magiſter Hernæus quolibeto 1. quæſt. 1. & 3. Cardinalis quoque Caietanus de Ente, & entia, cap. 4. & in Iſagogem Porphyrij, cap. de Genere, in quæſtione qua tractat, quid definiatur in Definitione Generis, natura'ne, an notio ipſa: Inſuper Iauellus tract. 2. Logicæ, diuiſione 4. & in tract. de tranſcendentibus ante Metaphyſicam, cap. 1. diuiſ. 1. & 6. libro Metaph. quæſt. vltima, & 3. de Animo, quæſt. 2. de Conceptu. Denique Pater, ac magiſter eruditiſsimus Soto in Logica ſua, in vltima quæſtione Procemij. Nam quoniam in his locis multa ingenioſe, multa grauiter, omnia præclarè dicuntur, inde aſſumi poterunt, quæ ad hunc locum pertinebunt.

De Dialectica Diuiſione. Cap. 2.

TOta Dialectica in tres partes diuiditur. In prima agitur de Vocibus ſimplicibus; quæ pars abſoluitur in Iſagoge Porphyrij, & libro Categoriarum: in ſecūda de Enuntiatione in libris Perihermenias: in tertia de Argumentatione; quæ pars reliquos Dialecticæ libros complectitur. Poteſt autem hæc Diuiſio ex operibus mentis noſtræ comprobari. Etenim Dialectica inuenta eſt ad dirigendas mentis functiones; ſed triplex eſt mentis functio, prima dicitur ſimplicium apprehenſio, qua ſimplici intuitu alicuius rei natura conſideratur: ſecunda Compoſitio, & Diuiſio, qua enūtiationes aientes, uel negantes conficiuntur; nam affirmatio dicitur Compoſitio;

quia

quia prædicatum ſubiecto coniungit:& negatio vocatur Diuiſio; quia ſeparat prædicatum à tali ſubiecto) tertia Diſcurſus, idest, progreſſus quidam mentis ab una enuntiatione cognita ad aliam cognoſcendam. Ergo tres debent eſſe partes Dialecticæ,quæ illis reſpondeant. Item eadem ſententia alia ratione oſtenditur. Siquidem Dialectica agit de ſecundis Notionibus, ſed ex ſecundis notionibus,quædam conſurgunt ex prima operatione,ut Genus,& Definitũ;quædã ex ſecunda,ut Subiectum,Prædicatũ,Enũtiatio, Contradictio: & quædam ex tertia, ut Maior,& Minor extremitas,Propoſitio,Aſſumptio,Prima,Secunda figura,& Tertia:Ergo tres partes habeat Dialectica eſt neceſſe. Et quidem hæc tripartita Diuiſio ex Ariſt. tractatione colligitur:nã quæ libro ſuperiore c. vltimo traditur, Ciceroniana potiùs eſt iudicanda.

Dubia huius capitis.

Primùm. Ariſtoteles 3. de Animo, text. 21. dicit, tantùm eſſe duas mentis operationes, videlicet Simplicium apprehenſionem,& Compoſitionem, ac Diuiſionem: malè ergo nos addimus Diſcurſum. Reſpondetur ex diuo Thoma 1. Perihermenias cap. 1. mentem noſtram poſſe conſiderari,ut intellectus eſt,& vt ratio eſt. Si conſideretur vt intellectus eſt,habet duas operationes;vna intelligit ſimplicia,altera ea, quæ compoſitionem nominis,& verbi admittunt;ſcilicet Enuntiationes Si verò conſideretur ut Ratio eſt, ex vna enuntiatione cognita ad aliam cognoſcendam progreditur: quæ eſt tertia operatio. Argumentari enim opus eſt Rationis. *Quot ſint mentis operationes.*

Alterum dubium. Videtur eſſe plures operationes his tribus:nam in primis datur abſtractio,& deinde diuus Thom. 1.2.q. 17. ar. 1. dicit,imperium eſſe actum intellectus: at imperium non eſt ſimplex apprehenſio,neque compoſitio,& diuiſio; cum non ſit enuntiatio, ſed oratio imperantis modi:nec eſt diſcurſus (vt liquet) Ergo dantur aliæ intellectus operationes ab his tribus diſtinctæ. Reſpondetur, in nobis eſſe duplicem intellectum, alium Agentem,cuius munus eſt, abſtrahere ſpeciem à phantaſmatibus; alium verò Patientem, ad quem pertinet intelligere, & diſcurrere. Vnde quum dicimus nos, tria eſſe opera mentis, loquimur de intellectu Patiente; qui dicitur ab alijs Poſsibilis,uel Patibilis. Præterea intellectus Patiens diuiditur in Speculatiuum,ac Practicum. Quæ diuiſio differt à ſuperiori; nam illa erat in duos intellectus reipſa diſtinctos,hæc uerò tantum eſt in duo eiuſdem intellectus munera. Quatenus enim intellectus Patiens tantum intelligit ut cognoſcat, vocatur Speculatiuus;quatenus verò intelligit,ut operetur,dicitur Practicus. Quum igitur dicimus tantum eſſe tria opera mentis, loquimur de intellectu, ut eſt Speculatiuus;nam quatenus Practicus,habet alia opera;ſcilicet imperium,reſpectu inferiorum; & orationem reſpectu ſuperiorum. *Abſtractio,& imperium: cũ ius ſint actiones.* *Intellectus Speculatiuus,& Practicus.*

Dubium tertium. Cùm non ſolùm ex tribus operationibus intellectus Patientis, ſed etiam ex abſtractione Agentis conſurgant ſecundæ notiones, uidetur præter illas Dialecticæ partes,quæ tribus reſpondent operationibus dandam eſſe aliam,quæ explicet ſecundas notiones ex abſtractione conſurgentes: ſcilicet,eſſe abſtractum,& eſſe vniuerſale. Reſpondetur, quia abſtractio intellectus agentis ſemper eſt cõiuncta ſimplicium apprehenſioni (nam ſimul atq; intellectus ſpeciem abſtractam in Patibili intellectu producit,patiens quoq; intellectus intelligit: ſicut eodem momento, quo producitur in oculo ſpecies viſibilis;viſu ſpoteſt uidere) ideo ſimul, & in eadem parte agi de ſecundis notionibus,quæ conſurgunt ex abſtractione;& de illis,quæ cõſurgunt ex ſimplicium apprehenſione. Accedit huc, abſtractionem intellectus agentis

perfici per abſtractionē intellectus patibilis;cùm ſpecies,uel ſimilitudo expreſſa, quã producit intellectus patiens (quæ à Theologis dicitur Verbum) perfectior ſit ſpecie impreſſa quam intellectus agens producit in patibili intellectu: & ideo ſimul agitur de Simplicium apprehenſione;& de abſtractione intellectus Agentis.

Quomodo tres operationes, & duæ notiones cõueniant.

Quartum dubium. In primo capite dictum eſt, duplicem eſſe intentionem, uel cognitionem intellectus noſtri, primam, & ſecundam: quo ergo nunc dicimus tres eſſe operationes intellectus? Reſpondetur, has Diuiſiones nõ ſibi inuicem aduerſari, ſed aliquantulum eſſe diuerſas. Nam cognitio intellectus poteſt bifariam diuidi, primùm ex parte eorum, quæ cognoſcimus, in primam intentionem, & ſecundam. Etenim ſi cognoſcimus ea, quæ rebus, quatenus ſunt in rerum natura, conueniunt, talis cognitio vocatur prima intentio: ſi verò quæ ex opere mentis ſecunda. Deinde poteſt diuidi ex parte modi cognoſcendi in primam, & ſecundam, & tertiam operationem; quia vnammet rē poſſumus cognoſcere, vel ſimpliciter apprehendendo, uel enũtiationes de illa formando, denique circa ipſam diſcurrendo. Vnde quælibet trium operationum poteſt diuidi in primam, & ſecundam intentionem. Enimuerò ſi hominem ſimpliciter apprehendam, menteq; concipiam, eſt ſimplex apprehenſio primæ intentionis: ſi de ipſo enuntiationes formem, eſt compoſitio primæ intentionis: ſi de eodē argumenter, eſt diſcurſus primæ intentionis. Si tamen Genus, Speciem, Prædicatũ, uel aliam ſecundam notionem ſimpliciter apprehendam, eſt ſimplex apprehenſio ſecundæ intentionis: ſi de eis enuntiationes formem, eſt compoſitio ſecundæ intentionis. ſi de ipſis diſputem, erit diſcurſus ſecundæ intentionis.

An præter ea quę Ariſtot. in libris ſuis docet, aliquid amplius deſideretur.

Quintò dubium videtur, an per libros Dialecticæ ab Ariſtotele, & Porphyrio, ditos, hæ Operationes copioſè, abundeq; dirigantur: Reſpondet Caietanus initio Categoriarum, non ſatis id præſtari; quoniam ad primam operationem dirigendam, neceſſarium erat, aliquem conſcribi librum de Definitione; quia hæc ad primam mẽtis functionem, in qua rerum eſſentiæ conſiderantur, pertinet. Quòd ſi dicas, iam Ariſtotelem in libris Topicorum de Definitione tractaſſe, acutè (vt ſolet) hanc defenſionem refellit. Siquidē liber Topicorũ agit quidē de Definitione, non tñ ut ad primã operationem pertinet: ſed ut refertur ad tertiã, quatenus. ſ. Definitio nobis argumentorum copiã ſuppeditare põt. Si verò id in libris quinque Vocum, & Categoriarum fieri autumes, facilè ſolutio explodetur. Docetur.n. in Iſagoge Porphyrij, quid ſit Genus, quid ſpecies, & alia huiuſmodi: in Categorijs præterea rerum ſuprema genera numerantur, & nonnullæ eorum ſpecies recenſentur ab Ariſtotele; hinc autem haberi perfectam Definitionis comprehenſionem, quam Græci Catalepſim dicunt, nemo in arte definiendi mediocriter exercitatus affirmabit. Sed alia multa reſtabant docenda; nempe quid Definitio eſſet, & quotuplex, quæ bonæ Definitionis præcepta quæ methodus inueſtigandi Definitiones: de quibus in libro quinque Vocum, aut Categoriarum nec verbum vllum reperies. Quò fit, ut quinque Vocum tractatio (nam de Categorijs ſuo loco dicemus) ad primam operationem mentis neceſſaria ſit, non tamen ſufficiat, niſi poſtea de Definitione agatur.

Argumentum autem eorum, qui quamprimum aliquid ab Ariſtotele prætermiſſum aſſeritur, commouentur; ſcilicet: Ergo Ariſtoteles diminutus fuit: ergo non omnia tradidit, quæ ad hanc artem erant neceſſaria: ergo non fuit ſupremus docendi magiſter: nihil nos terret. Primùm enim: ſi Ariſtoteles omnia accuratè, omnia, ut nihil ſupra addi poſsit, tractauit; quare diuus Thomas inter Latinos interpretes, omnium iudicio Princeps, totũ cũ commẽtaria edidit? Cur legimus Theophraſtum,

ſtum, Porphyrium, Alexandrum, & alios tum Græcos, tum etiam & Latinos? Mihi obſecro crede. Homines ſumus, nec omnia poſſumus omnes, & quandoque bonus dormitat Homerus, oportetque veterum omiſſa recentiorum diligentia compẽſari. Quis enim dubitet, multa in Ariſtotelis Methaphyſica, multa in Ethicis, atque Rhetoricis deſiderari? Certè liber Categoriarum abſque quinque Vocibus intelligi minimè poterat; & nihilominus de ipſis librum ante ſuas Categorias non edidit Ariſtoteles: ſed (vt fertur) viua voce diſcipulos iſta docebat: & ita multis ſeculis res vſque ad Porphyrium eſt tractata. Iam verò (vt probè Caietanus de Porphyrio dixit) ſi Ariſtoteles pollicitus eſſet, ſe omnes libros ad Dialecticam pertinentes ſcripturum, & id poſtea aut ignauia, aut alia de cauſa prætermiſiſſet, diminutus fuiſſet; nunquam tamẽ id pollicitus eſt. Denique dicimus, fortè Ariſtotelem de his, ac de alijs multa ſcripſiſſe, quæ poſteriorum incuria periere. Vt de multis Analyticorum voluminibus ab Ariſtotele vulgatis aſſeritur.

Vltimum dubium. Cùm Diuiſio tantopere ſit à nobis in ſuperioribus commendata, cuinam inſeruit operationi mentis? Reſpondetur. Omnibus. De prima enim conſtat, cùm Diuiſio ad inueſtigãdas Definitiones ſit quàm idonea. De tertia quoq; manifeſtũ eſt: cùm ex Diuiſio ne varia argumẽta petantur. De media tandem operatione probatur, quia ſi quis percũctetur, an omnis Canis latret: optimè reſpondebo, Canem cœleſtem non latrare, neque marinum, terreſtrem uerò paſſim. Et hinc factum eſt, vt Ariſtoteles multis in locis de Diuiſione tractauerit. Diuiſio cui operationi deſeruiat.

De ordine librorum Dialecticæ. *Cap. 3.*

IN explicandis libris Dialecticę, quorum facta eſt mentio initio capitis ſuperioris, hic ordo ſeruari debet. Primò exponendus eſt liber quinque Vocum, vel Prædicabilium: ſecundò Categoriarum, aut Prædicamentorum: tertiò Enuntiationis, vel Interpretationis tractatio ſequitur: quartò Syllogiſmi in Vniuerſum: quintò Syllogiſmi Demonſtratorij: ſextò Probabilis: ſeptimò Captioſi, vel Sophiſtici. Et quidem optima ratione hi libri diſponuntur; quoniam (vt docuit Porphyrius) ſine quinque Vocibus Categoriæ intelligi nequeunt. Ex his verò quæ in Categorijs collocantur, componuntur Enuntiationes: ex Enuntiationibus Syllogiſmi conflantur. Porrò explicare oportet naturam Syllogiſmi in communi, antequàm ad ſingulas Syllogiſmorum ſpecies deſcendamus: inter quas Demonſtratio, quæ ex neceſſarijs conſtat Enuntiationibus, cùm ſit nobilior, primũ locum obtinet: deinde ſequitur Syllogiſmus ex probabilibus: Syllogiſmus denique fallax vltimo explicatur.

Sed videamus quæ methodus in his libris ſeruetur. Duplex etenim Methodus eſt, alia Diuiſionis, qua progredimur à compoſitis, qua ad ſimplicia; Alia Compoſitionis, qua ex ſimplicibus tendimus ad compoſita. Quod tribus modis fieri conſueuit: primus, quando explicatis ſingulis partibus integris, de toto integro diſputatur; alter quando explicatis ſingulis partibus, quæ in definitione ponendæ ſunt, tota ipſa Definitio traditur: vltimus, quum priùs explanantur omnes cauſæ quæ ad aliquem effectum producendum exiguntur, vt poſtremò totius effectus natura explicetur. Similiter methodus Diuiſionis (quæ dicitur Reſolutionis, Diſſolutionis, & Analytica) tribus modis oppoſitis ſeruari poteſt. Explicandum eſt igitur, quis ordo inter hos libros retineatur, Compoſitionis'ne, an Diuiſionis. Certiſſima res eſt, inter quatuor libros priores ſeruari methodum Compoſitionis.

Enimuero ex his quæ tractantur in Iſagoge,& Categorijs, componuntur Enuntiationes;ex Enuntiationibus Syllogiſmi fiunt.

Ordo inter librum de Syllogiſmo, & ſequentes.

Cæterùm videtur nonnullis,inter librum de Syllogiſmo in Vniuerſum & tres ſequentes ſeruari methodum Diuiſionis, cùm fiat progreſsio à toto vniuerſo ad ſingulas partes ei ſubiectas. Syllogiſmus nanque habet ſe vt genus ad Demonſtratorium,Probabilem, & Sophiſticum;quamquam reuerà non ſit genus. Nobis tamen videtur quodammodo,ſeruari methodum Diuiſionis,potiùs tamen methodum Cōpoſitionis; quia progredimur à parte ad totum. Syllogiſmus enim eſt pars definitionis Syllogiſmi Demonſtratorij. Et veriùs Syllogiſmus in Vniuerſum eſt pars Syllogiſmi Demonſtratorij, quam Demonſtratio ſit pars Syllogiſmi. Sit quidem genus totum ad ſuam ſpeciem,tamen ſpecies eſt etiam totum ad genus. Genus eſt totum in potentiâ ad ſuas ſpecies:quia(vt ait Porphyrius cap.de Differentia)Genus non continet actu differentias, per quas ſpecies conſtituuntur: ac proinde nec ipſas ſpecies continet actu. Vnde ortum eſt illud Porphyrij; Differentia eſt,qua ſpecies ſuperat genus. Tamen ſpecies eſt totum actu,reſpectu generis;cùm ſpecies habeat actu quicquid actu habet genus: inſuperque ſuam vltimam differentiam, quam genus ſola poteſtate continet. Lege Caietanum.cap.de Specie ad finem. Quare cùm actus præſtet potentiæ,perfectiùs,& veriùs progredimur à parte ad totum, quando à genere ad ſpeciem tendimus;quàm quum à ſpecie ad genus.

Ex hoc autem loco quiuis deprehendere poterit,quàm bene à nobis libro ſuperiore, quum numerum Inſtrumentorum,quibus Dialectici vtuntur, iuxta communem ſcholæ ſententiam ſtabiliremus; dictum ſit, Methodum non eſſe inter artificis inſtrumenta connumerandam. Habes enim,Methodum nihil eſſe aliud quàm ordinem inſtrumēta ipſa tractādi:vt quo ordine diffinire, quo diuidere, quo debeas argumentari: id eſt, quando tibi priùs ſuperiora definienda,diuidenda, rationibus etiam colligenda ſint,quàm inferiora:& quando ſecus agendum ſit. Item quando tribus inſtrumentis primum circa totum integrum vti debeas:quando primum circa partes. Sed hæc hactenus. Nunc iam(more noſtro)obiectiones diſſoluamus.

Obiectiones.

Galeni ſententia.

PRima. Galenus addidit methodū Definitionis,quando à tota Definitione progredimur ad ſingulas eius partes: ergo malè nos ponimus duas tantùm methodos. Reſpondetur,methodum Definitionis contineri ſub methodo Analytica; vt patet ex ſuperioribus.

Tres vltimi libri, quem ordinem ſeruent.

Secunda. Quænam methodus ſeruatur in tribus vltimis Dialecticæ libris,Compoſitionisne,an Diuiſionis?Nec enim Demonſtratio eſt pars Syllogiſmi probabilis, nec probabilis Syllogiſmus Demonſtrationis. Reſpondetur, ſeruari methodum perfectionis. Nos enim quum ſupra duas tantùm methodos adduximus Compoſitionis & Diuiſionis,loquebamur de ordine totius ſubiecti alicuius ſcientiæ ad eius partes, vel cauſas:tamen partes ſubiecti inter ſe non oportet,vt ſeruent methodum Compoſitionis, uel Diuiſionis: ſat enim fuerit, ſi inter eas ſeruetur methodus Perfectionis,quæ à perfectioribus ad imperfectiora deſcendit:vel methodus Generationis,quæ more naturalis generationis tendit ab imperfectoribus ad perfectiora. Immò aliquando nulla iſtarum methodorum ſeruatur, ſed Doctor arbitraria methodo vſus de illis primò tractat, de quibus ſibi auditorum ratione habita tractandum

vide-

videtur. Hinc colligendum eſt,methodum hac ratione eſſe diuidendam. Methodus, alia ex vi rationis, alia arbitrariâ. Ea quæ eſt ex vi rationis,ſi ſit inter totum ſubiectum,& eius partes, vel cauſas, erit Compoſitionis, vel Diuiſionis;ſi uerò ſit inter partes ſubiecti inter ſe,uel eſt Perfectionis, vel Generationis: quamquam etiam inter Subiectum, & eius partes neceſſariò ſeruetur methodus Generationis,vel Perfectionis.

De ſubiecto & neceßitate libri quinque Vocum. Cap. 4.

IN hoc libro quinque Vocum agitur de Vniuerſo, aut Vniuerſali. Vniuerſale autem quatuor modis dicitur. Eſt vniuerſum in exiſtendo;vt Deus ipſe,in quo rerum omnes perfectiones exiſtunt: tota etiam hæc mundi machina vocatur Vniuerſum in exiſtẽdo;quia in ea ſunt quęcunque exiſtunt. Secundò,vniuerſum in efficiendo,vt Deus,qui omnia condidit;& Sol qui generat omnia inferiora,dicente Ariſtotele:Sol & homo generant hominem. Tertiò,Vniuerſum in repræſentando, vt ſpecies,vel imago Leonis;quam elicit intellectus agens ex phantaſmatibus,vocatur Vniuerſa;quia repręſentat non hunc leonem,vel illum,ſed omnem leonem. Quarto dicitur, Vniuerſum in prædicando,quod de multis prædicatur,vt animal;quod de multis verè dicitur:homò enim eſt animal, & brutum eſt Animal. Alij dicunt. Vniuerſum quatuor modis dici;primum,exiſtentia; deinde virtute agentis, mox repræſentatione,aut ſimilitudine;denique attributione.Sed Vniuerſum id prædicando;oportet de multis prædicari in recto: nam in obliquo etiam poteſt indiuiduum de multis efferri,& dici: vt ſi Plato habeat mille argenteos,de quolibet eorum verè dicitur, hic argenteus eſt Platonis;non tamen eſt Plato. *Vniuerſale quatuor modis.*

Subiectũ huius libri eſt Vniuerſum quarto modo,quod diuiditur in Genus,Speciem,Differentiam, Proprium,& Accidens.Si quidem omne Vniuerſum vel pręedicatur in quid,vel in quale.Illud Vniuerſum prædicatur in quid,per quod aptè reſpondemus ad quęſtionem, qua quæritur,Quid res ſit: Vt quid eſt homo? Animal. Illud dicitur in Quale, per quod aptè reſpondemus ad quæſtionem, qua inueſtigatur,Qualis res ſit;vt quale animal eſt homo? Reſpondetur:Rationale. Porrò ſi effertur in quid,vel dicitur de differentibus numero tantùm;& eſt Species,uel de differentibus ſpecie;& eſt Genus; vt animal. Si verò prædicatur in Quale, vel eſt de rei eſſentia; & tunc Differentia eſt; vt rationale: vel non eſt de rei eſſentia,& tũc aut fluit ab eſſentia,& eſt Proprium, vt riſibile;aut eſt eſſentię adu entitium,& eſt Accidens.Prędicari in Quid, ab alijs dicitur, in quęſtione naturæ efferri: & prædicari in Quale,dici, in quæſtione qualitatis. Et quidem hęc tractatio eſt apprimè neceſſaria ad librum Categoriarum;cùm Categoria ſit eorum quę prędicari poſſunt ſeries quędam, & ordo. Iam ad definitiones, quę ex genere & differentia componentur, vix poteſt dici, quàm ſit accommodata. Denique ad Demonſtrationes, in quibus proprię paſsiones de ſubiectis, media definitione, probantur, magnas affert vtilitates. *Quot ſint Vniuerſalia.*

Obiectio aduerſus ſuperiora.

CVm in hoc libro de Indiuiduo diſputetur, eiuſque aſsignentur proprietates, quomodo Vniuerſum eius Subiectum dicitur? Reſpondetur; Quia ſi agitur de Indiuiduo, id non fit ratione ſui, ſed quatenus eius tractatio ad vniuerſi explicationem conducit. Poſſet hoc loco tractari quæſtio de numero vniuerſalium, ſed meliùs explicabitur in hoc eodem tractatu poſt quinque Vocum diſputationem. Solet præterea agi de Indiuiduo ante voces communes; quem more ſecuti fuiſſemus, ſi poſſent omnia, quæ de illo dicturi ſumus, ignorata vniuerſorum natura, intelligi. Quamobrem finitis quinque Vocibus, Indiuidui tractatio ſubſequetur.

De Genere, & Specie. *Cap.* 5.

Quid Genus.

QVoniam Genus prædicatur in quid, eius tractatio præcedit tractationem differentiæ Proprij & Accidentis, quæ prædicantur in quale. Quia verò dicitur de pluribus differentibus ſpecie, anteponendum eſt Speciei, quæ ſolùm dicitur de numero differentibus. Eſt autem Genus, quod dicitur de multis differentibus ſpecie, in quęſtione qua rei natura inueſtigatur; vt animal. Quęrenti enim quid ſit homo, aut brutum, aptè reſpondemus, Animal. Qua definitione Genus ſeparatur à reliquis omnibus. Etenim ſi Genus de pluribus dicitur, non eſt indiuiduũ ſi de ſpecie differentibus non eſt ſpecies Atoma: ſi in quęſtione, qua quęritur quid res ſit, non eſt Differentia, Proprium, vel Accidens. Ita quidem accipitur Genus à Dialecticis. Nam Genus, vt ſumitur pro generationis principio, aut pro collectione multorum, qui ab vno originem ducunt; vt genus Romanorum ad populares pertinet.

Tractationi Generis coniuncta eſt Speciei diſputatio, cùm ſint correlata. Species autem accipitur pro rei pulchritudine, ſicut dictum eſt, Species Priami, vel Prima digna eſt imperio. Sed à Logico illud Species vocatur, quod ſubijcitur generi, & de quo genus dicitur in quęſtione, qua ipſius natura inueſtigatur: vt homo ſub animali continetur, & de eo interroganti quid ſit, egregiè reſpondebimus, ſi dicamus eſſe animal. A Porphyrio autem ita Species definitur: Species eſt, quę de pluribus numero differentibus dicitur, in quęſtione qua quid res ſit quęritur, vt homo de Socrate & Platone. Tribus enim modis aliqua differunt ex Ariſt. cap. 6. 1. Top. ſcilicet Numero, Specie, & Genere. Numero differunt diuerſa indiuidua, vt Petrus & Paulus: Specie differunt, quę vel ſunt diuerſę ſpecies, vel ſub diuerſis ſpeciebus (formis alij dicerent) continentur; vt homo & leo, Petrus & hic leo. Genere differunt, quę ſunt diuerſa genera, vt Subſtantia & Quantitas; vel ſub diuerſis generibus continentur, vt homo & candor. Totidem modis aliquid dicitur idem. Genere, idem ſunt, quę ſub eodem genere continentur, vt homo & leo; Specie, quę ſub eadem ſpecie collocantur, vt Socrates & Plato. Idem verò numero eſt, quodlibet indiuiduum ſibi ipſi collatum, vt Marcus Tullius. Alia quę dici poſſent de modis eiuſdem & diuerſi ſcribemus (ſi vita ſuppetet) quum Porphyrium exponemus. Hęc enim ſufficiunt ad Generis, & Speciei diffinitiones intelligendas.

Quid Species.

Tribus modis aliqua differunt.

Quotuplex ſit Genus, itemq; Species.

Genus diuiditur in Supremum & Intermedium. Supremum eſt, quod cùm ſit genus, ſpecies eſſe nequit, vt ſubſtantia, & alia nouem genera. Interiectum, vel Intermedium eſt, quod cùm ſit genus, eſt etiam ſpecies; vt animal. Et tam genus ſupremum

mum, quàm intermedium, pertinent ad primum prædicabile, vel ad primã vocẽ. Species quoque duplex eſt, alia Infima, quæ cùm ſit ſpecies, genus eſſe non poteſt; vt homo; qui ſub ſe non habet plures ſpecies: quamobrem Atoma dicitur; id eſt, in diuiſibilis in alias ſpecies. Alia autẽ dicitur Interiecta, quia cùm ſit ſpecies, eſt genus quoque, ſi ad diuerſa comparetur, vt animal genus eſt hominis; ſpecies verò ſubſtantiæ. Cæterùm ad ſecundum vniuerſale, aut ad ſecũdã vocẽ, vel notionem ſola ſpecies Infima pertinent. Si enim Interiecta referatur ad inferiora, eſt genus; & ſpectat ad primum prædicabile: ſi ad ſuperiora, nõ ſe habet vt prædicabile, aut prædicatum, ſed potiùs ut ſubiectũ. Quæ Species ad ſecundã Vocem pertineat.

Argumenta aduerſus ſuperiora.

PRimum. Corpus dicitur de differentibus ſpecie, nempè de cœlo & niue, in quæſtione qua rei natura inueſtigatur; at corpus non eſt genus ad cœlum & niuem: ergo definitio generis non eſt bona. Probatur aſſumptio. Nam omne Genus debet eſſe vniuocum, vel Synonymum; ſed, teſte Ariſtot. 10. Metaphyſi. text. 26. rei corruptibili, & ei quæ non poteſt corrumpi (cælum verò incorruptibile eſt, nix facilè perit) nihil poteſt eſſe commune vniuocum. Ergo Corpus non eſt genus. Infra in Categorijs capite de Homonymis, & Synonymis reſpondebimus.

Secundum argumentum. Phœnix eſt Species, & non habet ſub ſe plura indiuidua, de quibus dicatur. Præterea apud diuum Thomam 1. par queſt. 50. art. 4. quilibet Angelus eſt ſuę ſpeciei: ergo iſtę ſpecies non poſſunt prędicari de pluribus differentibus numero. Reſpondetur, in qualibet ſpecie duo eſſe conſideranda, alterum eſt natura, alterum verò talem naturam eſſe abſtractam. Si natura ſolùm conſideretur, dantur plures naturæ, quibus repugnat de pluribus indiuiduis dici: at verò ſi conſideretur natura, vt abſtracta eſt: non datur ſpecies, cui repugnet dici de pluribus; quia natura quatenus abſtracta eſt, indifferens eſt ad hoc indiuiduũ, aut illud. Quò fit, vt de multis dici poſſit.

Tertium argumentum. Animal eſt genus, atqui prædicatur de pluribus differentibus numero, ſcilicet de Petro, & Paulo; ergo Definitio Speciei vltimę in alia, quàm in rem definitam quadrat. Reſpondetur, non dici de eis animal immediatè, ſed mediantè homine. Species verò infima prædicatur de multis differentibus numero immediatè. Cardinali Caietano non placet hæc ſolutio capite de Specie: & iure diſplicet. Etenim animal dicitur de hoc animali, & illo (quæ differunt numero, quatenus animàlia ſunt) immediatè, cùm hæc propoſitio ſit immediata, hoc animal eſt animal. Quare faciliima reſpõſio eſt, in Definitione ſpeciei ſubintelligendam eſſe particulam Tantùm; vt ſit ſenſus. Species infima eſt, quæ tantùm prædicari poteſt de his, quę differunt numero. Licet enim Animal prędicetur de his, quę differunt numero tantùm: prędicatur namque de Petro & Paulo, qui differunt numero tantùm; non tamen prędicatur tantùm de his, quę differunt ſolo numero, ſed de alijs etiam quę ſpecie differunt.

De Differentia. Cap. 6.

DIfferentia cùm ſit de rei eſſentia, ante Proprium & Accidens collocatur. Triplex autem eſt differentia, Communis, Propria, & Maximè propria. Communis Differentia eſt aliquod Accidens ſeparabile, quo vna res differt ab alia

vt ſitu corporis,ſtantes ab his qui ſedent diſtinguimur. Propria eſt Accidens inſeparabile:vt cicatrix,quæ iā in callum obduruit. Maximè Propria eſt, quæ addita generi,conſtituit ſpeciem,vt rationale additum animali, conſtituit hominem. Vt enim ſigillum ceræ impreſſum conſtituit certam figuram,atque imaginem,ita rationale,additum animali,conſtituit hominem. Ex his differentijs ſola Maximè propria ad tertium prædicabile ſpectat,Communis ad quintum,Propria verò partim ad quartum, vt riſibilitas,partim ad quintum,vt cicatrix. Differentia Maximè propria ſic à Porphyrio definitur: Quæ prædicatur de pluribus ſpecie differentibus,in quale quid; id eſt,in quale ſecundùm eſſentiam vt ſenſibile,quod de homine & leone dicitur in quale eſſentiale.

Quid ſit Differētia

Diuiditur autem hæc Differentia in Genericam,& Specificam ; vel in Interiectā & Infimam. Generica eſt,quæ reciprocatur cū aliqua ſpecie interiecta,vt ſenſibile cū animali. Specifica eſt, quæ viciſſim cum aliqua ſpecie infima commeat, vt rationale cum homine. Angeli ſiquidem, quos Platonici Deos vocant,nō ſunt rationales,ſed intellectuales. Item alia diuiſio Differentiæ aſsignatur in Conſtituentem & Diuidentem. Conſtituens eſt, quæ addita generi, ſpeciem conſtituit: Diuidens eſt,quæ genus aliquod diuidit. Non tamen hæc diuiſio ſecunda eſt in diuerſas omninò differentias,ſed in diuerſa munera & officia eiuſdem met differentiæ. Rationale enim ſimul conſtituit hominem ; & vnà cum irrationali diuidit animal.

Quotuplex ſit differentia.

Controuerſia circa diffinitionem Differentiæ.

QVæſtio eſt,an definitio Differentiæ Maximè Propriæ ſit bona. Non enim cōpetit omni differentię. Nam differentia quæ cum ſpecie infima reciprocatur, non poteſt de pluribus ſpecie differentibus dici; vt in ipſo rationali perſpicuè conſtat. Cardinalis Caietanus capite de Differentia, duo dicit: primum eſt,omnem differentiam hac definitione à Porphyrio eſſe definitam; Alterum eſt,hanc definitionem competere etiam differentiæ vltimæ,per non repugnantiam: quia ſcilicet ſi differentia vltima conſideretur,non quà vltima eſt,ſed quà differentia tantùm eſt, non repugnat ei prædicari de pluribus differentibus ſpecie. Si enim id repugnaret Differentiæ vltimæ quà differentia eſt,profectò omni differentiæ etiam Genericæ repugnaret: quia quod alicui repugnat quà tale eſt, repugnat omni tali. Sed primum eius dictum impugnatur. Si Porphyrius voluit, omnem Differentiam definire, ſuperuacaneè poſuit illam particulam,de differentibus ſpecie; illa enim ſublata, planior reſtabat omnis differentiæ diffinitio: dicendo; Differentiam eſſe, quæ de pluribus dicitur in quale quid. Secundum quoque dictum ſic impugnatur. Etenim modus hic exponendi diffinitiones per non repugnantiam, definiendi artem peruertit. Poterit nanque quiſpiam ſic definire Animal: Subſtantia corporea, animata, ſenſus rationiſque particeps. Quòd ſi quiſpiam eum reprehendere velit, quia illa definitio non cōuenit omnibus animalibus, brutis videlicet; reſpondebit facilè,brutum eſſe rationis particeps per non repugnantiam: quoniam bruto,quatenus animal non repugnat eſſe rationale: alioquin omni animali, etiam homini id repugnaret. Item eſt aliud argumentum. Nam eodem pacto potuiſſet Porphyrius dicere, Differentiam eſſe quæ tantum prædicari poteſt de numero differentibus in quale; & poſtea diceremus nos, illam definitionem competere etiam differentiæ interiectę per non repugnantiam;

Quid ſentiēdum ſit de modo diffiniendi per nō repugnātiā.

qua-

ꝗatenus differentia eſt. Si enim differentiæ interiectæ, quatenus differentia eſt, repugnaret tantùm prædicari de multis differentibus numero, profectò id omni differentiæ, etiam vltimę, repugnaret. Exemplum verò, quo hunc definiendi modū eruditiſſimus Caietanus nititur confirmare, quum grauiores in Porphyrij Iſagogem quæſtiones vulgabimus, refellemus: quia non poterunt modò ſolutionem intelligere omnes, quos nunc inſtituimus.

Alij dicunt, & quidem verè, Porphyrium noluiſſe, illa definitione omnem differentiam comprehendere. Quorum ſententiam nos duobus Porphyrij teſtimonijs confirmamus. Primum: In Categorijs capite 38. poſtquam hanc eandem definitionē pro poſuiſſet, percūctatur ipſe ſe. Nunquid ita ſemper ſe res habet? Et reſpondet. Non ita planè, ſed vt in plurimum fieri conſueuit. Porrò in Iſagoge capite de Communitatibus Proprij & Differentiæ ait, ſępe differentiam dici de pluribus differentibus ſpecie. Dicunt tamen quidam auctores, Porphyrium ſolam differentiam interiectam definire voluiſſe, quoniam illam ſolam putabat eſſe cognitam. Horum licet opinio vera ſit, ratio tamen diſplicet. Porphyrius nanque eodem capite 38. poſt recitata verba, ſic ait; Dantur enim quædam differentiæ, quæ cum ſpecie infima reciprocantur. Et ſubdit exempla; Vt grauitas terræ, & leuitas ignis. An autem exempla ab eo prolata idonea ſint, aliorum eſto iudicium. Nos id tātùm agimus, vt quę eius fuerit mens, oſtendamus. Itaque dicendum eſt ad propoſitam quęſtionem, illa definitione non omnem differentiam explicari, ſed interiectam; non quia eam ſolam dari Porphyrius exiſtimauerit, ſed quia illę, quas agnoſcebat, vt plurimùm interiectę erant. Quòd ſi volueris, differentiam omnem explicare, dicito, Differentiam eſſe, quæ prędicatur de pluribus in quale eſſentiale.

De Proprio. Caput 7.

PRiùs eſt nobis agendum de Proprio, quòd à rei natura dimanat, quàm de Accidente. Sed quatuor modis aliquid dicitur Proprium; primo, quia conuenit ſoli; non tamen omni: vt eſſe Philoſophum, eſt Proprium hominis. Secundo, quia conuenit omni, non tamen ſoli; vt habere cor, reſpectu hominis. Tertio, quia conuenit omni, & ſoli, non tamen ſemper: ut omnes homines, ſi ad ſenectutem perueniant, canescunt. Quarto, quia conuenit omni, ſoli, & ſemper; quę ſola acceptio Proprij ad quartam vocem vniuerſam pertinet: cùm reliquę ad quintam referantur.

Proprium quarto modo ſic definitur. Quod conuenit omni ſoli, & ſemper, & à rei natura dimanat, vt omnis & ſolus homo ſemper ridere poteſt. In qua definitione additur, & à rei natura dimanat, ut Proprium diſtinguatur à Differentia. Differentia enim eſſentialis, vt rationale, competit omni, ſoli, & ſemper: non tamen eſt Proprium quarto modo: quia non fluit ab eſſentia, ſed eſt pars eſſentię, & definitionis. Nec diximus (vt quidam) Proprium fluere à principijs internis, id eſt, à genere, & differentia, quoniam multa ſunt quę habent proprietates, & tamen eorum natura, & eſſentia non componitur ex genere & differentia, vt Deus, qui non ponitur in Categoria. Ens etiam habet multas proprietates, & affectiones, de quibus diſputat Metaphyſica: cùm alioqui non habet genus, & differentiam, aut vlla interna principia: quoniam res ſimpliciſsima eſt. Denique decem ſuprema genera carent genere, & proprietates habēt. Dicit enim Ariſtoteles, maximè proprium eſſe ſubſtantię, vt quū una, & eadem numero ſit contraria, per ſui mutationem ſuſcipere poſsit. Hinc colli-

Proprij definitio.

gendum

gendum eſt, Proprium aliud eſſe Infimum, quod cum ſpecie infima reciprocatur; vt facultas ridendi cum homine: aliud Genericum, vt ſenſibile cum animali: aliud Supremum, quod à generis ſupremi natura fluit: aliud verò Tranſcendes, vt Entis affectiones; ſcilicet Verum, Bonum, Aliquid, Res, & Vnum.

Quæſtiuncula aduerſus ſuperiora.

TActus conuenit omni animali, & ſoli, & ſemper; fluitque à natura animalis; vt conſtat: ſed tactus non eſt proprietas, cùm ſit accidens poſitum in ſecunda ſpecie qualitatis: Ergo definitio Proprij conuenit alijs à definito. Reſpondetur ſenſum tactus eſſe proprietatem animalis, & accidens nihilominùs eſſe; non tamen ad quintum prędicabile pertinere: vt ſequenti capite exponetur.

De Accidente. Cap. 8.

Accidẽtis Finitio. ACcidens, quintum prædicabile, ita definitur à recentioribus Dialecticis. Accidens eſt, quod de multis dicitur contingenter; vt albedo dicitur de hominibus contingenter; poteſt enim illis minimè conuenire. Alia definitio. Accidens eſt, quod poteſt adeſſe & abeſſe; præter eius cui ineſt interitum: vt ſi albedo à me ſeparetur, non continuò ergo peribo. Licet autem Accidens diuidatur in illud, quod re uera ſeparari poteſt, vt candor à manu; & illud quod reuera ſeparari non poteſt, vt nigredo à coruo: omne tamen accidens abeſſe, & adeſſe poteſt, ſaltem cogitatione & mentis opera, nam poteſt coruus intelligi abſque nigredine. Tertia definitio. Accidentis per negationes traditur, tum quia deſcriptio eſt: & per negationes dari poteſt, tum quia ea quæ negantur, iam ſunt explicàta. Ipſa verò talis eſt. Accidens eſt, quod neque eſt Genus, nec Differentia, Species, aut Proprium, ſemper tamen ſubiecto inhæret. Albedo enim ſi cum homine conferatur, nec eſt genus eius; nec ſpecies, aut differentia, vel proprietas; tamen quandiu eſt, in homine eſſe debet. Si enim accidens, quod in aliquo ſubiecto exiſtit, ab illo ſeparetur, continuò eſſe deſinet: quamuis ſuperna virtute efficiatur, vt in ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramẽto maneant accidentia panis & vini; cùm huiuſmodi ſubſtantiæ ibi minimè reperiantur.

Duplex eſt Accidens.

Sed, vt plenè intelligantur ea, quæ ad hanc quintam vocem pertinent, expendenda ſunt, quæ diuus Tom. 1. parte. quæſt. 77. ar. 1. ad quintum, & in quæſtio. de Spiritualibus creaturis. art. 2. docet. Ait nanque, Accidens duobus modis ſumi; primo, vt dicit ens rei in aliquo ſubiecto exiſtens, quo pacto diuiditur in nouem Categorias accidentium; & diſtinguitur contra ſubſtantiam; nec pertinet ad quintam vocẽ prędicabilem: quia quintum prædicabile eſt ſecunda notio; at tale accidens eſt ẽns rei. Immo ſub accidente, hoc modo ſumpto continentur multa genera, vt Quantitas & Qualitas; multæ ſpecies, vt candor & atror; multæ differentiæ, vt diſgregarẽ viſum: continentur etiam proprietates entium rei, præſertim quæ ab illis entibus re uerą diſtinguũtur, ac ſeparantur; vt tactus & facultas ridendi ſunt proprietates; illa quidem animalis; iſta verò hominis, & vtraq; collocatur in ſecunda ſpecie qualitatis. Secundo ſumitur Accidens, vt ſignificat aliquod prædicatum contingens. Differt autem hæc ſignificatio à ſuperiore, quòd accidens primo modo poſſit eſſe ge-

Accidẽtis ſignificationes.

nus,

ius,& ſpecies, &c. Accidens tamen ſecundo modo nequaquam. Vnde albedo ſi refeatur ad hanc, aut illam albedinem, eſt ſpecies & accidens primo modo; ſi verò referatur ad papyrum, non eſt ſpecies, ſed accidens ſecundo modo. Et ita ſumptum accidens, non tantùm multa eorum, quæ collocantur in nouem Categori;s, ſi ad ſuum ſubiectum referantur, continet, ſed etiam multas ſubſtantias. Nam hæc prædicatio: Triangulus eſt ligneus, eſt quinti prædicabilis, quia accidit triangulo fieri ex ligno. Et certè lignum ſubſtantia eſt. Inſuper ſub hoc quinto prædicabili continentur omnia, quotquot ſunt entia rationis; ſi cum entibus rei conferantur. Accidit enim animal, eſſe ſubiectum, eſſe prædicatum, eſſe maiorem, aut minorem extremitatem. Denique ſub hoc quinto prædicabili continentur ipſamet entia rationis; ſi cum alijs entibus rationis, quibus non neceſſariò competunt, conferantur. Vnde ſi fiat hæc enũtiatio, Demonſtratio non eſt Syllogiſmus probabilis, Demonſtratio eſt ſubiectum, & Syllogiſmus probabilis eſt prædicatum; & accidit demonſtrationi eſſe ſubiectum, & Syllogiſmo probabili eſſe prædicatum. Quò fit, vt hæc enuntiatio, Demonſtratio eſt ſubiectum, ſit quinti prædicabilis. Dominicus à Soto 1. Poſter. quæſt. 3. Accidens primo modo ſumptum appellat Accidens Nominaliter; accidens ſecundo modo ſumptum vocat, Accidens Participialiter: quia accidens primo modo ſumptum eſt res, quæ reuera eſt accidens: accidens verò ſecundo modo ſumptum; licet reuera non ſemper ſit res, quæ eſt accidens: tamen ſemper alteri eſt accidens, id eſt alteri accidit: quia hoc modo ſumptum, accidens eſt participium verbi accido, accidis. Quæ non, vt ita loquamur, dixerim, ſed vt intelligamus ſimiles voces, quando in grauiſsimis autoribus reperientur.

Quæ in hoc capite dubia videntur.

Primùm. In ſecunda diffinitione accidentis dictum eſt, accidens poſſe adeſſe, & abeſſe, non pereunte ſubiecto. Mors & Combuſtio ſunt accidentia, at qui mors non poteſt adeſſe præter ſubiecti corruptionem: ergo definitio mala. Probatur Maior. Quia hęc prędicatio, Socrates eſt mortuus, non eſt primi, ſecundi, tertij, vel quarti prędicabilis, ergo eſt quinti: & ita mors eſt accidens. Reſpondetur, negando mortem eſſe accidens, negando etiam illam prędicationem eſſe quinti prædicabilis. Aut enim intelligitur de Socrate, qui olim fuit, & modò non eſt, & ita eſt prædicatio tertij, vel quarti prędicabilis; neceſſarium enim eſt, vt homo qui fuit, & nunc non ſit, mortuus ſit. Si verò intelligatur de homine qui eſt, non modò eſt falſa, ſed prędicatum repugnat ſubiecto; ac ſubinde eſt enuntiatio in materia repugnãt, aut impoſſibili. Omnes autem propoſitiones quinque prędicabilium aut ſunt neceſſarię, aut contingentes, alioquin nunquam eſſent verę. Mors, & Cõbuſtio.

Cęterum percũctabitur aliquis. Cùm hęc vox Mortuus poſsit accipi vt nomen & vt participium, an ea quę dicta ſunt, ſint vera, ſumendo eam vt participium. Duobus ſiquidem modis poteſt accipi hęc vox Mortuus, primo vt nomen, & ſignificat idem quod res mortua: ſecundo vt participium verbi morior, moreris. Inter quas acceptiones eſt diſcrimen vel maximum. Nam ſi quis diceret, Chriſtus eſt mortuus & acciperet Mortuus, vt nomen eſſet hæreticus, nunc enim Chriſtus non eſt res mortua, ſed res viua; dicente Paulo, Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur. Si verò acciperet Mortuus vt participium, catho-

licè loqueretur. Dicimus ſiquidẽ in Symbolo Apoſtolorum, Paſſus ſub Pontio Pilato: crucifixus: mortuus; & ſepultus eſt. Et ſignificat tunc illa vox Mortuus, aliquando perdidiſſe hominis vitam: quod verum fuit in triduo, licet modò iam viuat etiã quatenus homo.

Dubium ergo eſt, ſi loquamur de homine, qui eſt modò, & ſumamus Mortuum vt participium, cuius prædicabilis eſt illa enuntiatio. Verbigratia. Mortuus eſt aliquis homo, & poſtmodum per miraculũ reſurrexit. Si quis dicat, Iſte homo eſt mortuus, verum dicit, ſumendo Mortuum vt participium. Percũctor ergo, cuius prædicabilis ſit illa enuntiatio? Reſpondetur, eſſe quinti prædicabilis: accidit enim homini qui nunc eſt, eſſe mortuum. Sed mors ſumpta hoc pacto, id eſt, ſecundùm hunc modum prædicandi, ut participium, poteſt adeſſe abſque ſubiecti corruptione. Nec quiſquã miretur, quòd exemplis vtamur Theologicis; id enim facimus, quia Dialecticæ intereſt omnibus ſcientijs methodum explicandi enuntiationes, & tollendi Homonymiam indicare. Quid? quòd eis potiſsimùm Dialecticam tradimus, qui poſtmodum Theologiæ ſunt initiandi.

Secundo poteſt obijci in ſuperiora. Nam dictum eſt, accidens ſeparabile, poſſe a ſubiecto reuera ſeparari. Et deinde in tertia definitione accidentis dictum eſt, accidẽs ſemper ſubiecto inhærere. Inhæret ſubiecto ſemper? ergo ab illo ſeparari non poteſt. Reſpondetur, accidens ſeparabile quandiu exiſtit, ſemper ſubiecto inhęrere; uoruntamen poteſt à ſubiecto ſeparari: ſed tunc tale accidens iam non exiſtet. Peribit enim albedo manus, ſi ab ea ſeparetur. Quare vera eſt illa ſententia vulgatiſsima, accidentis Eſſe eſt ineſſe. Quæ ſi de Eſſe exiſtentiæ intelligatur, ſignificat accidens non exiſtere in rerum natura, niſi actu inſit alicui ſubiecto. Quod de viribus naturæ accipiendum eſt. Nam Dei virtute poteſt accidens ſine ſubiecto vllo exiſtere, ut quantitas Euchariſtiæ: quæ nõ modò caret ſubiecto, ſed ipſa eſt veluti ſubiectum aliorum accidentium. Si verò intelligenda ſit illa ſententia de eſſe Eſſentiæ, tunc Accidẽtis eſſe non eſt ineſſe actu, ſed aptitudine: in cuiuſlibet enim Accidentis definitione clauditur ordo ad ſubiectum: id eſt, propenſio & inclinatio ad illud.

Accidẽtis eſſe eſt ineſſe

Tertiò obijcitur aduerſus id quod diximus, accidens inſeparabile, quamuis reuerà ſeparari non poſsit, cogitatione tamen ſeparari poſſe. Primùm nanque ita impugnatur. Quum dicitur, nigredinem poſſe à coruo ſeparari opere intellectus, vel intelligitur de vero iudicio intellectus, vel de falſo. De vero intelligi non poteſt. Etenim ſi reuerà coruus eſt niger, quomodo intellectus verè iudicare poterit, coruum non eſſe nigrum? Si autem intelligatur de falſo iudicio, nihil ad rem, quia falsè etiam poteſt intellectus iudicare, hominem non eſſe animal: at non proinde aſſeremus, animal poſſe ab homine ſeparari. Reſpondetur, intelligi de verò iudicio. Verè ſiquidem intellectus dicere poteſt, coruum non eſſe nigrum, quod in ſequenti obiectione explicabitur.

An Propriũ, & Accidens Inſeparabile differant.

Secundò poteſt impugnari eadem ſententia alio argumento, & ſit quarta obiectio. Eodem enim pacto dicere poſſemus, proprietatem poſſe à ſubiecto ſeparari; quoniã ſicut verè intellectus intelligit coruum ſine nigredine, ita verè poteſt intelligere hominem ſine riſibilitate. Nam quid obſecro vetat hominem intelligi, & nihil de riſibilitate cogitari? Si ergo illa ſeparatio accidentis per intellectum ſufficit vt dicamus accidens inſeparabile abeſſe à ſubiecto; ſufficit quoque vt dicamus, proprietatem poſſe à ſubiecto ſeparari. Quare nullum erit diſcrimen inter proprium & accidens inſeparabile. Ad hoc dubium reſpondet diuus Thomas, aut quiuis ille fuerit, qui opuſculum

dum quadrageſimumoctauum, quod ſub eius nomine circunfertur, edidit, tracta 1. cap. vltimo, præmiſſa diſtinctione. Duplex nanque eſſe poteſt ſeparatio mu- re intellectus, alia per primam eius operationem; quando vnam rem ſine alia in- igimus: vt quando mente apprehendimus naturam hominis, non intelligendo ea, æ ſunt extra eius eſſentiam. Alia per ſecundam operationem, quum vnam rem alia ſeparamus enuntiatione negante, vt quum dicimus, homo non eſt albus. ſeparatione per tertiam operationem non oportet loqui; quia eodem modo res arantur per tertiam & ſecundam operationem.

His poſitis, ſit primum pronuntiatum. Nec proprium, nec accidens in ſeparabi oſſunt reuerà à ſubiecto ſeparari; ſaltem viribus naturæ. Secundum. Tam pro um, quàm accidens inſeparabile poſſunt ſeparari à ſubiecto per primam operatio n, abſque errore. Sicut enim poſſum intelligere coruum, nihil de eius nigredi- curans; ſic poſſum hominis naturam intelligere, non intellecta riſibilitate. Re- ndendum eſt tamen cuidam argumento, quod aduerſus hoc pronuntiatum fie- oteſt: eſtque huiuſmodi. Quicunque intelligit rem aliter quam ſit, fallitur; ſed ellectus intelligens hominem ſine reſibilitate, intelligit eum aliter quàm ſit: mo enim non eſt ſine riſibilitate, ergo fallitur. Sed reſpondetur, poſita tinctione diui Thomæ 1. parte quæſt. 13. art. vltimo ad vltimum. Illa nan- propoſitio intellectus intelligens rem aliter quàm ſit, fallitur: duplicem habet ſum, prior eſt, vt dictio Aliter ſignificet alium modum in obiecto, quod intelligi- s: & tunc eſt vera: nam intellectus intelligens, & cogitãs rem aliter eſſe, quàm allitur: Vt ſi ego cogitarem, hominem in rerum natura ſine facultate ridendi tere. Poſterior ſenſus eſt, vt vocabulum Aliter ſignificet alium modum ex par- oſtri intellectus; & tunc illa propoſitio eſt falſa. Nos ſiquidem alio modo intel mus res, quàm illæ ſint, licet non intelligamus alium modum conuenire rebus, m illis conueniat. Modus quippe, quo nos intelligimus res externas, eſt modus materialis, & abſtractus; licet non intelligamus, res eſſe immateriales. Quare in- ctus intelligens hominem ſine riſibilitate, non fallitur: quia non intelligit, homi- ſine riſibilitate eſſe; ſed intelligit eam, nihil de riſibilitate curans.

An ſit error intelligere rẽ aliter quam ſit.

Tertium pronuntiatum. Proprium non poteſt ſeparari à ſubiecto per ſecundam rationem. Probatur. Hæc propoſitio, homo eſt riſus particeps, eſt neceſſaria, & per vera: ergo hæc alia, homo non eſt riſibilis, ſemper eſt falſa. Quartum. Acci s inſeparabile poteſt ſeparari à ſubiecto per ſecundam operationem mentis: non dem ſimpliciter dicendo, coruum non eſſe nigrum; ſed cum addito, coruus non niger, ſalua natura ſpeciei, id eſt, quamuis coruus non eſſet niger, natura ſpecifi- orui integra permaneret. Etenim diſcrimen eſt inter Proprium & Accidens; Proprium, vt riſibile, conſequitur naturam ſpeciei, & primo ipſi competit; ac pter ſpeciem indiuiduis. Ideo Socrates eſt riſibilis, quia homo eſt riſibilis. Ri- itas enim conuenit homini, quatenus homo: Socrati uerò, non quà Socrates, ſed homo. Accidens verò primò competit alicui indiuiduo, & illius cauſa conuenit m Speciei. Ideo homo ſedet, quia hic, aut ille ſedet: vt docent Porphyrius & ſt. hic capite de Subſtantia in Categorijs, ille capite de communitatibus Gene- & Accidentis in Iſagoge. Quoniam igitur accidens inſeparabile, vt nigredo cor on conuenit coruo, ob ſpeciei naturam; ideò verè dici poteſt, coruũ, ſalua natura cifica, non eſſe nigrũ, nõ tamẽ abſq; errore dici poteſt, hũc coruũ nõ eſſe nigrũ, a natura numerica & indiuiduali. Conſequitur enim nigredo huius corui pecu

Proprium fluit à naturacõmuni, Accidens Inſeparabile à ſingulari.

liarẽ

liarē eius cōplexionē neceſſariò. Hęc dicta ſint ad huius obiectionis 1 e ā ſolutionē.

Alij tamen faciliùs hæc putant explicari, ſi dicamus, inter proprium, & accidens inſeparabile nullum eſſe diſcrimen quantùm ad ſeparationem à ſubiecto, etiam per intellectum: ſed eſſe aliud diſcrimen, quia videlicet proprium tantùm illi naturæ cō petit, cuius eſt proprium; vt riſibilitas tantùm homini: Accidēs tamen inſeparabile multis naturis, vt nigredo coruo, Aethiopi, & Ebeno. Quod diſcrimen aſsignatur à Porphyrio capite vltimo Communitatum & Differentiarum. Nihilominus (vt verum fatear) hæc ſolutio clarior, eſt, quàm verior. Primo enim Porphyrius in illo loco nihil dicit de ſeparatione per intellectum. Quare nihil contra nos loquitur. Deinde hoc diſcrimen non ſufficit inter Proprium, & Accidens Inſeparabile, ſi quoad ſeparationem nullū eſt inter ea diſcrimen. Definitio enim prima & ſecūda, quas tradit Porphyrius, Accidentis non ſatis quintum prædicabile à quarto diſtinguerēt; quia illæ per ſolam ſeparationem definiunt accidens. Et Ariſt. præterea 1. Topicorum cap. 4. præfert definitionē, quam ſecundo Porphyrius tradit, illique tertio loco per negationes procedit.

Entia Rationis. Quinta obiectio eſt contra illud quod dictū eſt, entia rationis contineri ſub quinto prædicabili, quatenus dicuntur de entibus rei. Nā entibus rationis nō bene accōmodatur definitio quinti prædicabilis, quam Porphyrius tradit. Accidens (inquit) eſt, quod neq; eſt genus, nec ſpecies, nec differentia, vel propriū, ſemper tamen ſubiecto inhæret: nos autē ſupra cap. 1. docuimus, entia rationis in nullo rei ente eſſe tāquā in ſubiecto. Reſpōdetur primò, Porphyriū illa definitione ea ſola accidētia definire voluiſſe: quæ ſunt prædicata accidentalia, & præterea ſunt entia rei: vt albedo reſpectu manus. Hinc tamen minimè ſequitur, accidentia ſecundùm rationem, vel ſecundas notiones non pertinere ad quintum prædicabile, quia Porphyrius ſola accidentia nobis notiora voluit definire: ſicut in definitione differentia, quam ſupra tradidimus, ſolas interiectas definire voluit, cùm infimæ etiam pertineant ad tertium prædicabile. Reſpondetur ſecundò, entia rationis in nullo eſſe tanquam in ſubiecto reali; eſſe tamen in aliquo ſubiecto prædicationis, quia dicuntur accidentario de entibus rei, tanquam de ſubiecto.

De Indiuiduo. Cap. 9.

SAepe quum Voces vniuerſas explicaremus, Indiuidui facta eſt mentio: quare dicendum eſt quid ſit, & quotuplex ſit, dummodo priùs quædam nomina interpretemur, quæ eadem rem diuerſa ratione ſignificant. Sunt autem hæc, prima Subſtantia Suppoſitum, Hypoſtaſis, Res naturæ, atque perſona. Omnis enim res mundi, quæ non eſt vniuerſa, appellatur Indiuidua; quia inferiora diuidi nequit: appellatur Singularis, vt diſtinguatur ab vniuerſali; & hoc, ſiue illa res ſit accidens; vt hæc albedo: ſiue pars ſubſtātiæ, vt hæc manus, vel anima: ſiue ſubſtantia integra & completa vt Socrates. Si autem ſi res pertinens ad Categoriam ſubſtantiæ, & ſit completa, vocatur prima Subſtantia; ſicut Subſtantiæ vniuerſales appellantur Secundæ. Dicitur etiam Suppoſitum; & apud Græcos Hypoſtaſis, quia ponitur ſub accidētibus, & ſubſtantijs Secundis; tametſi aliter, atque aliter. Nominatur quoque res Naturæ, vt Petrus eſt res naturæ humanæ; id eſt res habens naturam humanam, aut ad naturam humanam pertinens. Denique ſi non ſolùm fuerit ſubſtantia completa, ſed præterea fuerit rationalis, vel intellectualis naturæ, dicetur Perſona. Perſona, inquit Seuerinus Boethius, eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia. Quare illa ſola quæ

Indiuidui nomina.

habent

quæ habent naturam humanam, Angelicam, vel Diuinam dicuntur perſonæ. Hæc omnia docet diuus Thomas 1. parte, quæſt. 29. art. 2.

Iam ad Indiuidui Logicam tractationem ueniamus. Indiuiduum eſt, quod de vno ſolo prædicatur, ut Petrus de ſe ipſo; uera enim eſt hæc enuntiatio, Petrus eſt Petrus. Porphyrius verò capite de Specie, definit Indiuiduum hac ratione; Indiuiduum eſt, quod quibuſdam proprietatibus conſtat, quæ ſimul in alio inueniri non poſſunt; vt eſſe natum Valentiæ, hac die, hoc anno, his parentibus, hac facie præditum eſſe, &c. Eſt autem quadruplex Indiuiduum, ſcilicet Certum, & Determinatum, ut Petrus: ex Demonſtratione, vt hic homo: ex Hypotheſi, ut Ferdinandi filius, tantùm dicitur de Principe Ioanne, ſi ſolùm illum habuit filium: & Vagum, quod habet rõnem indeterminatã; ut aliquis homo. quia eius ſignificatum per multa uagari põt.

De hoc autem indiuiduo exiſtit controuerſia inter auctores, an de uno tãtùm dicatur. Videtur enim dici de pluribus: nam Petrus eſt aliquis homo, & Paulus ſimiliter. Dicunt ergo quidam; Indiuiduum Vagum dici de vno tantùm, ſecundùm rem, uel ſecundum rationem; dici tamen de multis ſecundum nomen, ſicut etiam patet in Indiuiduo certo, & determinato. Petrus nanque de multis dicitur ſecundùm nomen. Eſt ſiquidem Petrus Apoſtolus, & Petrus Martyr: non tamen de eis dicitur ſecundùm eandem definitionem, & rationem. Definitionem inquam rei, nam definitio nominis Petri cuiuſcunque, eadem eſt: ſcilicet Petrus eſt, qui uocatur hoc nomine Petrus. At definitio Rei diuerſa eſt. Si enim definire velis Petrum Apoſtolum, non ſolùm quà homo, ſed quà Petrus eſt, dices, Petrum eſſe quendam hominem Chriſti domini primum Vicarium, &c. Si autem uelis definire diuum Petrum Martyrem, quà Petrus eſt dices, eſſe hominem duodecim ferè annorum Centurijs poſt Chriſtum, ex parentib. hæreticis natum; ſed hæreticorum acerrimum expugnatorem; qui pro ſanctæ Inquiſitionis officio ſanguinem dedit, &c. Non aliter ſentiũt hi autores de Indiuiduo Vago, ſcilicet illud dici de multis ſolo nomine. Cæterùm diuus Thomas de Potentia quæſt. 9. art. 2. ad primum aſſerit; Indiuiduum Vagum dici de multis eodem nomine, & eadem ratione, ac definitione. Quæ ſententia ita ab eo exponitur. In quolibet Indiuiduo Determinato, & certo duo inueniuntur; eſt enim natura, & peculiaris modus exiſtendi naturæ in illo: Verbi gratia: In Petro, & Paulo eſt natura humana, & præterea naturæ humanæ in Petro cõnexæ ſunt quędam affectiones indiuiduantes, diuerſæ ab illis quæ ſunt in Paulo. Quemadmodum ergo ex functione intellectus conſiderantis naturam humanam, non conſiderata hac natura Petri, uel Pauli, conſurgit in natura humana notio ſpeciei, aut ſaltem vniuerſi: ſic intellectu conſiderante naturam humanam exiſtentem ſub aliquo modo particulari non curando quis ſit ille modus particularis, vtrùm ille qui eſt Petro, an ille qui in Paulo, aut in alio quouis homine; conſurgit in natura humana notio Indiuidui Vagi, & dicitur tunc: Aliquis homo. Quæ ſñia his argumentis probatur. Primum. Apud Ariſtotelem, qui (vt Ethnicus) dixit, mundum ab æterno fuiſſe, & in perpetuum duraturum; hæc propoſitio neceſſaria, Leo eſt. Hoc poſito, ita argumentamur. Leo eſt ergo aliquis Leo eſt: nam ſi nullus Leo eſt, quõ aliquis leo eſt? Antecedens eſt neceſſarium apud Ariſtotelem; ergo & conſequens debet eſſe neceſſarium. Quare hæc propoſitio erit neceſſaria, aliquis leo eſt. At aliquis leo non eſt indiuiduum certũ quia de nullo peculiari, & certo leone verè dicitur, hic leo neceſſariò eſt: ergo indiuiduum Vagum habet rationem incertã, & indeterminatam; & multis cõem apud Ariſtotelẽ. Secundùm argumentũ eſt Theologicum. Perſona dicitur de trib. ſuppoſitis

Vagũ Indiuiduum.

Sententia diui Tho. de Indiuiduo vago.

ut aliquis homo:Ergo Indiuiduum Vagum non prædicatur de multis. Reſpondetur,ſæpe hanc vocem, aliquis homo, poni non quidem ut Indiuiduum Vagum, ſed loco alicuius Indiuidui Certi. Quare illa verba ita accipienda ſunt, ac ſi Ariſtoteles dixiſſet,Prima Subſtantia eſt,ut Socrates,uel Plato.

Quartum. Si Indiuiduum Vagum impropriè eſt Indiuiduum,quare à nobis ſupra diuiſum eſt Indiuiduum in Certum:Ex Demonſtratione,Ex Hypotheſi,atq; Vagum? Huiuſmodi ſunt argumenta nouorum hominum in diuum Thomam. Sed reſpondeant ipſi,quare cùm differentia communis impropriè ſit differentia,Porphyrius diuidat differentiam in communem,propriam,& maximè propriam. Item cùm Syllogiſmus Litigioſus, apud Ariſtotelem 1. Topicorum cap. 1. impropriè ſit Syllogiſmus,quare ab omnibus diuiditur Syllogiſmus in Demonſtratorium,Dialecticum & Litigioſum? Solent ergo viri graues,partes improprias aliquando in Diuiſionib. ponere.

De numero Vniuerſalium. *Cap.* 10.

HAnc quęſtionem in hunc locum diſtulimus,quia ea quæ dicenda ſunt,vix intelligi poterant,niſi explicata priùs cuiuſque Vniuerſi natura. Sententia autem,quę dicit,tantùm eſſe quinque Vniuerſa,duobus modis impugnari poteſt; aut oſtendendo eſſe pauciora,aut demonſtrando eſſe plura. Primum ita probatur;Species non eſt uniuerſum, ergo non ſunt quinque vniuerſa. Probatur antecedens. Nam alioqui falſa eſſet Ariſtotelis ſententia, 1. Topic.cap.3. dicentis,Omnem quæſtionem aut eſſe generis,ut eſt ne animal hominis genus? aut Proprij,ut facultas ridendi eſtne hominis propria affectio? aut accidentis,ut album eſtne accidens hominis? Quòd ſi Species eſſet Vniuerſum,profectò dari poſſet quęſtio Speciei. Idem argumentũ fieri potuiſſet de Differentia,niſi Ariſt. eodem loco quęſtionem differentiæ ad quęſtionem generis retuliſſet.Secundò.Differentia Generica, & Specifica (ut diximus) vnum tm̃ Vniuerſum conſtituunt,id eſt,vnam vocem prędicabilem. Ergo genus & ſpecies tantùm vnum prędicabilẽ conſtituent:Et ita erunt tantùm quatuor Vniuerſa. Conſequentia probatur. Nam tam differunt inter ſe differentia Generica & Specifica,quàm genus, & ſpecies. Etenim ſicut genus,& ſpecies conueniunt,quia vtrunque dicitur in quid de ſuis inferioribus;differunt autem,quia genus de plurib. ſpeciebus,aut formis;ſpecies verò minimè:ita differentia Generica & Specifica, licet ambę prędicentur in quale differunt,quia Generica de pluribus differentibus ſpecie dicitur, Specifica verò nequaquam. Idem argumentum probat dari plura vniuerſa, quàm quinque;ſi contraria methodo proponantur;dicendo; Genus & ſpecies conſtituunt diuerſa prędicabilia: Ergo differentia Generica, & Specifica conſtituent alia duo.

Iam oſtenditur,eſſe plura. Ens eſt vniuerſum, ſed ens non eſt genus, uel ſpecies, &c. ergo ſunt plura quàm quinque. Propoſitio probatur. Scientia eſt vniuerſalium,at Metaphyſica habet pro obiecto ens;dicente Ariſtotele 4. Metaphyſ.tex.1. eſt quædã ſcientia quę ſpeculatur ens vt ens;ergo propoſitio eſt vera. Probatur aſſumptio. Ens non eſt genus,ex Ariſtotele 3. Metaphy.tex.10.& 10.Metaph.text.6.& ex Porphyrio capite de Specie,& ex diuo Thoma multis in locis.Porrò nõ eſt ſpecies:haberet nanq; ſupra ſe genus. Quo pacto licebit etiam, per reliquas voces communes progredi.Secũdũ argumentũ.Deus eſt uniuerſum,cùm de eo diſputent ſacratiſsima

Theologia, & Metaphyſica, & tamen non eſt genus, qui non ſunt Deorum ſpecies; nec ſpecies: ut probat diuus Thomas 1. parte, quęſt. 3. art. 5. Demumq; non eſt Differentia Proprium, aut Accidens: Ergo ſunt plura vniuerſa. Tertium argumentum Indiuiduum Vagum eſt vniuerſum, atqui non eſt genus, uel ſpecies, &c. ut conſtat ex capite ſuperiori: ergo ſunt plura vniuerſa quàm quinque. Propoſitio probatur ex Ariſtotele 1. de partibus Animalium, cap. 4. Illud (inquit) eſt Vniuerſum, quod multis conuenit; ſed Indiuiduum Vagum dicitur de multis ſecundùm nomen, & rationem: vniuerſum igitur erit. Quartum. Decem ſunt Categoriæ, aut Prædicamēta, ergo decem ſunt Prædicabilia: vel aſsignetur cauſa, quare ſunt decem prædicamenta, & quinque prædicabilia. Vltimo dantur aliquæ prædicationes, quæ non pertinēt ad aliquod ex quinque prædicabilibus: ergo erunt plura prædicabilia, uel vniuerſa. Probatur Antecedens. Nam hæc enuntiatio indefinita eſt vera, album eſt animal, & animal non prædicatur in ea admodum generis, aliàs animal pręedicaretur de accidente, ut genus. Multæ alię prędicationes adduci poterant, ſed hę nunc ſufficiant; reliquę infra adducentur. Conſequutio uerò oſtenditur, quia numerus prędicabilium ex varijs generibus prędicationum eſt colligendus.

Varia Prædicationū, ſeu Attributionū, genera.

Oppoſitum autem Porphyrij, & omnium eius interpretum teſtimonio ſuadetur. In huius quęſtionis explicatione nonnulla iacienda ſunt fundamenta. Primum eſt, numerum pdicabilium ſumēdum eſſe ex numero, & diuerſitate modorum prędicandi; quia cùm prędicabile à prędicatione dicatur, quot modis aliquod vniuerſum prędicari poterit, tot erunt vniuerſa, & prædicabilia. Alterum fundamentum. Vniuerſale pōt prędicari de quibus enuntiatione aiente, vt homo eſt animal, uel negante, vt homo non eſt leo. Et cùm modi enuntiationis negantis reducantur ad modos aientis, uel affirmantis; quēadmodum priuatio reducitur ad genus ſui habitus, uel formę, & cęcitas ad viſum; profectò ad numerum prędicabilium inueſtigandum, tantùm erunt nobis numerandi modi, quibus aliqua vox vniuerſa dicitur de aliquo, prędicatione aiēte. Tertium fundamentum. Triplex eſt prędicatio aiens, quędam Idemptica, in qua idem de ſe ipſo dicitur ut animal eſt animal: alia Diſparata, in qua prędicatum omnino diuerſum eſt à ſubiecto; ut homo eſt lapis, alia verò Media, cuius prędicatum nec omninò idem eſt cum ſubiecto, nec omnino diuerſum; vt homo eſt albus: Mox prędicatio Media eſt triplex, alia cuius prædicatum diuerſa penitus ratione de ſuis inferioribus dicitur, ut Canis terreſtris eſt canis; & vocatur Homonyma, uel Aequiuoca prędicatio: alia, cuius prędicatum eadem ratione de ſuis inferioribus dicitur, ut homo eſt animal; appellaturq; Synonyma, vel Vniuoca: eſt tertia, quę Analoga dicitur, cuius prędicatum, aut attributum nec omnino eadem, nec penitus diuerſa rōne de ſuis inferioribus dicitur; ut homo eſt ens. Numerus prędicabilium ſumendus eſt ex numero prędicationum Mediarum; nō quidem omnium, ſed Synonymarum. Porrò prędicatio Synonyma eſt duplex, vnius prędicatum eſt ſimplex, ut homo eſt animal; alterius verò cōpoſitum, ut homo eſt animal rationale. Ad noſtrum autem negotium ſolę prędicationes ſimplices exponendę ſunt. Prętera prędicatio ſimplex aut eſt directa, ut homo eſt animal; aut indirecta, vt animal eſt homo: ex quibus ſolas directas conſiderare oportet. Cæterùm explicare quænam enuntiatio ſit directa, opus, hic labor eſt. Sed nihil eſt tam difficile, quod dicendo non fiat perſpicuum; nihil tam horridum, tam incultum, quod non ſplendeſcat oratione, & tanquam excolatur.

Directa Attributio.

Igitur prædicatio ſimplex, de qua nunc agimus, interdum pertinet ad materiam neceſſa-

neceſſariam, ut hæc, homo eſt animal, interdum ad contingentem,& fortuitam,ut hæc, homo eſt candidus. Quare ad explicandum quænam enuntiatio ſit directa, ſit prima regula. In enuntiationibus neceſſarijs quotieſcunque prædicatum eſt ſuperius in recta linea ad ſubiectum, prædicatio eſt directa; vt homo eſt animal: ſicut quæ oppoſito modo ſe habet eſt indirecta: ut animal eſt homo. Secunda regula. In enuntiationibus neceſſarijs quotieſcunque prædicatum ſe habet, vt forma ad ſubiectum, prædicatio eſt directa: idque uerum eſt, ſiue talis prædicatio ſit paris de pari; vt hæc enuntiatio, homo eſt riſibilis, eſt directa, quia riſibilitas ſe habet vt forma hominis: hæc autem riſibile eſt homo, eſt indirecta, quia,homo non ſe habet ut forma riſibilitatis:ſiue ſuperioris de inferiori,ut homo eſt ſenſibilis; ſiue etiam inferioris de ſuperiori:ut expreſsè docet Caietanus 1. Poſter.c.4.de hac enuntiatione,animal aſt rationale;quia animal ſe habet ut materia, & rationale vt forma. Tertia regula. De enuntiationibus accidentarijs non poteſt certum quid definiri, cùm hæc prædicatio,album eſt muſicum, ſit directa; ac porrò hæc alia,muſicum eſt album,non ſit indirecta. Ergo omnis propoſitio accidentaria, ſiue ſit ſuperioris de inferiori,ſiue inferioris de ſuperiori,ſiue accidentis de ſubſtãtia, ut homo eſt albus;ſiue ſubſtantiæ de accidente,ut triangulus eſt ligneus, eſt directa. Omnis (inquam) aut ferè omnis,ſcio enim hanc eſſe indirectã album eſt homo, quia prædicatum non ſe habet ut forma ſubiecti.Fortè tñ dici poterit, omnes illas,in quibus accidens de accidente dicitur,eſſe directas;pariterq; eas in quibus accidẽs de ſubſtantia prædicatur:ſed illas eſſe indirectas, in quibus ſubſtantia de accidente dicitur; niſi ſubſtantia accipiatur admodum nominis adiectiui;vt triangulus eſt ligneus, hoc album eſt humanum:&c. Quum itaq; dicimus,tantùm eſſe quinque prædicabilia,loquimur de illis,quę dicuntur de aliquo prędicatione non Idemptica,ſed Media Synonyma, Simplici,& quidem Directa. Non ergo negamus dari plura Vniuerſa, ſed dicimus,non dari plura,quę habeant prędictas conditiones.Porphyrius nanq; de his tantùm agere inſtituit,qm faciliora ſunt:quippe cùm in Prologo difficiliores queſtiones ſe minimè tractaturum polliceatur.Et hęc quidem dicta ſunt, ad oſtendendum non eſſe plura vniuerſa his quinq; in ſenſu expoſito. Nam non eſſe pauciora,ſupra oſtendimus illo argumento,omne quod prędicatur (intellige ſi ſit prędicatum ſimplex,Synonymum,& directum)uel prędicatur in Quid,uel in Quale,&c.Vt ſupra habes cap.4.huius libri.

Sunt tamen nonnulli auctores, qui numerum quinque Vocum explicari putant Analogia ſumpta ex rebus Phyſicis, & naturalibus. Quemadmodum enim in reb. naturalibus datur compoſitum conſtans materia, & forma, ita datur ſpecies in iſtis prędicabilibus,quę ex genere, & differentia conſurgit. Genus habet ſe ut eius materia,differentia verò ut forma. Addunt præterea. Quemadmodum in compoſito Phyſico datur accidens conſequens materiam, ut quantitas; & conſequens formam, ut qualitas: ita in his quinque Vocibus dari Proprium,quod formam conſequitur, & Accidens quintum prędicabile,quod pertinet ad conditiones indiuiduantes, quę quidem ex materia oriuntur;ut eſſe album, eſſe Aethiopem. Hęc maiori conſenſu dicuntur, quàm oporteat. Etenim falſum eſt accidens commune,quod eſt quintum prędicabile ſemper materiam conſequi: nam actu intelligere hanc rē, uel illam, eſt accidens; quod poteſt adeſſe, & abeſſe: at non conſequitur materiam, cùm reperiatur etiam in Angelis, & animabus ſeparatis, quę omni carent materia. Inſuper quod dicunt, proprietatem conſequi formam, falſum eſt.

Analogia ſatis recepta.

Quid enim? Nonne eſſe mortale, eſt proprietas omnis ſubſtantiæ corporeæ, ac uiuentis? Nihilominus homo non eſt mortalis propter formam: id eſt, animum rationalem, ſed propter materiam; nempe quia eius corpus ex quatuor elementis eſt compactum. Quare prior explicatio, ex varijs modis prędicandi ſumpta, ſanior multò eſt. Nec me latet, exempla non omnino debere eſſe ſimilia. Quò circa hęc à me dicuntur, vt intelligatur, quo in pretio habenda ſit illa Analogia; probabilem enim cõiecturam pręſtat, non neceſſarium argumentum.

Vniuerſalia Topica.

Reſpondeamus iam obiectionibus. Ad primam dico, Ariſtotelem ſolas illas quęſtiones enumeraſſe, quæ à Dialectico in ſcientijs tractandę ſunt; vel quæ in diſputationem veniunt. at quæſtio ſpeciei non indiget tractatione, ſed pœna, vel ſenſu. Qui enim negat, hoc quod habet ante oculos eſſe ignem, aut Petrum eſſe hominem, aut eget viſu, aut dignus eſt, qui in ignem proijciatur. Quòd ſi oporteat aliquando, huiuſmodi quæſtiones tractari, Per loca generis id fieri poterit. Quare breuiter ſoluitur argumentum, dicendo, illas tantùm quęſtiones eſſe numeratas, in quibus agitur de aliquo vniuerſali, quod de alio etiam uniuerſali dici poteſt: vt an hominis genus ſit animal. Species autem ſolùm dicitur de indiuiduis. Ad ſecundam reſpondetur, aliquod eſſe diſcrimen inter genus & ſpeciem, quod minimè reperitur inter genericam differentiam & ſpecificam: & ideo genus & ſpeciem conſtituere duo prædicabilia; non autem differentiam genericam & ſpecificam. Genus ſiquidem non dicit totam eſſentiam ſpeciei: ſpecies dicit totam eſſentiam indiuidui non (inquam) dicit totam genus actu. Vt exempli gratia, Animal nõ dicit actu rationalitatem, ſed potentia; ideo que totam eſſentiam hominis non actu, ſed potentia dicit. Homo verò dicit humanitatem: Petrus autem & Paulus nihil in eſſentia ſua, pręter humanitatem, continent. Quamobrem homo dicit totam eſſentiam Petri. Porrò hoc diſcrimen non reperitur inter differentiam genericam & ſpecificam; quarum vtramuis ſumpſeris, totam eſſentiam dicit eius, de quo primò & per ſe prædicatur: ut ſenſibile, totam eſſentiam animalis; rationale, hominis. Quod ut perſpicuum fiat, illud ſolertè conſiderandum eſt, inter genus, differentiam, ac definitionem, reſpectu alicuius ſpeciei, vt hominis, eſſe diſcrimen, quòd genus, vt animal, dicit totam eſſentiam hominis in potentia: differentia verò, ut rationale, dicit totam eius eſſentiam actu; & definitio quoque, vt animal rationale dicit etiam totam eſſentiam illius actu. Verùm definitio dicit actu totam eſſentiam explicitè; id eſt, clarè & apertè: differentia verò dicit totam actu, implicitè tamen & occultè; nam rationale includit in ſe animal (ut dicunt Philoſophi) per additamentum. Ita enim definitur rationale, animal habens rationẽ. Dixi autem, inter differentiam Genericam, & Specificam nullum eſſe diſcrimen, ſi comparentur ad ea, de quibus primò & per ſe prędicantur, vt ſenſibile ad animal, rationale ad hominem. Enimuero ſi comparentur ad ea, de quibus primo & per ſe prædicantur, profectò idem diſcrimen reperietur: atq; inter genus & ſpeciem. Siquidem rationale dicit totam eſſentiam hominis actu, ſenſibile in potentia; quia ſenſibile non primò, & per ſe de homine dicitur, ſed de animali. Hęc ſolutio, quamuis multos defenſores habeat, poteſt tamen magnas pati calumnias, de quibus alio loco dicemus. Quare facillima ſolutio eſt, inter genus & ſpeciem eſſe diſcrimen, quod non eſt inter genericam & ſpecificam differentiam; quod genus poſſit prędicari de aliquo vniuerſali primò, & per ſe; ſpecies minimè, cùm ſi proxima ſingularibus. At verò tam differentia generica, quàm ſpecifica primò & per ſe de aliquo vniuerſali prędicantur; illa quidem de genere, hęc verò de ſpecie. Quòd ſi inſtes, etiam ſpeciem poſſe prędicari

Differẽtia Generica & Specifica quare ad unam uoc. mp[?]ti ncant.

Genus, differentia & diffinitio quomodo differant.

de

de aliquo vniuerſali;nempe de Indiuiduo Vago, quia hæc enuntiatio eſt uera,aliquis homo eſt homo; facilis eſt reſponſio,ſi dicamus, diſcrimen eſſe inter genus & ſpeciem, quia genus poteſt prædicari de aliquo vniuerſali ſimplici,ſpecies autem de nullo vniuerſali ſimplici prædicari poteſt prædicatione directa.Indiuiduum antem Vagum vniuerſale compoſitum eſt ex natura & modo particulari exiſtendi; ut ſtatim dicemus.Item genus primò & per ſe prædicatur de aliquo vniuerſali ſibi inferiori, id eſt de ſpecie. At ſpecies id non habet:nam indiuiduum vagum tam latè patet, ſicut ſpecies:omnis enim homo eſt aliquis homo. Iam ad primam earum obiectionum, quę ſecundo loco propoſitę ſunt, reſpondemus cum noſtro Cardinali Caietano in opuſculo de Nominum analogia capite ſexto,ens eſſe uniuerſum; ſed quia eſt Analogum,non pertinere ad noſtrum inſtitutum.Ad aliam reſpondetur. Deum, quoniã dicit naturam infinitam,quæ omnium rerum perfectiones complectitur, non computari inter iſta vniuerſa,de quibus nunc agitur, quanquam ſit vniuerſale; ſaltem quatenus à nobis in hac vita intelligitur.Equidem; vt aliquid ſit uniuerſale,non oportet actu eſſe multis commune; ſed ſufficit, ſi quatenus beneficio intellectus abſtrahitur,non repugnet,eſſe multis commune:vt diximus ſupra cap.5.Certè diuus Tho. 1.p.q.23.ar.9.ait, impoſsibile quidem eſſe,vt reuera ſint plures Dij,tamen hoc nomen Deus quantum eſt ex modo ſignificandi,poſſe eſſe multis commune; vt hoc nomen Sol. Ad tertiam dico,Indiuiduum Vagum eſſe vniuerſale compoſitum,cùm dicat naturam, & peculiarem modum exiſtendi. Quòd ſi mihi adducas diuum Thom. 1.p.q.30.ar.4.ad vltimum ubi poſtquam conceſſerat, perſonam in diuinis eſſe indiuiduum vagum,negat perſonam eſſe vniuerſale:Reſpondetur primùm,diuum Tho. non negare,ſaltem perſonam humanam eſſe vniuerſale. Itaq; defendere, aliquod indiuiduum vagum eſſe vniuerſale, non repugnat doctrinæ eius. Reſpondetur ſecundò, ſanctum Thomam eo in loco tantùm negare,perſonã diuinã eſſe vniuerſale, eo modo,quo vniuerſalia apud nos reperiuntur;ſcilicet cum diuerſitate naturæ in quolibet indiuiduo.Similiter reſpondendum eſt ad argumentum, quod de Diffinitione fieri ſolet;quæ apud Ariſt.7.Top.ca.4.& 1.lib.Poſt.ca.11.eſt prædicatum vniuerſale. Dicendum eſt enim,nunc non agi de vniuerſalibus compoſitis, Definitio autem eſt quid compoſitum ex genere & differentia.Sed non ne ſpecies (nam & hoc dicet aliquis) ex genere quoq; & differentia eſt compoſita? Non eo inficias. Verum qui ita vrget,legat ca.6.libri ſequentis,quæſ.2.Ad quartam reſpondetur,prædicamenta, vel Categorias ſumi ex varijs modis exiſtendi ſubſtantiæ, & accidentis in ſubſtantia,qui cùm ſint decem,decem ſunt prædicamenta.At numerus prædicabilium ſumitur ex varijs modis prædicandi in quid,uel in quale; & hi tantùm ſunt quinque; & ideò quinque erunt prædicabilia. Ad vltimam dico, tales prædicationes eſſe indirectas.

De Indiuiduo Vago.

Quęret tamen fortaſſe aliquis huiuſmodi enuntiationes,hoc rationale,eſt rationale,hoc riſibile eſt riſibile, ad quod prædicabile ex his quinque pertineat,cùm ſint directæ. Reſpondemus, ad ſecundam vocem vniuerſam eas pertinere. Nam licet rationale, ſit reſpectu hominis, differentia; tamen reſpectu huius & illius, rationalis ſpecies eſt. Viſ'ne id probem? Certè hoc rationale,& illud ſolo numero differunt, ac porrò quærenti de hoc rationali, quid ſit,aptè reſpondebis, Rationale:non aliter quàm quærenti de hoc leone,quid ſit aptè,reſpondebis,Leo: Ergo rationale prædicatur de pluribus numero differẽtibus,in quęſtione qua quęritur quid res ſit. Quòd ſi hoc non eſt,quid obſecro erit,ſpeciem eſſe? Eodem penitus modo facultas ridẽ-

Alia generatra attributionum.

di,hominis proprietas eſt,atque dicitur,ſed reſpectu huius, ac illius riſibilitatis verius ſpecies iudicabitur. Vide Caietanum capite de differentia,vbi apertè docet, rationale dici vt ſpeciem de hoc & illo rationali. Demum illud explicandum ſupereſt,quænam ſit hæc prædicatio, Auis eſt alata, homo eſt capitatus. Nec quenquam ex delicatioribus vocabula iſta deterreant; nam in Categoria relatorum Ariſtoteles docet,fingenda eſſe interdum nomina, vt res poſsit commodè explicari ;ſed ad rē. Non eſt facilè explicare, ad quam ex quinque vocibus illæ pertineant prædicationes. Non ſunt generis,non ſpeciei,aut differentiæ; non etiam propri, quia non manat ca nat caput à rei natura. Denique non ſunt accidentijs, quia caput & alia partes ſubſtantiæ ſunt. Intelligendum eſt igitur ex diuo Thom.3.parte quæſt.2.ar.6.inter eſſentiam & accidens (ſumit autem accidentis nomen,vt ſub eo quarta,ac quinta vox vniuerſa continentur)dari medium,vt pote ſubſtantiam. Verbi gratia.Manus nō eſt de eſſentia,mea,alioquin ſine mann nulla ratione poſſem exiſtere:neque accidēs meū eſt,quia eſt pars ſuppoſiti,& ſubſtantię humanę,pertinesq; ad naturæ integritatem. Ex quo fit perſpicuum,manum non eſſe de eſſentia ſuppoſiti humani, nec eius accidens;ſed de eius ſubſtātia,id eſt Hypoſtaſi. Quæ omnia vſq; adeo vera ſunt, vt per ea diuus Tho.loco citato explicet,quomodo hæc enuntiatio,Verbum Dei eſt homo licet non concedatur eſſentialis;non proinde à Catholicis ſit accipienda vt accidentaria, ſed vt ſubſtantialis. Hæc inquies verè dicuntur;ſed potiùs quæſtionē ꝓpoſitā augent,quàm dirimāt. Reſpondeo igitur,illam enuntiationem.Homo eſt capitatus. quamuis non ſit eſſentialis, ſed ſubſtantialis,referri tamen ad eſſentialem, quia pars refertur ad totum. Quò circa illa enuntiatio refertur ad hanc,homo eſt animal, ac proinde pertinet ad generis prædicationem;tametſi nonnihil ab ea differat. Atque hæc de iſta enuntiatione, eiuſque ſimilibus accipiantur. Nam de illa alia,Verbum Dei eſt homo,quid ſentiandum ſit,Theologi,quum eum,quem citauimus,diui Thomæ articulum interpretantur, cumulatiſsimè tractant. Ego id tantùm Dialecticos nunc admonere volo, ne ſuſpicentur,illam eſſe accidentariam prædicationem;quoniam accidēs dicitur in Quale,homo autem non prædicatur de Verbo Dei in Quale:vt ex decreto Alexandri Pontificis maximi colligit diuus Thomas.De numero igitur Vniuerſalium hactenus.

Quomodo natura fiat vniuerſa. Cap. 11.

CAeterùm explicandum eſt nobis,quomodo iſtę notiones generis & ſpeciei,&c. de quibus tractatum eſt,conueniant naturis rerum. Quomodo ſcilicet animal genus ſit, & homo ſpecies. Diuus Thomas de Ente & entia reſpondet huic dubio tribus aſſertionibus,quartum prior eſt. Natura ex ſe nec vniuerſa eſt,nec particularis,vt animal ex ſe nec eſt genus,nec indiuiduum:ſi enim natura animalis ex ſe eſſet vniuerſa, vbiq; vniuerſa eſſet: Nam quod alicui ex ſe conuenit,ſemper ei conuenit. Inde igitur fieret, naturam animalis etiam in aliquo indiuiduo exiſtentem eſſe vniuerſam,multiſq; communem,Porrò ſi natura ex ſe eſſet particularis, ſemper & vbique eſſet particularis;itaque intellectu eſſet particularis : quod eſt abſurdum vel maximum: cùm intellectus vniuerſalium ſit, quemadmodum & ſenſus ſingularium. Scuda aſſertio. Naturæ ex ſe tantùm illa conueniunt, quæ per eius prædicata eſſentialia ſignificantur. Verbi gratia. Homini ex ſe conuenit eſſe ſubſtantiam-

ſtantiam corporem, animatam, ſenſus rationisque compotem; quia hoc ſignificatur per eius prædicata eſſentialia, id eſt, per animal & rationale. Tertia aſſertio. Natura fit particularis, quia ſibi proprietates indiuidui effectrices iunguntur. Vt quia homo habet non modò carnes & oſſa, ſed has carnes & hæc oſſa; eſt non ſolùm homo, ſed hic homo. Fit autem vniuerſalis, quia intellectus à ſingularibus affectionibus eam abſtrahit. Quod qua ratione fiat, capite primo diximus.

Huius capitis dubia.

COntra primam aſſertionem eſt argumẽtum. Natura Angelica ex ſe eſt ſingularis, vt docet diuus Thom. 1. parte quęſt. 3. ar. 3. Ex quo (quãquam videbitur hoc fortaſſe cuiquam durius) colligit, non poſſe plures Angelos eiuſdem ſpeciei atome inueniri. Perperàm igitur in opuſculo de Ente, & Eſſentia negat, naturam per ſe indiuiduam eſſe. Reſpondetur, Diuum Thomam in illo opuſculo agere de naturis tantùm corporeis. Verùm admiſſa hac ſolutione, offert ſe argumentum contra rationem diui Thomæ, etiam ſi ad res corporeas applicetur: nam in ſimili forma datur antecedens verum, & conſequens falſum. Enimuerò Angeli natura ex ſe eſt particularis, & in intellectu noſtro non eſt particularis: Ergo non ſemper ineſt, quod ex ſe ineſt. Reſpondetur, argumentum diui Thomæ firmum vtique eſſe, ſi res illa, quæ ex ſe eſt particularis, intelligatur, vt eius natura poſtulat; ſeu (quod voce diuerſum eſt, re autem vera idem) ſecundùm ſuam eſſentiam: nam tunc, ſi ipſa ex ſua eſſentia eſt ſingularis, etiam in intellectu noſtro ſingularis erit. Quò circa diuus Thomas 1. parte quæſt. 13. art. 9. ait, Angelum non eſſe vniuerſalem, ſi intelligatur ſecundùm ſe, id eſt, ſecundùm ſuam eſſentiam. Cùm itaque poſsint res corporeę à nobis intelligi ſecundùm ſuam eſſentiã, aut ſaltem ratione ſuarum proprietatum, quæ ab ſpecierũ ſcientijs manant, & in noſtro intellectu non poſsint eſſe ſingulares, ſequitur, illas, ſecundùm ſuam rationem & eſſentiam non eſſe ſingulares.

Præterea in primam & ſecũdam aſſertionem obijci poteſt id, quod diuus Thomas de Ente & Eſſentia cap. 4. ait, naturam, ſcilicet, prædicari de ſuis inferioribus ſecundùm ſuam abſolutam conſiderationem, & non ſecundùm id quod ſibi accidentario conuenit. Reſpondetur, & quidem facilè. Quum ignis cõburit ligna, in tali combuſtione duo ſunt aduertẽda: vnum eſt, quod per eam ligno tribuitur, forma ſcilicet ignis alterum eſt, conditio neceſſariò requiſita, vt ignis poſsit ligna comburere, id eſt, applicatio; niſi enim ignis applicetur ligno, nũquã illud comburet. Eadem igitur ratione, quum homo prædicatur de Petro, in ea prædicatione duo ſunt aduertenda; primum eſt illud, quod per eam tribuitur Petro, & hoc eſt id quod homini cõuenit, ratione ſuæ naturæ, & non ex opere intellectus. Quum enim dico, Petrum eſſe hominem, non dico, Petrum eſſe ſpeciem, aut vniuerſale (hæc nanque ſunt quæ cõueniunt homini, quatenus eſt in intellectu) ſed dico, eſſe ſubſtantiam corpoream, animatum, ſentientem, rationalem denique. Secundũ autem eſt cõditio, ſine qua homo de ſuis inferioribus prędicari nõ poſſet; & hoc eſt eſſe vniuerſale, aut eſſe ſpeciẽ. Homo ſiquidem niſi eſſet vniuerſale, non poſſet prędicari de ſuis inferioribus; quia non haberet inferiora de quibus diceretur. Diuus ergo Thomas in loco dudum citato loquitur de prędicatione, quãtùm attinet ad id, quod per eã ſubiecto tribuitur,

non

non quantùm ad conditionem neceſſariò requiſitam, quæ non conuenit naturæ niſi ex munere intellectus,& accidentario.

Iam ita contra tertiam aſſertionem diſputo. Obiectum potentiæ præcedit potentiam,ac facultatem animæ,vt color viſum:ſed Vniuerſale eſt obiectum intellectus,ergo præcedit intellectum, & non fit ab illo. Reſpondetur negando propoſitionē, ſi in vniuerſum accipiatur. Dantur enim potentiæ, quarum obiecta nec temporis, nec naturæ ordine eas præcedunt, ſed potiùs conſequuntur, cùm ab eis producantur:vt vis generandi in patre exiſtens,non ſequitur filium,ſed præcedit;tametſi filius ſit eius obiectum. Quamobrem aſſero, intellectum agentem facere vniuerſale; & ideò non eſſe priùs vniuerſum, quàm ſit operatio intellectus agentis. Cæterùm intellectus patiens percipit vniuerſale, & ideò vniuerſale præcedit actum eius.

De quibuſdam Axiomatibus. Cap. 12.

ANtequam finem huic libro imponamus, quædam theoremata, atque ſententias,quæ de vniuerſis circunferuntur,explicare oportea. Primum theorema. Vniuerſum aut nihil eſt, aut poſterius eſt. Hæc ſententia prolata eſt. 1. de Animâ cap. 1. ab Ariſtotele contra Ideas Platonicas, quæ(ut Ariſtoteles narrat) ab eo ante ſingularia fingebantur: ideò ait Ariſtoteles, aut nihil eſſe uniuerſale, aut ſi aliquod eſt,illud eſſe poſterius ſingularibus;ab ipſiſque educi,medio intellectu. Secundum theorema. Vniuerſum eſt ſemper,& ubique. Equidem hoc axioma non eſt intelligendum in ſenſu aiente,quaſi oporteat quodlibet vniuerſale habere ubiq;,& omni tempore indiuidua;ſed in ſenſu negante:quia profectò uniuerſum ex vi ſuę abſtractionis,non magis ſibi poſtulat,atque præſtituit hunc locum, quàm illum: hoc tempus quàm illud. Intelligendum eſt igitur,eadem ratione, qua ſolet explicari à Philoſophis,& iuriſprudentibus illud vulgatiſsimum dictum; Iure naturæ omnia ſunt communia. Exponitur enim in ſenſu negante,id eſt, natura non ſtatuit hunc agrum,ſeu hoc jumentum,aut pecus eſſe Platonis;illa autem Ciceronis, aut Cęſaris;ſed iure gētium facta eſt rerum diuiſio, ita vt illa ſit priuata cuiuſque poſſeſsio, quę ei aut prima occupatione(ſi in rem,quæ nullius eſſet propria,incidit)aut iuſti belli præda, aut lege,pactione,conditione,ſorte,aut recto alio titulo obtigit.

Tertium axioma. Senſus eſt ſingularium,intellectus vniuerſalium;id eſt,ſenſus cognoſcit ſingularia,intellectus autem vniuerſalia. Cæterùm obſeruandum eſt, in re vniuerſali eſſe duo,naturam,& notionem. Verbi gratia. In homine, qui eſt ſpecies, duo inueniuntur,natura nempe humana,& notio ſpeciei. Quum autem dicimus,intellectum non intelligere niſi vniuerſalia,non eſt ſenſus de vniuerſali pronotione:nō enim ſemper intellectus conſiderat has notiones, ſed pro natura,vel notione:id eſt, quicquid intellectus intelligit,eſt aliquid,cui tribuitur notio vniuerſitatis; aut eſt aliqua notio vniuerſa. In ſcientijs quidem alijs naturę,conſiderantur:in hoc verò libro, notiones ipſæ, potiùs quàm naturę, notionibus ſubiectæ attenduntur. Nec proinde negamus,intellectum quadam ratione verſari circa ſingularia;de qua re in libris de animo diſputatur.

Quartum axioma. Vniuerſale non eſt niſi quando eſt obiectum intellectus. Quæ ſententia in primis non eſt intelligenda de naturis ipſis: miſerrimę enim eſſent rerū naturæ,ſi ab intellectu noſtro penderent; ſed de notione vniuerſitatis accipienda eſt. Verùm hoc loco eſt obſeruandum,duobus modis aliquid eſſe obiectum intellectus,

altero

altero ut res cognita, altero ut reprçſentata. Quandò res aliqua ab intellectu cognoſcitur, eſt eius obiectum, ut cognita; at quum actu non cognoſcitur, ſed tantùm apud ſe intellectus eius ſpeciem & imaginem retinet, tunc ſolùm obijcitur intellectui, vt reprçſentata. Vt autem alicui naturæ notio vniuerſalitatis conueniat, haud oportet, actu eam ab intellectu cognoſci, conſiderarique: quin potius illud erit ſatis, ſi repræſentetur abſque conditionibus indiuiduantibus per aliquam ſpeciem, vel imaginem in intellectu patibili exiſtentem. Itaque omnibus dormientibus adhuc naturę ſunt vniuerſę, quia manent in mentibus hominum ſpecies reprçſentantes naturas ſine cõditionibus indiuiduantibus, quas quidem ſpecies vigilantes receperant.

Ac de notionibus quidem, de genere, ſpecie, de differentia, proprio, & accidente, de uniuerſis denique, ac indiuiduis ſatis hoc loco dictum ſit. Et mihi ipſi profectò nimium ieiunè res graues tractaſſe viderer, niſi ſperarem, aliquando fore, ut ad proprium hęc tractandi locum ueniamus. Nam cùm ſit tam latè patens campus, in quo poſsit effundi calamus, cur ipſum in harum inſtitutionum anguſtias compellamus? Etenim ſcio, quoſdam ex diui Thomę recenſioribus aduerſarijs, iam ante prçliũ exultare, gloriarique vehementer, quòd eum penè è Philoſophorum choro ſubſtulerint, & Caietanum Cardinalem virum literis, morumque honeſtate inſignem, à ſcholis exterminarint; ob eam ſcilicet cauſam, quòd vniuerſa beneficio intellectus fieri, perpetuò, conſtanterque defendant. Beatiſsimi igitur Aquinatis, multorumque eius diſcipulorum, qui iam in cœlis feliciſsimè regnant prçſidio nixi, peculiarem de vniuerſis librum ſcripturi ſumus; in quo ſatis omnibus aduerſarijs faciemus, ac diui THOMAE celeberrimum nomen ab eorum calumnijs defendemus. Sub tanto enim patrono, nihil eſt quod timeamus, nihil quod pertimeſcamus diuinam nobis ad repugnandum gratiam defuturam.

COMMENTARIORVM IN VNIVERSAM LOGICAM LIBER TERTIVS, IN QVO DE CATEGORIIS AGITVR.

De Subiecto, & vtilitate, ac diuiſione libri. Cap. 1.

INſcribitur liber hic, quem in manibus habemus, de Categorijs, aut Prædicamentis. Et licet apud veteres, quodlibet prædicatum appellaretur Prædicamentum: vt in hac enuntiatione, Homo eſt animal, animal erat prædicamentum: tamen apud iuniores Dialecticos prædicamenti nomen, duobus modis accipitur, aut pro genere ſupremo, vt ſubſtantia, vel quantitate, &c. aut pro tota ſerie complectente, & ipſum genus ſupremum, & omnia genera ac ſpecies, & indiuidua quæ ſub illo continentur. In qua ſignificatione loquebatur Porphyrius de Prædicamento in Iſagoge, quum iuxta Boëthij tranſlationem dixit, in quolibet prædicamento eſſe vnum genus ſupremum. Iuxta vtranque autem ſignificationem, decem ſunt prædicamenta, aut (vt Philogręci loquuntur) Categorię; de quibus præſens liber inſtituitur. Potiſsimùm verò in ipſo de Prędicamentis in ſecundo ſenſu diſputatur.

Harum autem Categoriarum tractatio ad Logicum ſpectat, quamuis etiam Metaphyſicus de eis in 5. libro diſputet, ſed Metaphyſicus de illis, vt res quædam ſunt, agit; ſcilicet de ſubſtantia, vt eſt ens per ſe ſubſiſtens: de Accidente, vt alteri inhæret: Logicus verò de ipſis, non ut res ſunt, ſed ut ad ſecundas pertinent notiones, diſputat: nempè vt genera, & ſpecies, ac rerum omnium differentiæ in ipſis continentur; atquo, ut ex eis enuntiationum extrema, ſumuntur.

Quò fit, ut magna ſit libri huius vtilitas. Pręcipuè tamen ad definitiones componendas eſt accõmodatus, quippe cùm rerum omnium genera & differentias indicet. Quamobrem dicitur à Dialecticis, in eo primam mentis functionem, in qua definitiones conſtatur, dirigi.

In tres autem partes diuiditur, ſcilicet, in Prædicamenta, Anteprædicamenta, & Poſtprædicamenta. Et quidem Prædicamenta, ſeu Categorię, ſunt illæ decem ſeries & coordinationes, de quibus in hoc libro potiſsimùm diſputatur. Anteprædicamenta ſunt, quæ explicari oportet, priuſquam ad Categorias veniamus. Adduntur tertio loco Poſtprædicamenta, vt explicentur nonnulla, quorum facta eſt mentio in Categoriarum tractatione.

Ad anteprædicamenta pertinent tres definitiones, duæ diuiſiones, ac duæ regulæ; de quibus ſigillatim tractandum eſt.

Argumen-

Argumenta in hoc caput.

PRimum contra illud quod dictum eſt, Logicum de Categorijs agere, non ut res ſunt. In hoc libro aſsignantur proprietates; quæ generibus competunt, vt res ſunt; ſcilicet, ſuſcipere contraria, proprium dicitur ſubſtantiæ; quantitatis verò, vt ſecundum eam res æquales, aut inæquales dicantur: &c. Ergo de ſubſtantia & quantitate, vt res, quædam ſunt, agitur. Reſpondetur, has proprietates non tradi in hoc libro, ut rerum naturæ, quà res ſunt, cognoſcantur, & ibi ſi ſtamus; ſed ut, cognitis rebus, faciliùs ſecundas notiones intelligamus. Quemadmodum in Metaphyſica agitur de rebus, ut res ſunt, & nonnunquam etiam de ſecundis notionibus agitur; ut 5. Metaphy. de Genere. & 7. Metaph. text. 11. antequam de Quod quid eſt, id eſt, eſſentia diſputetur, agitur de Diffinitione modo Logico: quia ſecundarum notionum tractatio confert nonnihil ad plenā earū rerū cognitionem, de quibus ibi diſſeritur.

Secundum contra illud quod dictum eſt, hunc librum inſeruire, ad primam mentis functionem dirigendam. In prima operatione nullus poteſt eſſe error: ergo nullo eget dirigente. Antecedens eſt Ariſtotelis 3. libro de Animo cap. 6. vbi dicit, intellectum in prima operatione ſemper eſſe verū. Reſpondetur primùm ex diuo Thom. 1. p. q. 17. art. 3. in prima operatione intellectus poſſe eſſe errorem accidentariò, ſicut accidentariò admiſcetur in ea quædam compoſitio. Etenim ſi intellectus noſter ſemper rerum eſſentias ſimplici intuitu, aut (vt dicitur) uno conceptu perciperet, nō egeret dirigente: ſæpe tamen illas cognoſcit duplici conceptu informatus; ſcilicet generis & differentiæ; ex quibus definitio componitur. Quò fit, ut duplex ibi admiſceatur compoſitio: nam partes definitionis inter ſe componuntur, & prętereà definito applicantur; licet hę compoſitiones fiant abſque verbo Sum, es, eſt; quoniam verbi compoſitio ad ſecundam operationem pertinet. Quare duplici ex capite poteſt admiſceri error in prima operatione, nempe quia aut partes definitionis inter ſe repugnant, vt ſi te hominem nominante, ego mente concipiam animal inſenſibile; aut quia licet inter ſe non diſcrepent; repugnant tamen definito: ut ſi dum quis de Leone mecum loquitur, concipiam ego mente animal rationale. Ne igitur huiuſmodi errores contingant, vtilis eſt hic liber, in quo rerum genera & differentię oſtenduntur. Reſpondetur ſecundo: quamuis intellectus in prima operatione non poſſet errare, hunc librum eſſe vtilem, non certè ne erraret, ſed ut citiùs ad definitionem perueniret. Paſsim nanque in hac noſtra ciuitate offendimus cæcos, qui ità omnia eius itinera tenent, ut ſolo ſcipione freti totam perambulent; & hi nihilominus non raro puerum ductorem quęrunt: non quidem ne aberrent, ſed ut citiùs quò tendunt perueniant. In hoc ſimiliter opere via compendiaria ad rerum genera, & differentias inueniendas oſtenditur; vt quauis re propoſita facilè admodùm ſit eius genus ſupremum cognoſcere; ac ad illius differentiam, ſeu affectiones proprias penetrare.

In ſecunda mētis operatione an poſsit eſſe error.

Nec deerit fortè aliquis, cui iſta non placeant: Nam Ariſt. 6. Metaph. tex. 8. docet, in prima operatione nuſquam inueniri veritatem: hic igitur liber non eſt utilis, ut in prima operatione citiùs intellectus ad veritatem perueniat. Reſpondetur, veritatem poſſe in aliquo inueniri, primum, ut in dicente; ſecundò, ut in repreſentante: ut ſi ego dicerem, Petrum eſſe albū, qui reipſa eſt albus, in me eſt veritas, ut in dicente; Si autē ſpeculum reprę̄ſentet eundem Petrū cum albedine, in ſpeculo eſt ueritas, ut in reprę̄ſentāte. ſicut ſi reprę̄ſentet eum nigrum, erit in eo falſitas, ut in reprę̄ſentante. Dicit

ita-

itaq; Ariſtoteles, in prima opatione nõ eſſe veritatẽ, vt in dicẽte; hoc enim pertinet ad ſecũdã operationẽ nõ tamẽ negat, in illa veritatẽ ſæpe, vt in repræſentãte, inueniri.

De Homonymis, ſeu Aequiuocis. Cap. 2.

EX tribus definitionibus ad Ante prędicamenta pertinentibus, prima eſt Homonymorum, altera Synonymorum, poſtrema tandem Paronymorum. Homonyma autem ſunt, quorum nomen eſt commune, ratio verò ſubſtantiæ, nomini accommodata diuerſa. Dicuntur autem Homonyma à Latinis Aequiuoca. Ac profectò Aequiuocum duplex eſt, aliud Aequiuocum æquiuocans, aliud Aequiuocum æquiuocatum. Aequiuocum æquiuocans eſt vox multis, quæ non habent vnam definitionem, communis: vt hæc vox Taurus eſt communis animali quadrupedi, & cuidã monti: quæ tamen habent diuerſas definitiones. Alia ſiquidem eſt definitio Tauri montis, alia Tauri animalis. Aequiuoca æquiuocata ſunt res, quibus nomen diuerſis rationibus eſt commune, vt animal illud, & mons. Atq; de his (meo iudicio) intelligitur definitio Homonymorum, quam tradit Ariſtoteles. Nam animal illud & mons habent commune nomen Tauri, cùm alioquin, quà tauri ſunt, non habeant vnam definitionem. Verùm aduertendum eſt, Aequiuoca definiri in plurali, quia nulla res poteſt eſſe æquiuoca, niſi aliam eiuſdem nominis cõſortem habeat. Nominis, inquã, non curando, an ſit verbum, an nomen, dum tamen ſit vox ad aliquid nominandum impoſita. Quò fit, vt æquiuocatio etiam in verbis reperiatur, vt agricultura & honoratio ſignificantur ęquiuocè hoc verbo colo. Ratio ſubſtantiæ idem eſt quod eſſentiæ ratio, aut definitio; ſi res illa definitionis ſit compos; Aequiuoca enim diuerſam difinitionem habent. Nec ab re quidem additur nomini accommodata. Etenim ea quæ reuera ſunt æquiuoca ſub aliquo nomine, quatenus in eo conueniunt, diuerſas habent definitiones; poſſunt tamen eandem habere definitionem, ſi conſiderentur, quatenus ſub alio nomine continentur. Equidem Canis terreſtris, ac marinus, quẽ canes ſunt, variè definiuntur; at quatenus animalia, eandem omninò definitionem habent.

Quotuplex ſit Aequiuocũ. Duplicia autem ſunt Aequiuoca, alia quæ penitus diuerſis definitionibus explicãtur, vt mons & animal Tauri dicuntur: alia quæ non omninò diuerſam definitionem habent, vt Animal, Medicina, & Vrina, quatenus ſana. Et illa quidem ſimpliciter nominantur, Aequiuoca, ſeu Homonyma; hęc autem mitiori nomine Analoga appellantur. Soletq; inter hæc duo genera latum diſcrimen à noſtris obſeruari, quòd nulla ſcientia inueniatur, cuius obiectum, vel materia ſit aliquod ęquiuocum ſimpliciter; at facilè detur ſcientia, cuius obiectum adęquatum eſt Analogum. Vt obiectum Metaphyſicę eſt Ens. Ens autem Analogum eſt, vt Ariſt. 4. Metaphyſicorum tex. 2. ait.

Secunda diuiſio ęquiuocorum eſt huiuſmodi. Aequiuocum aliud caſu, aliud conſilio ęquiuocationem ſortitur. Caſu ęquiuocum eſt, quando caſu & fortuitò accidit, vt vnum nomen diuerſis rebus tribueretur; ſicut fortè accidit in hoc nomine Taurus. A conſilio ęquiuocum dicitur, quum data opera, imponimus alicui rei nomen alterius; vt factum eſt de ſano reſpectu urinæ, medicinæ: & animalis. Verùm hæc ſecunda diuiſio differt à priori, quia etſi omne analogum ſit ęquiuocum à conſilio, non tamen omne æquiuocum à conſilio eſt analogũ: ſed dantur quædam æquiuoca à conſilio, quæ ſimpliciter ſunt æquiuoca. Vt ſi quis in gratiam patris Caroli, filiũ etiã Carolum nominaret, hoc nomen Carolus de patre & filio diceretur ęquiuocè

uocè

uoce à conſilio;& eſſet merum æquiuocum: quia haberet diuerſas punitus definitiones. Nec arbitretur quiſpiam, illud eſſe analogum, quia diceretur de eis ordine quodam prioris & poſterioris: nõ enim omnis ordo prioris & poſterioris conſtituit Analogiam. Nanq; prius, ſecundùm tempus, non efficit nomen Analogum, alioquin homo Analogicè diceretur de me & patre meo. Solus autem hic ordo temporis reperiretur in nomine Caroli.

Quæ in hoc capite dubia videntur.

PRincipio incertum videtur quod aſſeruimus, Aequiuoca non conſtare vna definitione. Enimuero corpus eſt æquiuocùm ad corpus cęleſte, ac terreſtre atqui eadem ratione dicitur de vtraque: ergo ęquiuoca non ſemper habent diuerſam definitionem. Propoſitio probatur. Quia ſi corpus non eſſet ęquiuocum, eſſet genus ad hęc corpora, cùm de ipſis predicetur in Quid, & ipſa differant ſpecie; at non eſt veriſimile corpus eſſe genus: nam Ariſtotel. 10. Metaph. tex. 26. dicit, caduca & æterna corpora non conuenire genere. Et certè conſtat cęlum corrumpi non poſſe, ſicuti manifeſtum eſt, hęc inferiora ortui & interitui eſſe obnoxia. Reſpondetur ex diuo Thoma 10. Metaphyſicorum lectio. 12. Ariſtotelem eo in loco ſumere genus pro materia; & quia materia cęleſtium & terreſtrium eſt iſta diuerſa, vt ea quę eſt corporis terreſtris, nõ poſsit eſſe cęleſtium orbium. ideò ſcripſit Ariſtoteles, ea differre genere; id eſt mater ia. Nec mirum videatur, materiam appellatam eſſe genus, poſtquam genus omnium rerum ſumitur ab eo, quod habet locum, vicem que materię. Denique Ariſtoteles ipſe 5. Metaphyſicorum tex. 33. id eſt, capite de Genere, nonnunquam generis nomen pro materia & ſubiecto formarum vſurpari, docet. Ac ibidem etiam tradit, illa eſſe diuerſa genere, quę nec materia conueniunt, nec poſſunt inuicem tranſmutari. Reſpondetur ſecundò, duplicem eſſe Aequiuocationem, vnã Logicam, alteram Phyſicam. Ad ęquiuocationem Phyſicam ſufficit aliqua differentia eſſentialis. Cumque omne genus dicatur de ſuis formis, aut ſpeciebus, ſecundùm diuerſas differentias eſſentiales, cuncta genera apud Phyſicum ſunt ęquiuoca. Hęc porrò à pleriſque ſolet aſsignari ratio, quare Ariſtoteles 7. Phyſic. cap. 4. dixit. ſub genere latere ęquiuocationes. Et quamuis (vt probè annotauit ſapientiſsimus Doctor Frater Dominicus Soto) Ariſtoteles eo in loco non dixerit, ſub genere latere ęquiuocationes, ſed latere multa; tamen ſi expendantur antecedentia & conſequentia, in idem recidunt verba iſta, ac ſuperiora. Ad ęquiuocationem verò Logicam amplius aliquid exigitur. Quantumcunque enim duę ſpecies inter ſe eſſentialibus differentijs diſtinguãtur, dicit Logicus, eas non eſſe æquiuocas, reſpectu ſui generis, poſtquã nomen & diffinitio generis ex æquo ipſis conuenit. Sed dices: Ergo Ariſtoteli in Metaphyſica non erat confugiendum ad res corruptibiles & incorruptibiles, ſed ad quaſuis ſpecies. Potuiſſet itaque dicere, nullis ſpeciebus eſſe commune quidpiam vniuocum, apud Phyſicum. Sciendum eſt tamen, etiam apud Phyſicũ maiorem æquiuocationem eſſe inter cęlum & leonem, ſeu aliud corpus mixtum, quàm inter leonem & hominem; nam inter leonem & hominẽ ſolùm reperitur ęquiuocatio Phyſica ratione formę. Materia ſiquidem ipſorum non differt eſſentialiter, cùm eademmet quę modò eſt in homine, poſtea in leone eſſe poſsit. At cęlum, & leo, præter eſſentia-

Genus pro Materia.

Logica, ac Phyſica Homonyma.

eſſentialem differentiam,quam habet ratione formæ,differunt quoque eſſentialiter ratione materię; quia materia leonis nec poteſt,nec potuit vnquam eſſe ſub forma cęli,aut contra. Hoc igitur conſilio actum eſt,vt Ariſtoteles ſupremum gradum ęquiuocationis inter res Phyſicas inuentum expoſiturus, ad res omni corruptione vacuas,& eas quę interire,ac corrumpi poſſunt,confugerit.

De Synonymis, aut Vniuocis. Cap. 3.

SEcunda definitio eſt Synonymorum. Synonyma ſunt;quorum nomen eſt commune, & ratio ſubſtantię nomini accommodata eſt eadem. Vt homo & brutum quà animalia ſunt, idem nomen,eandemq; definitionem habent. Enimuerò quà tenus animalia,nihil aliud ſunt,quà ſubſtantię corporeę,animatę, ſenſus particeps. Synonyma à Latinis Vniuoca nominantur. Cùmq; Vniuocum diuidatur in vniuocum vniuocans,& vniuocatum,hac definitione vniuoca vniuocata definiuntur. Ex quo intelligitur,eam non aliter explicandam,quàm ſuperior Homonymorum definitio expoſita eſt. Nihilominus vt tota quanta eſt fiat perſpicua, tria libuit obſeruare. Primum eſt, deſcrimen eſſe inter Homonymorũ & Synonymorum definitiones, quòd Homonyma dicantur ſi diuerſam omnino, aut quadam ex parte definitionem habeant;at Synonyma neceſſe ſit eandem penitus definitionem habere. Huius diſcriminis hęc eſt ratio;Synonymum habetur in bonis,Homonymum autem in malis;Bonum verò(teſte diuo Dionyſio Areopagita) ex integra cauſa cõſurgit, Malum autem ex ſingulis defectibus: atq; vt Ariſt.ait: Bonum contingit vno modo,malum omnifariam. Quoduis ergo illud ſit,quod definitionem aliqua ratione diſtinguat, ad æquiuocationem ſufficiet. Ad Vniuocationẽ autem,plenè,ac integrè oportebit, eandem eſſe definitionem quod attinet ad illud,ratione cuius Vniuoca appellantur. Secundum eſt: Synonyma aliter accipi ab Ariſt. in Categorijs, aliter verò à Latinis. Latini enim (vt in primis grauis & doctus Pater ac Magiſter Ferrarienſis 1. Contra gentes cap. 35. annotauit)Synonyma appellant plura nomina eandem rem penitus ſignificantia,vt enſis & gladius,Marcus & Tullius. Quo pacto loquitur diuus Thomas 1. parte quæſtio. 13. artic. 4. & 1. lib. Contra gent. loco dudum citato. Ariſtoteles verò appellat Synonyma ea, quæ vnum nomen, vnamque definitionem nomini accommodatam ſortiuntur. Nam quæ Latini appellant Synonyma,meliùs Polyonima dicerent. Tertiũ eſt. Aequiuocum æquiuocans ſi omninò ſit æquiuocum & non ſolùm analogum, tantùm eſſe nomen; at vniuocum vniuocans non modò eſſe nomen,ſed rem quandam,aut ens aliquod,tali nomine præditum,quod de vniuocis vniuocatis nomine & ratione dicitur.

Diſcrimen inter Vniuocorũ & Aequiuocorũ definitiones.

Obiectio in Synonymorum definitionem.

ALbum dicitur de papyro & niue eodem nomine,& eadem omnino definitione, quia vtraque eſt res colorata diſgregãs viſum; & non dicitur de eis Synonymos,cùm nullum accidens etiam in concreto ſumptũ dicatur de ſubſtantia: Synonymòs,ſeu vniuocè àpud Ariſtotelem in Categorijs capite de Subſtantia: ergo definitio

Duobus modis Vniuocũ dici.

tio Synonymorum data eſt nulla. Reſpondetur. Synonymum duobus modis dici; ſtrictè,& latè. Vt aliquid ſit Synonymum ſtrictè, debet idem nomen,& eandem diffinitionem tribuere vniuocis vniuocatis; eo pacto, atq; lege,vt ipſis vniuocatis eius diffinitio eſſentialiter accommodetur. Qua ratione animal eo Synonymum ad hominem & brutum. Ad hunc modum intelligendus eſt Ariſtoteles,quando in Categorijs ſcribit,nullum accidens etiam in concreto prædicari Synonymôs de ſubſtantia. Vt autem aliquid dicatur latè Synonymum ſufficit, ſi nomẽ & rationem tribuat vniuocatis;quamuis non illis conueniat eius diffinitio ſecundùm eorum eſſentiam. Qua ſignificatione Album eſt Synonymum ad papyrum, & niuem. Et hac ratione nos loquebamur ſupra, quum diximus lib.2. quinque prædicabilia eſſe prædicata vniuoca.

De Paronymis. Cap. 4:

SEquitur vt de vna reliqua definitione dicamus,qua expoſita,ad diuiſiones accommodemus. Paronyma(quæ à nonnullis Denominatiua, à Cicerone Coniugata dicuntur) ita Ariſtoteles voluit definire. Paronyma ſunt quæ ab aliquo appellantur,à quo ſecundùm nomen, ſolo caſu & terminatione differunt. Iuſtus & Fortis Paronyma ſunt à iuſtitia & fortitudine;quia à iuſtitia iuſtus appellatur, & iuſti nomẽ à iuſtitiæ vocabulo ſolo caſu differt. Vtque hæc definitio explicata maneat,ſciendũ eſt, ad Denominationem tria requiri, vnum eſt forma denominans,vt candor;alterum res denominata,ut Paulus;tertium eſt nomen ipſum Paronymum,vt hoc nomẽ albus. Hac itaque definitione res denominatæ, quatenus eis nomen denominatiuum competit, definiuntur. Paulus enim, vt nominatur albus,eſt res quæ appellationem, aut nominationem, ſeu nomenclaturam ab ipſa albedine ſortitur:ac iuxta nomen albi ſola terminatione differt ab albedine. Definiunturque hoc loco ea quæ ſunt Paronyma & voce,& ſignificatione ſimul,vt albus,& albedo: non illa quæ ſola ſignificatione Paronyma iudicantur,vt virtus, & ſtudioſus(qualia Paronyma arbitratur eſſe Boethius mulierem Grammaticam,& Grammaticam ſcientiam, quia ſecundùm vocem non ſunt Paronyma,cùm non differant caſu, ſed potius Homonyma & ambigua) neque illa quæ ſunt Paronyma voce tantùm,vt virtus, & (vt ita dixerim) virtuoſus. Non enim apud Latinos vox Virtuoſus ſignificat eum,qui virtutibus preditus eſt.

Impugnantur ſuperiora.

DIſputationis gratia impugnemus quædam ex ſuperioribus. Album & albedo ſunt Paronyma,& non differunt ſolo caſu quoad nomen,ergo definitio nulla. Huius ſyllogiſmi propoſitio receptiſsima eſt. Aſſumptio ita probatur. Nam quoad nomen,differunt etiam prædicatione & attributione, cùm teſte Ariſtotele in Categoria Subſtantiæ, albor non prædicetur de ſubſtantia etiam nomine,album verò prædicetur nomine. Reſpondetur ex Caietano,hoc loco negando conſequentiam. Nam dictio Solum non excludit concomitantia,vt qui dicit; ſolum hominem poſſe ridere,haud negat animal poſſe ridere. Quare quum Ariſtoteles dixit,denominatiua differre ſolo caſu à forma denominante, non excludit differentiam ſecundùm modum prædicandi,quæ ex vario modo nominandi album,& albedinem ſequitur.

An alio præterquã in nomine Denominatiuũ,& eius forma differant.

Experiar,& dicam hæc(ſi potero) planiùs. Accidens duobus modis poteſt nominari,in Abſtracto ſcilicet, & Concreto. Tunc nominatur in Abſtracto, quum ita appellatur, ac ſi eſſet res per ſe exiſtens; vt in his vocibus candor & iuſtitia liquet: tunc verò in Concreto, qñ ſignificatur vt alteri cõueniens & inhærens; vt his vocibus albus ac iuſtus. Nã quãuis album ſolã albedinẽ ſignificet apud Ariſ.c.de Subſtantia, tñ hoc intelligẽdũ eſt primariò,&(vt aiunt)formaliter: ſecundariò.n.&(vt dicũt)materialiter,etiam ſignificat rem illam, cui albedo inhæret. Ex hoc diſcrimine ſequitur aliud; nam accidens in abſtracto non poteſt prædicari de re quia non ſignificatur vt alteri conueniens; ſed vt forma quædam, ac res per ſe ſubſiſtens: quanquam reuerà non per ſe ſubſiſtat. Accidens verò in concreto poteſt prædicari de ſubſtantia, vt quum dicimus, Petrus eſt albus. Et ratio eſt, quia accidens in concreto ſignificatur; vt alteri conueniens, & inhærens. Cęterùm aduertendum eſt, accidens in concreto quando ponitur in enuntiatione, nõ accipi pro ſuo primario, & formali ſignificato, ſed pro ſecundariò, etenim hæc propoſitio, Petrus eſt albus, nõ ſignificat Petrum eſſe albedinem inhærentem ſubiecto, ſed eſſe rem, cui albedo inhæret.

Homo, & humanitas an ſint denominatiua.

Poſtquam ita placet alio ariete, Paronymorum definitionem concutiamus. Homo non dicitur Paronymòs ab humanitate, at in hominem & humanitatem definitio Paronymorum facilè quadrat: non igitur bene tradita eſt. Probatur propoſitio. Si homo diceretur Paronymòs ab humanitate, homo diceretur denominatiuè; ac Paronymòs de illis, quibus humanitas conuenit; ſcilicet de Petro & Paulo: ſicut albũ, quia eſt Paronymum ab albedine, dicitur denominatiuè de illis, quibus albedo tribuitur. Homo verò qui poterit de Petro & Paulo dici Paronimòs, ſi de ipſis effertur Synonymos, atque vniuocè? Iam probatur aſſumptio: quia homo appellatur quis ab humanitate, à qua, ſecundùm nomen, ſolo caſu differt. Reſpondetur, hominem non eſſe Paronymum ab humanitate. Sed quum plerique arbitrentur eſſe Paronymum, minuenda eſt hæc opinio. Etenim diuus Thomas 7.Metaph.lect. 2. aſſerit, formam quam nomen Paronymum ſignificat, non poſſe illis eſſentialiter conuenire, de quibus nomen Paronymum dicitur: ſed humanitas conuenit eſſentialiter illis de quibus homo dicitur: Ergo homo non eſt Paronymum ab humanitate. Tradit hęc eadem Cardinalis Caietanus in Categorijs, quum in hanc definitionem ſcribit. Nec porrò ab his alienus eſt Albertus Magnus Ratisbonenſis quondàm Epiſcopus. Hanc verò ſententiam non vanè, inaniterq; hi patres commenti ſunt, ſed cùm omnia ratione, animoq; luſtraſſent, ita ſenſerũt. Nam cauſam eis prębuit Ariſtoteles 7. Metaphyſicorum tex. 8. ſuffragante vniuerſo bonorum Dialecticorum cœtu. Omnes enim enuntiationem eſſentialem à denominatiua diſtinguunt. Qua in re etiam ipſum Ariſtotelem in Categorijs capite de Subſtantia autorem habent, ubi diſtinguĩt, dici Paronymòs, & dici nomine & ratione eſſentiali. Sed rogas, quare Ariſtoteles hãc particulam non appoſuit in definitione? Reſpondeo, reliquiſſe eam vt manifeſtam; tum 27.Metaphyſicorum loco citato, tum etiam quia denominatiua dicũtur, quòd nomen dent, non eſſentiam & naturam. Reſpondetur ſecundò, non admodum ſolicitos fuiſſe antiquos Philoſophos in tradendis accuratiſsimis definitionibus. Tantùm.n.ea tradebant, quæ apud homines erant in promptu; obſcuriora autem ſuis interpretibus addenda relinquebant. Vnus Porphyrius in exemplum ſufficiet, qui eam Proprij definitionem tradidit, quæ competeret etiã differentiæ vltimæ, niſi à nobis additum aliquid fuiſſet.

Verùm contra ea quæ dicta ſunt in huius quæſiti explicatione, nonum ſe offert argu-

argumentum. Nam hoc nomen adiectiuum Quantus, quanta, quantum eſt denominatiuum, & prædicatur Paronymôs; vt quum dicimus, hominem eſſe quantum: dicitur autem de aliquo, cui ex ſua eſſentia conuenit definitio Quantitatis: Ergo falſa ſunt quæ ex diuo Thoma, & Caietano diximus. Propoſitio nota eſt. Probatur aſſumptiò. Linea ex ſua eſſentia eſt quantitatis ſicut corpus & numerus, atque oratio; ſed Ariſtoteles capite de Quãtitate in hoc libro dicit, lineam eſſe quantam, ergo aſſumptio vera. Diuus præterea Auguſtinus 5. de Trinitate cap. 10. ait; Magnitudinẽ eſſe magnam, cùm alioquin magnum ſit Paronymum, & magnitudo ſit de eſſentia cuiuſq; magnitudinis. Reſpondetur, quædam nomina reſpectu vnius eſſe Synonyma, & reſpectu aliorum Paronyma. In Theologia conceditur hoc nomen Homo prædicari de nobis, & Chriſto Synonymôs & eſſentialiter, at verò de filio Dei quaſi Paronymos, & denominatiuè, eſſertur. Quanquam enim vnuſmet ſit Chriſtus & filius Dei, tamen quatenus Chriſtus, eſt homo eſſentialiter, & neceſſariò: quò ſit, vt homo ſecundùm eſſentiam de ipſo prædicetur. Contra vero ſi tantùm vt filius Dei conſideretur nõ ei tribuitur neceſſariò eſſentia hominis; quare de ipſo prædicabitur homo, quaſi Paronymos. Dixi quaſi Paronymos, ut integrum iudicium relinquatur Theologis. Hi enim iudicabunt, an omnino dicatur Paronymos homo de filio Dei. Sic etiam ſi Quantum referatur ad ea quę ſuapte eſſentia quanta ſunt, vt linea, ſuperficies, & corpus, non eſt Paronymum, aut denominatiuum: ſi verò ad ea quæ ex accidenti eorum eſſentię ſuperaddito quanta dicuntur, vt homo & lapis, Paronymũ erit. Nec aliud de hoc nomine Magnum ſentiendum eſt. Quare quę nos diximus ex diuo Thoma & Caietano de nomine Paronymo, intelligenda ſunt reſpectu corũ ad quę eſt Paronymnm. Data profectò opera, vt or nonnunquam exemplis Theologicis ad diui. Thomę & Caietani Dialectica dogmata corroborãda, vt qui hos grauiſsimos patres inter diſcipulorum cateruas accuſare ſolent, erubeſcant. Illud enim certum eſt, quo aliquid Theologię eſt proximiùs, eò veriùs eſſe; & quantò ampliùs ab ea recedit, atque diſſentit, tantò maiores in errore progreſſus facere. Quantus & magnus.

Ad extremùm impugnatur ſuperior definitio alia ratione. Etenim Cęſaris & Cęſari non ſunt Paronyma ad hac voce Cęſar, vt omnes concedunt; atqui eis competit definitio Paronymorum, ergo quadrat in alia à re definita. Probatur aſſumptio. Nam ab hac voce Cęſar deriuantur, & ab ea ſolo caſu & terminatione differunt. Potiſsimumque eis conuenit definitio Paronymorum, quam Perionius ex Cicerone potiùs, quàm ex Ariſtotele tradit. Paronyma ſunt, quę ab vno orta, variè cõmutãtur. Reſpondetur, non eſſe Paronyma, quia Paronyma ſunt varia nomina; hęc uerò quę ſubiecta ſunt, vnum nomen & diuerſos caſus appellare oportet.

Reſponſio pro Ariſtotele. Cap. 5.

Sed quoniam omnia perſequimur, nec illa quidem à noſtro inſtituto erunt aliena, principiò quidem docere, quęnam Ariſtotelem impulerint cauſę, vt de Homonymis, & Synonymis, & Paronymis diſputaret: mox quare nõ egerit de Polyonymis, & Hęteronymis, ac demum quàm inter ſe differant Homonyma, Synonyma, & Paronyma, vtrum re, an ſola ratione. Egit Ariſtoteles de Homonymis, ut illa qua ex parte Homonyma ſunt, à Categorijs excludi intelligamus. De Synonymis, quia tametſi non omnia Synonyma in Categorijs collocentur, quippe cùm multa entia rationis

ad ſua inferiora Synonyma ſint; nec proinde in Categorijs ponantur: tamen quicquid in Categorijs ponitur, Synonymum eſſe oportet. De Paronymis verò diſputauit,vt ſciamus Paronyma ad eandem Categoriam referenda eſſe, ad quam pertinent formę, quæ per ipſa ſignificatur: vt album ad Categoriam Qualitatis; ſicut albedo ipſa. Porrò autem alia ſolet eiuſdem tractationis ratio aſsignari. Etenim ſuprema genera ad tria poſſunt referri,primũ ad Ens, tum ad ſua quæque inferiora,denique inter ſe:vt qualitas cum ſubſtantia. Ratione primi ordinis genera ſuprema ſunt æquiuoca,ſaltem analoga, ſeu veriùs analogata:ratione ſecundi,Synonyma: tandẽ ratione tertij,verè Paronyma. De his itaque Ariſtoteli erat diſputãdũ.

Sed de Polyonymis & Heteronymis minimè egit, quia Polyonyma ſunt diuerſa nomina,eandem penitus rem ſignificantia, vt Marcus Tullius Cicero. Heteronyma autem vt ſunt diuerſa nomina, ita quoq; res diuerſas ſignificant,vt Enſis, & India.Polyonyma igitur è diametro pugnant cum Homonymis,quæ ſub vno nomine res omninò diuerſas includunt: Heteronyma verò Synonymis opponuntur,quæ & vnum nomen, & vnam rationem habent. Quum itaque vnum contrariorum facilè intelligatur ex alio,agens Ariſt. de Homonymis & Synonymis,reliquis Polyonyma,& Heteronyma. Iam verò cùm hic liber ad Enuntiationis tractationem dirigatur,poteſt alia ratione Ariſtoteles excuſari. Equidem ex Polyonymis non fiunt enuntiationes,quæ admodùm ad Diſciplinas pertineant, vt an enſis ſit gladius; eſſet enim quæſtio de nomine; ex Heteronymis etiam non poſſunt fieri enuntiationes verę aientes,quarum potiſsima eſt cura,ſed omnes erãt falſæ; ut iſta,homo eſt Leo: at propoſitiones Synonymæ & Paronymæ,vt homo eſt animal,homo eſt albus, longam exigunt tractationem; immò etiam prædicationes Homonymæ, ſaltem Analogæ valde ad ſcientias pertinent. Ideò igitur actum eſt de his tribus.

Hinc perſpicuum fit,Homonyma, Synonyma,& Paronyma ratione quidem ſemper diſtingui;re autem vera interdum in vnum conuenire. Nam (vt diximus) qualitas ſi conferatur cum ente, Homonymiam Analogię ſortitur; ſi cum albedo,& nigro,Synonymum eſt;ſi cum homine colorato,fit Paronymum.

De prima diuiſione. Cap. 6.

POſt definitiones ſequuntur duę diuiſiones,quarum prior huiuſmodi eſt. Eorum quę ſunt, quędam ſunt compoſita,vt homo albus; quędam ſimplicia,vt homo. Ex his compoſita à Categorijs excluduntur, ſimplicia ad Categorias pertinet. Sed tribus modis poteſt aliquid eſſe compſiotum. Aut enim voce tãtùm compoſitũ eſt,ut Marcus Tullius,aut ſignificatione ſola,vt omnia Homonyma: quemadmodum nomen Canis,& omnia verba, vt curro, quod ſignificat ego curro; aut denique voce & ſignificatione ſimul, vt homo albus. A Categorijs igitur excluduntur ſola compoſita, quoad ſignificationem, ſiue quòd ad uocem attinet ſimplicia ſint,ſiue complexa.. Quamobrem homo albus in nulla Categoria ponitur, ſed homo de ponitur in Categoria Subſtantiæ, albus in Categoria Qualitatis. Eodem pacto animal ratioale in nulla Categoria ponitur in recta linea: ſed animal in recta linea, rationale ad latus. Illa verò quæ tantùm

voce

uoce compoſita ſunt, nequaquam à Categorijs reijci debent: vocum enim compoſitio non rarò ob vocabulorum penuriam accidit; ut patet in hac voce Corpus animatũ apud Porphyriũ capit de Specie; & in hac alia Intellectus agẽs; cũ alioquin intellectus agẽs ſit quoddã ſimplex accidens, ad ſecundã ſpeciẽ Qualitatis pertinens.

Huius capitis quæſtiones.

Vellem hoc loco obſeruari, de verborum ſignificatione ſatis importunam quæſtionem exiſtere, an ſignificatione ſimplici conſtẽt, an verò complexa. Nam qui putant, verba ſimplicem ſignificationem præ ſe ferre, & Ariſt. teſtimonio nitun in hoc capite, in exemplum eorum quæ ſine cõplexione dicũtur verba adducẽtis: & porrò experiẽtia ipſa eorũ opinatio roborat. Quia quũ audimus, pluit, tonat, nõ curamus mẽte concipere, naturam eſſe quæ pluit, aut tonat. Qui verò contra ſentiunt, id probant, quia in omni ferè verbo ſubintelligitur aut perſona certa, aut vero incerta. Quòd ſi in aliquibus perſona minimè intelligatur, ut in his quæ nuper ſunt prolata, dicendum eſt, nihilominus compoſitam ea habere ſignificationem: vt apertiſsimè id libro ſequenti cap. 5. obiectione 2. oſtendetur. Et quidem ad Ariſtotelis teſtimonium ſufficit reſpondere, cum exempli tantùm gratia uerba adduxiſſe; in exemplis verò ſępè ipſum vulgares opiniones ſequi, vt 2. Sent. diſt. 13. artic. 3. ad 3. docet diuus Thomas; & in Topicis eſt manifeſtum. Et probatur ſolutio. Nam ſub finem Anteprædicamentorum ait Ariſt. ea quę ſine complexione dicuntur, verum aut falſum minimè ſignificare: cùm tamen verba verum, aut falſum ſignificare, etiam ſi ſola proferantur libro ſequenti, loco citato demonſtretur.

An ſimplex ſit uerborũ ſignificatio.

Alia etiam exiſtit quęſtio circa illud quod dictum eſt, animal rationale non poni in Categorijs. Homo ponitur in Categoria in recta linea, ergo & animal rationale; cum ſint idem penitus. Reſpondetur, negandam eſſe conſequentiam, nam ad hoc vt aliquid collocetur in Categoria, conſideranda eſt eius ſignificatio: homo autẽ & animal rationale differunt ſignificatione. Sed pergis adhuc. Eadem res penitus ſignificatur per hanc vocem homo, & per hanc animal rationale: vana igitur eſt ſolutio. Reſpondetur, negandum eſſe antecedens, ſi loquamur de ſignificatione immediata: Nam duplicem habent nomina ſignificationem: ſignificant enim res, quibus ſunt impoſita, ut hoc nomen lapis ſignificat rem quæ eſt lapis; ac pręterea, vt expreſsè docet diuus Thomas 1. parte, quęſt. 13. arti. 1. & in 2.2. quęſt. 110. articu. 3. ſignificant conceptus in mente noſtra exiſtentes. Quò circa Ariſtoteles 1. lib. Perihermen. capit. 1. dixit, voces eſſe ſigna earum quę ſunt in anima paſsionum, id eſt, conceptuum, vel affectionum. Quum enim profero hanc vocem Lapis; ſignifico me habere in mente conceptum, vel imaginem lapidis, & hęc vox lapis exprimit auditoribus conceptũ, quem ego in mẽte retinebã: ac proinde voces appellantur mentis interpretes. Deniq; ob eam cauſam in uoce ipſa duplex ueritas reperiri dicitur, una quidem reſpectu rorum, alia ratione conceptuum. Vt ſi hęreticus timore percitus diceret; Romanam Eccleſiam à fide aberrare non poſſe, diceremus continuò, illum verè profectò loqui, ſi eius oratio cũ re de qua tractat cõferatur; falſo tamen ſi cum propria eius mẽte, ac deprauato animo. Ex his autẽ duobus ſignificatis, proximũ eſt conceptus mẽtis, remotũ uerò res ipſa, ad quam ſignificandam nomẽ fuit impoſitum. Vulgus enim Metaphy. dicit, uoces ſignificare res medijs cõceptibus. Quare hoc nomẽ Antropos apud Latinos nullã rem ſignificat, quia is qui tm Latinus eſt, illã uocẽ audiẽs, nullũ cõceptum

Quę cõpoſita à Categorijs exulent.

Duplex nominũ ſignificatio.

mente format:contra verò apud Græcos aliquid ſignificat,quia quum Græcus illam audit,aliquē conceptum mente effingit. Sed vt ab omnibus hæc percipi queant,li buit hoc loco annotare, conceptus mentis à nobis vocari,quæ Cicero,ac Quintilianus animi ſenſa dixerunt. Ad argumentum igitur reſpondetur,Hominē ſignificare quidem aliquid compoſitum, tanquam ſignificatum remotum, cùm rem ex animo & corpore conſtantem ſignificet; at eius ſignificatum proximum eſſe conceptum ſimplicem quo homo repræſentatur. Hæc autem vera ſunt,ſi expendatur vis impoſitionis huius nominis homo. Nam ſæpè accidit, vt audita illa voce,formemus cōceptum hominis compoſitum,id eſt conceptum definitionis homini. Id tamen nō habet vox Homo ex ſua impoſitione,ſed ex bonitate,aut defectu intellectus audientis. Hæc autem oratio, animal rationale,longè aliter ſe habet; nam ſignificationem compoſitam,non modò ſecundariam & mediatam, ſi immediatam etiam recipit.Vt verò res aliqua in Categorijs collocetur, non tam ipſa conſideranda eſt, quàm modus quo mente concipitur. Quamuis enim Angelus res ſimpliciſsima, ut non ponitur in recta linea Categoriæ,quum duplici conceptu apprehenditur.Et quamuis homo re ipſa cōpoſitus ſit, abſq; dubio in Categoria ponitur, quando apprehenditur non duplicato definitionis conceptu,ſed ſimplici,qui ei,vt ſpecies quædam,reſpondet.Denique vt aliquod nomen excludatur,à Categorijs conſideranda eſt eius ſignificationis compoſitio,non quoad ſecundarium ſignificatum,ſed quoad primarium. Quò fit, vt homo poſsit in recta ſerie prædicamenti reponi; non autem animal rationale.

De ſecunda Diuiſione. Cap. 7.

Altera diuiſio in hunc modum proponitur. Eorū quæ ſunt, quædam non ſunt in ſubiecto & dicuntur de ſubiecto;nonnulla ſunt in ſubiecto, & dicuntur de ſubiecto;alia nec ſunt in ſubiecto, nec dicuntur de ſubiecto;tandem alia ſunt quidē in ſubiecto,at de ſubiecto minimè dicuntur. Qua in re ſciendum eſt primò,ſola Synonymos ſimplicia,quæ in recta Categoriæ linea collocantur, hoc loco diuidi. Iam autem & illud intelligendum eſt, hanc diuiſionem quatuor partes ſortiri:quia ens poteſt diuidi in ſubſtantiam & accidens,ſubſtantia verò in vniuerſam & particularē: ſicut etiam accidens. Vnde quatuor ſunt genera entium,ſubſtantia,nempe vniuerſa,& ſingularis,accidens vniuerſum,& ſingulare. Nec illud præterea ignorari debet, propriam notam accidentis eſſe,exiſtere in ſubiecto. Eſſe autem in ſubiecto,illud dicitur,quod,eſt in aliquo,non tāquam pars;& impoſsibile eſt,eſſe ſine eo in quo eſt: vt albedo manus, eſt in ea tanquam in ſubiecto, quia eſt in illa nō quaſi pars; & ſi à manu ſeparetur,certè peribit. Propria verò nota ſubſtantię eſt,nō eſſe in ſubiecto, quia ſubſtantia per ſe ſubſiſtit.Mox indicium vniuerſalis eſt,dici de ſubiecto;id eſt: dici de aliquo nomine & ratione ſecundùm eſſentiam; vt homo dicitur de Petro & Paulo ſecundùm nomen & definitionem:ita vt definitio hominis tribuatur eis ſecūdùm eſſentiam. Quò fit,vt nullum Homonimum de ſuis inferioribus,tanquam de ſubiecto:dicatur Homonyma ſiquidem nō habent vnam rationem.Verùm eſt tamē ea quæ non penitus,ſed partim Homonyma ſunt: id eſt,analoga dici nonnunquam de ſuis inferioribus, vt de ſubiecto. Quare in Categorijs cap.4.quæſt.1.docet Pater Soto,hoc nomen Res,quod eſt vnum & tranſcendentibus, dici de ſubſtantia,& ac-

Dici de Subiecto. *Analogr.*

accidente ſecundùm eſſentiam. Et idem ego arbitror de Ente, vt ſignificat habens eſſentiam, non vt ſignificat habens exiſtentiam. Sed hæc aliquando commodiùs ex ponentur. Fit etiam conſequens ex eadem definitione nullum Paronymum dici tã quam de ſubiecto de illis, quibus Paronymôs attribuitur; quia etſi poſsit de eis nomine & ratione efferri, non tamen ſecundùm eſſentiam. Sequitur tertiò, inter ea quæ ponuntur in recta linea Categoriæ ſola genera & ſpecies dici de ſubiecto, cùm ea ſola habeant inferiora, de quibus ſecundùm eſſentiam efferantur. Tandem proprium Symbolum atq; nota ſingularium eſt, non dici de ſubiecto; ſingularia enim non habent inferiora, de quibus nomine & ratione dicantur.

Quæ cùm ita ſint, liquet primã diuiſionis partẽ ſignificare ſubſtantiã vniuerſam, quæ quia ſubſtantia eſt, nõ eſt in ſubiecto; quia vniuerſa eſt, dicitur de ſubiecto: Secũdam, accidẽs vniuerſale; quod quia accidens, in ſubiecto eſt; quia vniuerſale, de ſubiecto dicitur: Tertiam, ſubſtantiam ſingularem: Quartam denique, accidens ſingulare; quæ partes vt ſuperiores explicandæ ſunt. Sed vt exemplis res fiat illuſtrior, ſubſtãtia vniuerſalis eſt, vt homo, animal; accidens vniuerſale, vt albedo, color; ſubſtantia ſingularis, vt Petrus, Paulus; accidens ſingulare, vt hic candor. Ac meritò quidem anno tarunt viri docti, non vno modo accipi nomen ſubiecti in hac diuiſione. Etenim in illa particula, Dici de ſubiecto, ſubiectum accipitur pro ſubiecto prædicationis eſſentialis; quale eſt homo reſpectu animalis. In particula verò eſſe in ſubiecto, ſumitur pro ſubiecto inhærendi; cuiuſmodi eſt homo reſpectu candoris.

Argumenta aduerſus ſuperiora.

Contra diffinitionem Eſſe in ſubiecto eſt argumentum, quia alteri, quàm re diffinitæ poteſt accommodari. Nã anima leonis eſt in materia, & non tanquam pars materiæ, ac impoſsibile eſt; ut ſine illa materia in rerum natura perſtet: at anima leonis cùm accidens non ſit, non eſt in materia anquam in ſubiecto: ergo alicui definitio conuenit, quod ſub re definita minimè continetur. Sed quatuor modis reſponderi ſolet. Primùm dicitur, animam leonis non eſſe in eius materia quaſi in ſubiecto; quia quod eſt in materia, non eſt in aliquo. Siquidem materia non eſt aliquid actu, dicente Ariſtotele 7. Metaphyſicorum text. 8. materiã nec eſſe Quid, nec Quantum, nec Quale. Secundò reſpondetur, formam leonis eſſe in materia leonis tanquam partem; non quidem ipſius materiæ, ſed totius leonis. Præterea dicitur à quibuſdam, animam leonis poſſe eſſe ſine materia leonis, non quatenus anima leonis eſt, ſed quatenus eſt forma ſubſtantialis. Nam vt eſt forma ſubſtantialis, non repugnat ei exiſtere abſque materia: alioqui id omni formæ ſubſtantiali repugnaret; at non repugnat animali rationali. Nulli igitur formæ ſubſtantiali, qua tali; eſt, repugnat à materia auulſam permanere. Memini libro ſuperiore cap. 6. expoſuiſſe, quid de toto hoc genere interpretandi definitiones ex non repugnantia, ſentiendum ſit. Ad alia igitur veniamus. Quartò reſpondent alij, animam leonis non eſſe in materia tanquam in ſubiecto, quia materia non eſt Aliquid; non quidem ob cauſam à nobis ex Ariſtotele traditam in prima ſolutione, ſed quia in definitione Eſſe in ſubiecto, illud vocatur Aliquid, quod eſt compoſitum ex materia & forma. Quo pacto haud dubium eſt, materiam non eſſe aliquid. Non placet. Quid ita? Quia actus intelligendi eſt in ſubſtantijs ſeparatis tanquam in ſubiecto; cùm illæ minimè computan-

An anima ſit in materia, vt in ſubiecto.

tur ex materia & forma. Itaq; prima & ſecunda ſolutio Ariſt. mentem aſſeruntur.

Eſſe in ſubiecto quomodo ab aliis modis eſſendi ſeparetur.

Secundò offert ſe grauius argumentum. Ariſ. 4 Phy. ca. 3. enumerat octo modos, quibus aliquid eſt in aliquo; primum tanquam partem in toto, vt brachium in homine: ſecundum tanquam totum in partibus, vt totum ędificium in fundamento, parietibus, & tecto conſiſtit: tertium quaſi genus in ſpecie, vt animal in homine: quartum tanquam ſpeciem in genere, vt homo comprehenditur ſub animali: quintum veluti formam in materia, vt albedo in manu, & anima in corpore: ſextum quemadmodum Rex in regno eſſe dicitur: ſeptimum vt rem in fine, vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum: octauum deniq; ſicut in vaſe, aut loco, vt homo in domo ſua. Cùm igitur octo ſint modi Exiſtendi in aliquo, quomodo hac diffinitione diſtinguitur Eſſe in ſubiecto ab ipſis? Reſpondetur, illa particula, Non tanquam pars, excludi, repudiarique omnes hos modos, ſcilicet tanquam pars in toto, & ut genus eſt in ſpecie; quia genus eſt veluti pars eſſentiæ ſpeciei, & vt ſpecies in genere: quoniam ſpecies eſt pars generi ſubiecta. Denique reijcitur modus, quo totum integrum eſt in ſuis partibus. Si enim quod eſt in ſubiecto adeò imperfectum eſt, vt non poſſit eſſe pars ſubiecti: quomodo erit totum reſpectu ſubiecti? Illa verò particula; Et impoſſibile eſt eſſe ſine eo in quo eſt, excluditur modus quo Rex eſt in regno. Nanque poteſt exiſtere Rex, etſi regno priuetur. Quò fit vt modus etiam, quo aliquid eſt in loco alienus ſit valde, atque diuerſus à modo exiſtendi in ſubiecto. Etenim res quum loco dimouetur, non continuo perit. Tandem modus quo res in fine eſſe dicitur etiam à modo quem nunc perſequimur, eadem particula ſeparatur; quippe cū permaneat res, quamuis ſuo fine fruſtretur. Qui enim in inferno ſunt optato fine priuantur, & certè exiſtunt quamuis infelicíſsimè. Cæterùm modus quo forma eſt in materia, non debuit omninò ab hac diffinitione excludi, quia accidens habet ſe quoque, vt forma, ad ſubiectum. Reijcitur tamen quantùm attinet ad formam ſubſtantialem in materia exiſtentem: vt patuit in prioris argumenti ſolutione.

Res creatæ ſunt in Deo.

Tertium argumentum. Res creatæ ſunt in Deo, in ipſo enim uiuimus, mouemur, & ſumus, & non ſunt in eo tanquam pars eius, & impoſsibile eſt, vt ſine eo exiſtant: atqui non ſunt in ipſo vt in ſubiecto; alioqui eſſent accidentia; & in Deo eſſet accidens: Ergo definitio Eſſe in ſubiecto conuenit alijs à re definita. Reſpondetur (ac meo quidem iudicio facilè) res creatas non poſſe eſſe quin Deus efficienter, aut (vt aiunt) effectiuè eis tribuat eſſe; at illud eſſe conuenit eis ſine ipſo formaliter, quia habent propriam exiſtentiam ſubſtantialem formaliter; & ſunt ſuppoſita diſtincta à Deo: quod certè non conuenit accidentibus, nec his quæ ſunt in ſubiecto. Quáquam autem cōcedant grauiores Theologi, dari quandam naturam creatam, quæ nō habet aliam exiſtentiam, præter exiſtentiam Dei: non proinde concedunt talem naturam eſſe in Deo, vt in ſubiecto; quia ſufficit illam naturam, quoad eius attinet poſſe formaliter propria exiſtentia ſubſiſtere, niſi altioris naturæ exiſtentiam ſubſtantialiter participaret.

Quartum argumentum contra diuiſionem hoc capite explanatam. Non enim pertinere videtur ad aliquod genus diuiſionū, ex his quæ lib. 1. cap. 9. enumerauimus. Ad quod enim? Reſpondetur, non eſſe vnius generis diuiſionem, cùm multas diuiſiones contineat. Prima. Ens aliud ſubſtantia, aliud accidens. Hæc eſt diuiſio per ſe Analogi in analogata. Secunda. Subſtantia alia vniuerſa, alia particularis. Hæc eſt per accidens, & ſubiecti in accidentia, accidit enim ſubſtantiæ eſſe vniuerſam: vt expoſitum eſt ſupra. Tertia ſuperiori ſimillima. Accidens aliud vniuerſum, aliud parti-

particulare. Quarta. Vniuerſum aliud Categoriæ ſubſtantiæ, aliud Categoriȩ accidentis. Non autem deſunt, qui huiuſmodi diuiſionem aſſerant, eſſȩ Generis in ſpecies, quia vniuerſum eſſentialiter dicitur de vniuerſo Categoriæ ſubſtantiæ, & vniuerſo Categoriæ accidentis. Sed nobis potiùs videtur Accidentis in ſubiecta; ſicuti hac, album aliud nix, aliud papyrus. Quinta. Singulare aliud eſt Categoriæ ſubſtantiæ, aliud Categoriæ accidentis. Hæc eſt Analogi in Analogata, quia in definitione ſingularis accidentis, quatenus ſingulare eſt, ponitur ſingulare Categoriæ ſubſtantiȩ. Ille enim candor dicitur ſingularis, qui eſt in ſubſtantia ſingulari. De qua re vide diuum Tho. 1. parte quæſt. 29. ar. 1. Nec mihi obijcias, illam diuiſionem eſſe accidentis in ſubiecta; hoc enim non tollit, quin poſſit eſſe Analogi in analogata; quemadmodum hȩc diuiſio, Ridēs aliud homo, aliud pratum, eſt Analogi in analogata, cùm ſit accidentis in ſubiecta: riſus enim & analogum eſt, & homini, pratoq; accidit. Qua re quod diximus lib. 1 cap. 9. diuiſionem Analogi eſſe diuiſionem Per ſe, non ita accipiendum eſt, quaſi arbitremur, omnem diuiſionem analogi in analogata eſſe Per ſe; ſed vt innuamus, dari aliquas diuiſiones Per ſe, quæ non ſunt generis in ſpecies, aut differentias, vel proprietates; ſed analogi in analogata. Quando autem ſint Per ſe, ex legibus diuiſionis Per ſe cognoſcetur.

Sed ut finis huic diſputationi imponatur, dubitationem quandam leuiorem expediri oportet. Quæritur, ad quam partem propoſitæ diuiſionis referri debeant Differentiæ? Reſpondetur primùm, differentias ſubſtantiarum inter ſubſtantias vniuerſas numerari; ſicut & differentiæ accidentium ſub accidentibus vniuerſis intelliguntur. Reſpondetur ſecundò, ſub nulla illarum partium eas contineri. In illa enim diuiſione tantùm diuiditur id, quod in recta ſerie Categoriarum collocatur: totum autem diuiſum in membris diuidentibus intelligi debet. Cùm igitur Differentiæ (vt cap. 10. dicemus) minimè collocentur in recta ſerie, nequaquam hac diuiſione eas comprehendi oportuit.

De prima regula Antepradicamentali. Cap. 8.

IGitur exploſis à Categoriarum ambitu, & Homonymis, & Complexis, & in quatuor capita relatis omnibus; quȩ in his ordinibus collocantur, proponit Ariſtoteles duas regulas, ex quarum vna colligitur id, quod etiam 4. lib. Top. c. 1. habes, quamlibet ſpeciem in ea Categoria reponi, in qua & ſuum genus: ex altera verò facilè deprehenditur, quàm differant inter ſe res diuerſarum Categoriarum, & quonam pacto res eiuſdem Categoriæ conuenire queant. Prior itaque regula eſt. Quum aliquid de aliquo dicitur ut de ſubiecto, quicquid dicitur de prædicato, dicitur etiam de ſubiecto. Vt animal dicitur de homine tanquam de ſubiecto, cùm dicatur de eo nomine & ratione ſecundùm eſſentiam, ſed ſubſtantia dicitur de animalis: ergo dicetur etiam de homine.

Quæ ex ſuperioribus dubia videri poſſunt.

NOn deſunt, qui propoſitam regulam eo nomine impugnēt, quòd Animal dicatur de homine, vt de ſubiecto; & non quicquid dicitur de animali, poſſit de ho

mine dici; nam animal eſt genus,homo nequaquam. Reſpondetur,regulam eſſe verâ prmûm in hoc ſenſu. Quicquid dicitur de prædicato in recta linea,ac ſerie Categoriæ,dicetur etiam de ſubiecto: ut ſubſtantia quæ dicitur de animali, tanquam ſuperiùs,in recta linea prædicamenti,dicitur etiam de homine.Rurſus alia ſolet afferri nõ mala interpretatio. Quum aliquid de alio dicitur,vt de ſubiecto,quicquid dicitur de prædicato ſecundùm eſſentiam, tametſi non dicatur de eo in recta linea,dicetur etiã de ſubiecto.Vt Petrus eſt homo,homo eſt rationalis,ergo Petrus eſt rationalis.Hos autem duos ſenſus potiſsimùm Ariſtoteles exigit, ut ex his,quæ capite de Subſtantia ſcribit,manifeſtè colligitur.Sed tertiam præterea habet hæc præceptio intelligentiam.Quum aliquid dicitur de quopiam vt de ſubiecto, quicquid dicitur de prædicato per ſe & neceſſariò,quamuis nec in recta linea, nec eſſentiali ter de ipſo efferatur,dicetur etiam de ſubiecto Occurritur autem nobis, & quidem à doctis & eruditis, quærentibus, ſatiſne hic ſenſus in Ariſtotelis Philoſophia poſsit defendi. Nam homo dicitur de Petro vt de ſubiecto, & certè aliquid apud ipſum dicitur de homine per ſe & neceſſariò,quod nondicitur de Petro. Etenim apud Ariſtotelem,qui in eo fuit errore,vt Mundum ab æterno fuiſſe exiſtimarit, homo neceſſariò exiſtit,Petrus autem non exiſtit neceſſariò; vnde non ſequitur.Petrus eſt homo,homo neceſſariò exiſtit,ergo Petrus neceſſariò exiſtit. Quare hic tertius ſenſus, falſus ab Ariſtotele iudicari debet.Sed reſpondetur,ipſum etiam eſſe verum,quando id quod neceſſariò tribuitur prædicato, poteſt de eo cum hac nota Omnis efferri. Et quia non poteſt dici;omnem hominem neceſſariò exiſtere,ideo nihil mirum eſt, vt neceſſariò exiſtere competat homini apud Ariſt.& non Petro. Denique poſſet aliquis arbitrari quartum huic regulæ adhiberi poſſe intellectum. Quum quidpiam de quopiam dicitur vt de ſubiecto,quicquid de ſuperiori dicitur accidentariò, efferri quoque de ſubiecto debet.Verùm hęc interpretatio non modò falſa eſt,ſed fundamentum etiã eſt,quo omnes captiones, atque fallaciæ accidentis nituntur.Argumentum igitur in huius diſputationis exordio propoſitum nihil attinet ſoluere,quia in hanc regulam iuxta quartam expoſitionem acceptam procedit.

Quartæ figuræ fundamentũ. Cæterùm quia multis ea placet opinio, quæ Syllogiſmorum quartam figuram recipit, & oportet in qualibet figura poſſe fieri ſyllogiſmos in materia tum neceſſaria, tum etiam contingenti operepretium erit, hanc regulam, quæ illius figurę baſis eſt,ac firmamentum,ſic adornare,vt ex ea firmiſsima argumenta ſumantur in quauis materia.Igitur quoties vnum ens altero,vt de ſubiecto, prędicatur,quicquid in vniuerſam prædicato dicitur, dicetur etiam de ſubiecto; vt Petrus eſt homo,omnis homo ſedet,ergo Petrus ſedet.Neceverò nos ij ſumus,quorum ita cæcutiat animus,ut dicamus,quartum hunc intellectum ad Ariſt.inſtitutum pertinere: ſed illud modò aſſerimus, ſi ita regula propoſita exponatur, quę ea nitentur ratiocinationes non modò bonas, ac tolerabiles, ſed optimas etiam quoad formam eſſe iudicandas; nec poſſe vnquam in ſimili collocatione dari antecedens verum, & conſequens falſum.

Iam autem arbitrabitur quiſpiam, hunc canonem poſſe impugnari altero argumento.Ariſt.cap.de Qualitate in hoc libro concedit, Scientiam eſſe quid relatum,& negat Grammaticam, aut aliam quamuis peculiarem ſcientiam eſſe ex genere relatorum:ergo etiam aliquod prædicatum dicatur de aliquo vt de ſubiecto, non eſt neceſſe,ut quicquid dicitur de prædicato, dicatur etiam de ſubiecto. Reſpondetur ipſumet Ariſt.ſub finem prædicti capitis ſoluere hoc argumentum. Etenim concedit etiam, Grãmaticam,ut ſcientia eſt, dicere relationem.Sed alio præterea modo,quem

in

in Cardinali Caietano eodem loco cernere licet, poteris nodum hunc ſoluere.

De altera regula Antepradicamentali. Cap. 9.

POſterior autem præceptio hęc eſt; Diuerſorum generum, & non ſubalternatim poſitorum, diuerſę ſunt ſpecie; differentię, at ſubalternatim poſitorum nihil prohibet eſſe eaſdem. Ad eam verò intelligendam, tria ſunt obſeruanda. Vnum, illa generi appellari ſubalternatim poſita, quæ ita ſe habent, vt vnum ſub altero contineatur, vel vtraq; ſub tertio genere. Exempla prioris modi, Animal, & Corpus viuens; poſterioris, animal & lapis. Contra autem illa dicuntur, necnon ſubalternatim poſita, quorum vnum minimè ſub reliquo ponitur, n ec amboſub vno tertio; vt animal color. Alterum præterea obſeruatione dignum accipito: differentias eſſe duplices, quaſdam accidentarias, de quibus nunc curandum non eſt, quaſdam autem eſſentiales: rurſusque eſſentialium alias eſſe conſtituentes genus, alias diuidentes illud vt corporeum, animatum & ſentiens conſtituunt animal; rationale verò & irrationale diuidunt ipſum. Tertium eſt, illas differentias, quę eſſentialiter ſunt diuerſę, ut rationale & irrationale, appellari hoc loco Specie diuerſas.

Sed iam ad inſtituta pergamus. Sit prima aſſertio in explicationem regulę. Genera non ſubalternatim poſita diuerſas habent differentias conſtituentes, pariter ac di uidentes. Quod certè in animali & colore perſpicuum eſt. Secunda aſſertio. Quum duo genera ita ſubalternatim ponuntur, vt vnum ſub altero contineatur, differentię conſtituentes ſuperiùs, conſtituunt etiam inferiùs; & diuidentes inferiùs, ſuperius quoq; diuidunt. Sume in exemplum Animal & Viuens. Omnes differentię quę conſtituunt Viuens, conſtituunt Animal, quanquam eius eſſentiam minimè compleant; ac diuidentes Animal, diuidunt quodammodo Viuens. Corpus enim viuens, aliud eſt rationale, aliud irrationale, aliud ſenſus expers. Tertia aſſertio. Quum duo genera ita ſolùm ſubalterna eſſe dicuntur, vt ambo ſub tertio genere contineantur: differentiæ diuidentes vtriuſq; diuerſæ ſunt; vt liquet: conſtituentes verò partim eædem, partim diuerſæ erunt; vt in animali & planta videre licet. Differentia enim, quæ eſſentiam animalis complet, ut ſenſibile, non conuenit plantæ; attamen differentię ſuperiores, quę ad animalis conſtitutionem exiguntur, quamuis non ſufficiant, ut corporeum & viuens, etiam in plantam cadunt. Quare egregiè (ut eum decebat) docuit Ariſt. 1. Poſtè. cap. 11. prædicamenta eſſe impermiſta Oportet enim ea quæ ad diuerſas pertinet Categorias eſſentialibus differentijs inter ſe diſcrepare. Nemo tamen hinc colligat, fieri non poſſe, ut vna res ad diuerſas Categorias pertineat, ſi diuerſis rationibus conſideretur. Nam Ariſt. 3. Phyſic. cap. 3. docet, eundem motum ad Categoriam Actionis & Paſsionis eſſe referendum. Sed de his ſuum cuique iudicium eſto; nos enim cùm non ex profeſſo hanc quæſtionem tractemus, nil certò definire de actione & paſsione volumus.

Caietani ſententia.

Vſque in hunc locum ſequuti ſumus Thomę à Vio Caietani ſententiam. Sed nóbilis profectò auctor Dominicus Sotto longè aliter ſentit circa definitionem generum ſubalternatorum. Equidem apud ipſum ea tantùm genera ſublaternatim ponuntur, quorum vnum ſubaltero continetur: illa verò non ſubalternatim poſita, iudicari oportet, quorum vnum ſub altero minimè continetur. Nec quicquam ad hanc regulam pertinere cenſet, vtrum ſub alio genere contineantur, necne. Quò fit, ut (ipſo auctore) animal & lapis genera ſint haud ſubalternatim poſita. Quare ſi Domini-

Magiſtri Soto opinio.

co

co Soto fides eſt habenda, omnia genera ſubalternatim poſita, habent eaſdem differentias conſtituentes & diuidentes. Eaſdem (inquam) iuxta ſenſum iam expoſitum in ſecunda aſſertione. Omnia verò genera non ſubalternatim poſita, habent differentias diuidentes & conſtituentes ſibi adæquatas omninò diuerſas; tametſi conſtituentes inadæquatas poſſint interdum habere eaſdem, ſi illa genera ad eandem pertineant Categoriam. Eſt autē (ut ſummatim dicam) differentia Adæquata, ea quæ rei eſſentiam complet, ut ſenſus compos animalis; Inadæquata verò, quæ licet ad rei eſſentiam deſideretur, non tamen viciſsim cum re, cuius eſt differentia, commeat; ut corporeum cum animali. Ex his autem clariſsimorum Patrum opinionibus neutram exiſtimo repudiandam, ſed utranque poſſe facillimo negotio, literæ Ariſtotelis accōmodari. Quanquam Dominici interpretatio certior videtur, ſi ad Perionij trāſlationem confugiamus; ſin autem res ipſa per ſe expendatur, Caietani ſententia magnū ingenij acumen oſtendit; præſertim ſi eius Commentaria attentiſsimè conſiderentur. Itaque de rebus ipſis eruditus lector pro ſuo arbitrio iudicabit: ego enim cùm nihil abſurdi ex alterutra parte oriri videam, nihil impedio.

Impugnantur ex dictis nonnulla.

QVod dictum eſt, genera non ſubalternatim poſita habere diuerſas differentias conſtituentes, ita refellitur. Subſtantia & Quantitas ſunt genera non ſubalternatim poſita, & non habent diuerſas differentias conſtituentes; cùm genera ſuprema non conſtituantur differentijs, ſed modis internis, vt patet ex Metaphyſica; ergo regula omninò euertitur. Sed communis reſponſio eſt, genera ſuprema propriè non habere differentias conſtituentes; nihilominus modos internos eſſe differentias; ſaltem impropriè. Ita ſoluitur à pleriſque argumentum: nam quid nos ſentiamus de his Modis internis, dabitur forſan commodior explicandi locus. Interim relege quæ li. 1 ſca. 7. diximus, & vtere ea ſolutione, quam ſtatim ad tertiam impugnationem ſcribemus.

Deinceps impugnatur id quod dictum eſt, genera non ſubalternatim poſita habere diuerſas differentias diuidentes. Animal & Scientia ſunt genera non ſubalternatim poſita, ſed rationale eſt differentia animalis, & dantur etiam quædam ſcientiæ, quæ appellantur Rationales; ergo diuerſa penitus genera, nec vllo modo ſubalternatim poſita eiſdem differentijs diuidi poſſunt. Reſpondetur, genera non ſubalternatim poſita interdum habere differentiam eandem diuidentem, ſed nomine, non ſignificatione. Et ita in animali & ſcientia vſu venit. Nam rationale, vt eſt differentia animalis, ſignificat naturam, quæ eo lumine prædita eſt; ut raciocinari, antecedentibus conſequentia nectere, cauſaſque rerum videre poſsit: ut verò dicitur de ſcientia, ſignificat habitum, cuius obiectum eſt ſecunda notio, aut intentio.

Poſtremò illud refelli poteſt, quod ſcripſimus, ea genera quibus aliud ſuperius genus imminet, conuenire inter ſe aliqua differentia conſtituente; communi tamen. Certè corporea ſubſtantia, & ea quæ, quia corporis expers eſt, Spiritus dicitur, ſub genere ſubſtantiæ continentur; & proculdubio in nulla differentia conſtituente conueniunt. Non enim conueniunt differentijs adæquatis conſtituentibus, nec porrò aliqua differentia communi; quoniam ſolùm conueniunt in genere ſubſtantię. Subſtātia verò, cùm ſupremū ſit genus, non habet aliquam differentiam conſtituentem:

ergo

ergo falſa uidentur quæ ſcripſimus. Reſpondetur,habere nihilominus ſubſtantiam modum quendã internum,qui impropriè Differentia appellatur.Caietani autem ſolutio alia eſt.Ait enim, Ariſtotelem non dicere, genera ſubalternatim poſita habere ſemper eaſdem differentias;ſed nihil impedire,quominus eiſdem poſsit conſtare differentijs. Sicut nihil prohibet, hominem eſſe Regem,non tamen omnis homo eſt Rex.Quare etiam obiectioni primæ poterit reſponderi: quum Ariſtoteles ait, genera diuerſa non ſubalternatim poſita conſtare differentijs ſpecie,id eſt,eſſentia diuerſis;id ſub Hypotheſi accipiendum eſſe, ſi differentijs conſtent. Quid ? Quod ſatis probabiliter à quibuſdam dicitur, etiam genera ſuprema proprijs differentijs à ſe ipſis ſeparari.Nam diuus Thomas 5.Metaph.lect.12.non obſcurè docet,non modò ea inter ſe propriè differre,quæ genere conueniunt, ſed ea etiam quæ Analogia, ſeu proportione, ut Subſtantia & Quantitas. Licet ibi dicat,propriſsimè ea ſolùm differre,quæ genere conueniunt. Quò fit,ut quũ Porphyrius ait, differentiam eſſe qua ſpecies ſuperat genus,aut quæ diuidit ea, quæ ſub eodem genere continentur;non de quauis differentia etiam eſſentiali id accipi debeat, ſed de perfectiſsimo differentiarum genere, quod ad ſolas ſpecies aut infimas, aut interiectas pertinet : vel certè quum Genus nominat,non propriè ipſum intelligit, ſed quoduis ſuperius eo nomine comprehendit. Itaque in differentijs eſſentialibus ſi quæ diximus vera ſunt,multi,iijque admodùm varij gradus inueniuntur.Sed longiores hoc loco fuimus,quam inſtitueramus. Igitur de Antepræedicamentis hæc dicta ſint.

Modus Internus ꝓpriè dicitur Differentia.

SECVNDA PARS LIBRI.

Quæ ſint ea quæ in Categoriis ponuntur, & quot modis id accidat, de numeroq́ ipſarum Categoriarum. Cap. 10.

ANtequam ad ſingulas Categorias veniamus,inueſtigandum eſt, quot ſint Categoriç;ſi primum explicauerimus,quæ excludantur, & quæ ponantur in Categorijs. Principiò ſtatuendum eſt, à Categorijs excludi omnia Homonyma,etiam illa quæ appellantur Analoga;vt Ens.Neque verò omnia Synonyma in ipſis ponuntur;nam Ens duplex eſt,aliud rei, ut homo;aliud rationis,ut notio ſpeciei. Et quidẽ à Categorijs excluduntur omnia entia rationis,ut colligunt Metaphyſici ex Ariſto. lib.5.Metaphy.tex.14.Pręterea ens rei,aliud per ſe,vt homo;aliud per accidens,quod componitur ex ſubſtantia & accidente, vt homo albus;vel ex duobus accidentibus, ut muſicus albus.Sed ex his entia per accidens omnino à Categorijs exulant. Quin nec entia per ſe,quauis ratione ſumpta, in recta ſerie Categoriæ ponuntur:nam ens per ſe poteſt intelligi & conceptu ſimplici,vt homo ſub conceptu hominis;aut conceptu compoſito, ut ipſemet homo ſub conceptu animalis rationalis.Et quidem hoc ſecundo modo non ponitur in Categoria, niſi fortè, vt expoſitum eſt ſupra in prima diuiſione Antepræedicamentorum. Colligimus ergo, in Categoria ſolùm poni entia rei,Synonyma, & quidem per ſe,ac ſimplici conceptui ſubordinata.Nec tamen iſta ſufficiunt,ſed oportet inſuper,vt naturam finitam habeant. Quare Deus Categoriam minimè ingreditur, quia anguſta eſt domus,quæ tantum hoſpitem capiat.

Habet

Habet enim infinitam naturam, quæ cùm rerum omnium perfectiones complectatur, non poteſt genere, aut differentia circunſcribi. At verò Chriſtus dominus in Categoria ponitur, quia quatenus homo naturam habet finitam & limitatam; eſtque vniuocè nobiſcum homo.

Cæterùm non vna ratione ponuntur omnia in Categorijs, alia enim directè, alia in directè, ſeu reductiuè collocantur. Directè, ac per ſe ponuntur omnia & genera, & ſpecies, quæ dicunt naturam completam, vt homo & animal; inſuper indiuidua quæ ſub his generibus & ſpeciebus continentur, ut hic homo. Dixi, ſpecies quæ dicunt naturam completam, id eſt, quæ non ſunt partes Phyſicæ, alicuius naturæ; quoniam Anima etiam ſi ſit ſpecies, vel genus ad hanc & illam animam, quia tamen dicit naturam incompletam, & partem alicuius naturæ, nempe viuentis, non ponitur in recta linea. Illa præterea quę ponuntur reductiuè, aut per aliud, multa ſunt. Nam differentia eſſentialis ponitur reductiuè ad latus illius Categoriæ, in qua ponitur ſua ſpecies; vt rõnale in Categoria hominis. Proximè, & ſecundũ hanc ponuntur reductiuè partes in Categoria ſui totius; vt anima & corpus in Categoria, in qua & animal: & ſemicirculus in Categoria circuli. Tertiò, principia peculiaria cuiuſlibet rei ponũtur in categoria illius, vt punctus in categoria lineæ, & unitas in categoria numeri, & inſtans in categoria temporis. Nec immeritò dixi peculiaria, quoniam principium vniuerſale omnium rerum, nempe Deus, non ponitur in vlla Categoria etiam reductiuè, vt notat diuus Thomas 1. parte quæſt. 3. art. 5. Deinceps etiam reductiuè ponuntur in categoria motus, ad res, vel à rebus illius categoriæ, vt Ortus & Interitus hominis reducuntur ad ipſius ſpeciem; Augmentum ad genus Quantitatis: ſicut loci mutatio ad categoriam Vbi. Quintò, priuationes & negationes reducuntur ad categoriam ſui habitus, vt cæcitas ad categoriam viſus. Denique omne ens in potentia refertur ad categoriam ſuimet actu exiſtentis, vt lapis in potentia ad categoriam lapidis. Atq; hac præſertim ratione intelligitur Ariſt. 9. Metap. tex. 13. & lib. 12. tex. 26. quum ait, actum & potentiam ad eandem pertinere categoriam. Loquitur enim de potentia, quam nonnulli vocant Obiectiuam: quicquid alij ſentiant. Diciturq; potentia Obiectiua, quia licet non ſit potentia efficiendi actum; habet tamen actum vt obiectum ſuum. Quemadmodum lapis in potentia non efficit lapidem actu, ſed obiectum quod reſpicit tanquam perfectionem ſuam lapis in potentia ſumptus, eſt lapis actu. Hæc ſcio nõ placere omnibus, ſed ita vſus habet, ut nos aliena reprobemus, alijs diſpliceant noſtra.

Decem autem eſſe Categorias docet Ariſtoteles hoc loco, & 1. Topic. cap. 7. & diuus Auguſt. lib. 5. de Trinit. cap. 7. ſcilicet, Subſtantiam, Quantitatem, Qualitatem, Relationem, Actionem, Paſsionem, Vbi, Quando, Situm eſſe, & Habere. De quibus Ens dicitur non quidem vt genus, ſed ut Analogum: docente id Ariſt. 5. Metaph. tex. 14. ac diuo Thoma ubique conſentiente. Igitur de his Categorijs diſputandum eſt modò.

Quæſtio.

SEd cùm initio capitis dictum ſit, entia rationis à Categorijs excludi, quomodo in progreſſu conceditur, Priuationes, ac negationes in illi poni? Nam diuus Thomas, quem noſtra ſchola tanquam Principem ſequitur, apertiſsimè docet quæſt. 21.

de

de Verit.ar.1.& lib.4.Metaph.lect.1. negationes ac priuationes eſſe entia rationis. Huius quæſtionis hæc mihi ſe offert ſolutio.Fateor quidem,ens rationis comprehẽdere ſuo ambitu negationes & priuationes. Scio enim illud diuidi in Relationes,vt ſunt genus & ſpecies, ſubiectum & prædicatum, maior & minor extremitas;in Priuationes, vt cæcitas,atque ſurditas;& in Negationes,vt non homo,non lapis,non album.Verùm in hac entium Rationis vaſtitate alia ſunt, quæ in ſua ratione ac definitione non includunt entia Rei;vt notio generis per notionem ſpeciei defini ur,non per hominem,non per leonem,aut aliud ens:rei alia quæ includunt entia rei neceſſariò. In diffinitione enim cęcitatis neceſſariò ponitur viſus, & in definitione non hominis homo;& non albi,album ipſum.Igitur illius generis entia rationis nõ reducuntur ad Categorias, entium rei;huius autem poſterioris omninò reducuntur ad eas Categorias, ad quas illa entia rei pertinent. Hinc igitur primùm conſtat, priuationes poni in Categoria formæ, quam tollunt, vt tenebras in Categoria lucis, id eſt,qualitatis;cæcitatem in Categoria viſus, &c. Præterea illud etiam ſequitur,negationes entium rei in eorundem entium prædicamento poni. Poſſem huius veritatis plures teſtes proferre,ſed vnus nobis ſufficiet beatus Pater, ac Doctor Aurelius Auguſtinus; ipſe enim cùm ſit unus,inſtar Regis Dauid, pro decem millibus computatur. Hic igitur lib.5.de Trinitate cap.7.docet, negationes ad eandem Categoriã eſſe referendas,ad quam pertinet illa quæ negant:ut non ſedentem, ad Categoriam ſitus;non filium,ad prædicamentum relationis. Sic perſequitur ſingula.At conſultò dixi,negationes entium rei,quoniam negationes entium rationis,vt non genus,non ſpecies,&c.ad nullam pertinent Categoriam;ſicut neque illa quæ negant. Denique ex ſuperioribus colligi poſſe videtur,quaſdam relationes rationis pertinere ad Categoriam entium rei. Quas tandem? Relationem ſcibilis ad ſcientiam, & alias quæ ſunt extrema relationum Realium(ſic enim à Doctoribus appellatur) tertij ordinis, de quibus agitur li.5.Metap.c.de Ad aliquid.Sed hoc vltimum conſectarium non eſt ita receptum ut duo ſuperiora,non tamen omninò eſt improbabile, quia etiam tales relationes rationis includunt quædam entia rei in ſua definitione illa;ſcilicet entia,q̃ ad eas referuntur.Perſpicuũ igitur eſt,nihil in ſuperiori capitè repugnans contineri.

Hæc videntur facillima,ſed quid ſi facilè etiam impugnentur? Ecce argumentum. Analoga ita ſe habent, vt poſteriora ad priora neceſſariò ordinem dicant,ac illa in ſua definitione includant; ſed ens quod ſuo ambitu ens rei & rationis continet, eſt analogum,cuius præcipua pars eſt ens rei: ergo ens rationis neceſſariò dicit ordinẽ ad ens rei.Maior quidem eſt diui Thomæ 1.parte quæſt.13.ar.6.& exemplo declaratur in ſano,quod cùm reſpectu animalis, vrinæ,ac medicinæ analogicè dicatur, neceſſe eſt animal poni in aliorum diffinitione,quatenus ſana ſunt. At de minore eſt controuerſia;nam Chryſoſtomos Iauellus libro 1. Metaph. quæſtio. prima, defendit, Ens ut dicitur de ſubſtantia & accidente, eſſe analogum: ſed vt dicitur de ente rei & rationis;eſſe æquiuocum. Sed meo iudicio quum hæc aſſerit non modò cum Ariſt.ac diuo Thoma,verùm & ſecum ipſe pugnat. Etenim Ariſt.4. Metaph. tex.2.tradit, ens analogum eſſe ad ſubſtantiam, & accidens, priuationes & negationes:quod etiam diuus Tho.eodẽ lib.lec.1.confirmat.Hos mitto,ad ipſummet Chryſoſtomum venio.Tertio lib.de Animo tractat.2.cap.2.apertiſsimè docet, obiectum adæquatum intellectus eſſe ens,vt ſuo ambitu entia rei,rationiſq́ue comprehendit. Quo ſemel conſtituto,nullius eſt negotij, eius opinionem euertere.Equidem obiectum adæquatum alicuius potentiæ, aut facultatis debet habere vnam rationem aut

vniuocam,ſeu Synonymam,aut certè analogicã:alioqui vna facultas non eſſet vnius obiecti,ſed vnius nominis;quia æquiuoca ſolum nomen habet commune: Ergo ens illud de quo diſputamus,non eſt Aequiuocum:vt exiſtimauit Iauellus. Quantò præclariùs Caietanus ſenſit,qui opuſculo de Nominum analogia cap.8.docuit, tale ens analogum eſſe non quidem proportionalitatis,ſed attributionis. Quomodo autem entia rei in cuiuſq; entis rationis definitione claudantur,altioris eſt profectò negotij, ſed nouis Dialecticis eadem ratione poterit explicari, qua nos in ſequenti cap. exponemus,ſubſtantiam in cuiuſq; accidentis definitione claudi. Cùm igitur propoſitio & aſſumptio veræ ſint, quid de concluſione ſentiemus? Reſpondendum eſt certè,ut aliquod ens rationis reducatur ad Categoriam,non ſatis eſſe,ſi quauis ratione ordinem habeat ad entia rei. Etenim ſi nihil præterea deſideretur, etiam negationes accidentium ad Categoriam ſubſtantiæ reducendę eſſent, cùm ſaltem remotè, aut potiùs remotiſsimè ad ſubſtantiam omnia entia rei & rationis ordinem habeant: & tamen diuus Auguſtinus loco paulò ante citato, negationes accidentium non ad aliam Categoriam vult referri,quàm ad eam,in qua ea accidentia collocantur. Quare vt aliquod ens rationis ad Categoriam referatur, oportet vt propriè & immediatè ad aliquod certum genus entis pertineat;ac illud in ſua diffinitione claudat:ut non homo, hominem;non album,albedinem;non filius,filium. Cumque dentur multa entia rationis,quę non immediatè,ac propriè certam aliquam Categoriam reſpiciũt, ad nullam erunt reducenda.Exempli gratia,notio generis & ſpeciei,notio ſubiecti & prędicati:nam & ſubſtantiæ genera ſunt,& accidentia:immò & ipſa entia rationis,reſpectu aliorum entium,nonnunquam ſunt genera. Porrò ita ſunt ſubiecta & attributa enuntiationum ſubſtantiæ,vt accidentia;& vt ipſamet entia rationis:nam hæc oratio, Chimęra eſt chimęra, enuntiatio eſt. Quamobrem his prætermiſsis, ad ſingulas veniamus Categorias,in quibus omnia quę directè ponuntur,entia rei ſunt; itemque ea quę primo, ſecundo, tertio,,aut quarto modo indirectè ponuntur;non quæ quinto,& ſexto.

De Subſtantia. Cap. 11.

SVbſtantia,ut docet Ariſtoteles 7.Metaphy.tex.4.eſt prior accidente definitione, cognitione,natura, & tempore.Itaque priùs de ipſa diſputandum eſt. Sed Subſtantiæ nomen varias habet ſignificantias: accipitur enim primò pro eſſentia. Qua ratione dici ſolet, etiam accidentia habere ſubſtantiam;id eſt, eſſentiam. Atque ita ſumitur Subſtantię nomen in definitione Homonymorum & Synonymorum; non tamen accipitur ita quum dicimus,Subſtantiam eſſe primam Categoriam.Rurſus ſignificat ens per ſe exiſtens;id eſt,non in alio tanquam in ſubiecto. Qua ſignificatione partes quoque ſubſtantię ſunt ſubſtantię:ut digitus eſt ſubſtantia. Sed neque ita ſumitur hoc loco.Tertiò accipitur, ut ſignificat ens per ſe ſubſiſtens, poſitum in recta linea huius Categorię; & ita nec partes Phyſicæ, nec differentię appellantur Subſtantię.Sed neque illud prętereũdum eſt,Subſtantiam etiam in hac tertia ſignificatione poſſe accipi aut pro genere ſupremo huius Categorię, & ita diuiditur in ſubſtantiam corpoream & ſpiritualem,aut pro tota coordinatione omnium quę in recta ſerie huius Categorię ponuntur. Tumque diuiditur in hunc modum. Subſtantia alia Prima,ut Petrus,alia Secunda;ut homo: Secundarum,alia ſpecies; vt homo;alia genus

genus, vt animal: denique Generum aliud ſupremum, vt ſubſtãtia in communi; aliud interiectum, vt animal.

Prima Subſtantia ſic ab Ariſtotele definitur. Prima Subſtantia eſt, quæ nec ſubiecto ineſt, nec dicitur de ſubiecto, vt Petrus qui quoniam ſubſtantia eſt, non eſt in ſubiecto; quoniam ſingularis eſt, non dicitur de ſubiecto. In qua definitione, ne quadret in partes ſubſtantiæ, vt hanc manũ, hoc caput; vel in differentias ſingulares, vt hoc rationale; ſubintelligendum eſt genus hoc modo: Prima ſubſtantia eſt ſubſtã tia poſita in recta linea, quæ nec dicitur de ſubiecto, nec eſt in ſubiecto. At nemini mirum videatur, hanc definitionem per negationes tradi, qm̃ eſt deſcriptio. Ariſtoteles verò priuſquam Primæ ſubſtantiæ definitionem tradat, hac periphraſi vtitur. Ait enim, Primam Subſtantiam eam eſſe, quæ propriè, præcipuè & maximè Subſtantia dicitur. Ait propriè, vt oſtendat, Primam Subſtantiam non appellari Subſtantiam ea ſolùm cauſa, quia habet eſſentiam; hoc enim pacto etiam accidentia poſſunt nuncupari Subſtantiæ: ſed quia ſubſtat accidentib. Vt Petrus eſt ſubiectum albedinis. Ait præcipuè, quia licet Secundæ Subſtantiæ accidentibus ſubſtent, id tñ habent ratione Primarum. Siquidẽ homo albus eſt, quia Petrus, vel Paulus eſt albus. Ad extremùm ait, maximè, quia Primæ Subſtantiæ non modò accidentibus ſubſternũtur, ſed etiam Secundis Subſtantijs, vt Petrus ſub nomine collocatur. Secundæ verò Subſtantiæ ſunt ſpecies, in quibus Primæ continentur; & hæ quidem, & harum ſpecierum, uel formarum genera. Verbi gratia. Homo, & leo ſunt Secundæ Subſtantiæ, quia in ipſis continentur Petrus & hic leo; Animal quoq; eſt Secunda Subſtantia, quoniam eſt genus ad hominem. *Primæ ſubſtantię epitheta.*

Vt autem facilè poſſit Subſtantiarum ordo, & dignitas, ac inter eas habitudo percipi, adducit Ariſtoteles quatuor egregias ipſarum comparationes. Docet enim principiò, ex Subſtantijs Primam eſſe magis ſubſtantiam, quàm Secundam: nanque prima ſubſtantia ſubſtat immediatè accidentibus; ſecunda verò ratione primæ. Rurſus prima ſubſtantia ſecundis ſubijcitur, ſecundæ verò nequaquam primis. Altera collatio. Inter ſecundas ſubſtantias magis ſubſtantiæ ſunt ſpecies, quàm genera: nam ſpecies ſubſtant generibus, non contra. Tertia comparatio. Omnibus primis ſubſtantijs ex æquo nomen Subſtantię tribuitur. Quemadmodum enim Plato ſubſtat immediatè ſuis accidentibus, ita Socrates ſuis. Vltima collatio. Inter ſpecies infimas vna non eſt magis ſubſtantia, quàm alia. Nam ſicut homo ſe habet ad ſua indiuidua, & ad ſuum genus, ita quoque Leo ſe habet ad ſua indiuidua, & ita ſubſtat ſuo generi; nempe animali. Quibus autem proprietatibus ſubſtantiæ ſint affectę, dicemus, neq; ita multò poſt; ſed obiectionibus quæ in ea, quæ diximus, adduci poſſent, antea eſt occurrendum. Quatuor enim priora genera, quò diſtinctiora appareant, ita libuit pertractare, vt cuilibet duo reſpondeant capita: quorum prius definitionem, & diuiſionem eius contineat, poſterius affectiones. *Subſtãtiarũ comparationes.*

In ſuperiora obiectiones.

Dixit Ariſt. Subſtantiam eſſe priorem accidente diffinitione, quia accidens definitur per ſubſtantiam. Aut ergo loquitur Ariſt. de diffinitione eſſentiali accidentis, aut de deſcriptiua. Si de deſcriptione, certè ſicut accidens per ſubſtantiam deſcribitur, ita & ſubſtãtia per accidens: ſin autem de definitione eſſentiali accidentis *Quomodo accidẽs ꝑ ſubſtantiam definiatur.*

agat, omninò fallitur. Accidēs nāque, vt color, aut iuſtitia, habet ſuum genus & ſuā differentiam, per quæ poteſt abſq; ſubſtantia, eſſentiali definitione explicari. Inde autem obſcurior, ac difficilior obiectio redditur, quòd Mathematicus definiat triangulum abſque ſubſtantia. Dicit enim, triangulum eſſe figuram planam, tribus lineis contentam. Reſpondetur, ſubſtantiam eſſe priórem accidente, etiam definitione eſſentiali. Nam quamuis triangulus definiatur per figuram, neceſſariò in ipſa figura debet intelligi ſubſtantia; quoniam figura eſſentialiter eſt qualitas, qualitas verò eſſentialiter eſt accidēs, accidētis autem eſſe eſſentiale, eſt ſaltem aptitudine, ineſſe ſubſtantiæ. Vnde quemadmodum in diffinitione hominis neceſſariò ſubintelligitur corpus animatū, quod in animali includitur; ſic in diffinitione figuræ neceſſariò clauditur ſubſtantia; ſaltem vt additum: quia in definitione figuræ ponitur qualitas. Sed duo ſunt genera accidentium, aliud commune & aduentitium, vt candor & atror, reſpectu hominis; aliud proprium, vt facultas ridendi, reſpectu eiuſdē. Itaq; in definitione accidentium communium poni debet implicitè, vel explicitè ſubſtantia in cōmuni: at in diffinitione accidentis proprij neceſſum eſt poni ſubſtantiam in particulari; eam nempe quæ eſt eius ſubiectum. Id ita probatur. Nam ex Ariſt. 1. Poſter. cap. 4. hæc enuntiatio. Homo eſt riſibilis, & omnes aliæ, in quibus proprietas de ſubiecto dicitur, ſunt attributiones ſecundi modi Dicendi per ſe: ſed enuntiationes illius modi ita ſe habent, vt ſubiectum ponatur in definitione prædicati; teſte ibidem Ariſtotele: Ergo homo ponitur in definitione riſibilis. Ponitur, inquam, tam ſi definiatur in concreto, quàm ſi in abſtracto, Riſibile enim eſt homo potens ridere; Riſibilitas verò eſt potentia hominis ad ridendum. Reuoca obſecro in mentem quæ libro 1. capite 8. habes.

Quid primus cognoſcatur accidens, an Subſtātia.

Secunda obiectio. Ait Ariſt. ſubſtantiam eſſe priorem Cognitione accidente. Sic obijcio. Omnis noſtra cognitio, ortum habet à ſenſu, ſed ſenſus habet tāquam obiecta accidentia, vt viſus colorem, ſeu lucem; auditus ſonū, ergo accidens prius eſt ſubſtantia cognitione. Rurſus ex Ariſt. 1. de Animo cap. 1. Accidentia ad intelligendum rei naturā maximū afferūt adiumentū, ergo priùs eſt cognoſcere accidentia hominis, quàm ſubſtantiam hominis. Reſpondetur, Ariſt. 7. Metaph. loqui de prioritate cognitionis quoad perfectionem, non quoad temporis antiquitatem. Id eſt, cognitio accidentis poteſt equidem eſſe prior tempore cognitione ſubſtantiæ: at perfectiùs leonem cognoſcimus, quum eum ſecundùm ſubſtantiam & naturam intelligimus, quàm ſi ſolùm ratione accidentium cognoſcamus. Nec noſtrum eſt hoc ſcholium, quin potiùs ipſiuſmet Ariſtotelis eodem loco. De quo lege diuum Thomam ibidem. Reſpondetur ſecundò, cognitionem noſtram eſſe duplicem, vnam ſenſus, alteram intellectus. Cognitione ſenſus priùs cognoſcimus accidentia, quā ſubſtantias; ſed contrarius eſt ordo intellectus. Quod ut planiùs fiat, ſciendum eſt, cognitionem aliam eſſe cōfuſam, aliam verò diſtinctam: quarum prior eſt imperfecta, poſterior autem perfectior: prior obſcura, ac tenebroſa eſt; poſterior perſpicua, luciſq; plena. Intellectus igitur noſter priùs cognoſcit ſubſtantiam cognitione confuſa, deinde accidens cognitione confuſa; tum ſubſtantiā cognitione diſtincta, poſtremò accidens cognitione diſtincta. Quod exemplum & ratione oſtenditur. Quum primum à longe aliquid vides, ſtatim intellectu cognoſcis, ſubſtantiam eſſe, aut corpus: deinde eam moueri, aut quieſcere: tertiò, iam perſpicuè eſſe animal; & denique eſſe atram, aut cādidā, magnā, aut paruā. Ratio autē eſt huiuſmodi. Apud omnes Interpretes Ariſt. 1. Poſter. cap. 1. priùs cognoſcitur diffinitio eſſentialis ſubiecti, quàm diffi-

diffinitio eſſentialis proprietatis;ergo clara cognitio accidentium ſequitur ſubſtantiæ perſpicuam cognitionem. Sed commodior hæc tractandi locus eſt in libris Poſterioris Analyſis.

Tertia obiectio. Cùm ab Ariſtotele ſæpe diſputatum ſit(malè, inaniterq; profectò,ſed vt ipſe putabat bene) Mundum perpetuò fuiſſe;quomodo ab eo poteſt defendi accidens,Tempore poſteriùs eſſe Subſtantia? Si enim ſemper fuit cœlũ,perpetuò fuit & motus & lux. Reſpondetur, Chriſtianos facillimo negotio expedire ſe ab hoc dubio. Etenim nos, qui nullis noſtris meritis, ſed Dei beneficio, Fidei Catholicæ lumen accipimus,dicimus, ante mundi conſtitutionem fuiſſe Dei ſubſtantiam,cùm alioquin nullum eſſet accidens. Et licet, tunc nullum re uera eſſet tẽpus; erat tamen æternitas, quæ cùm ſit diuturnitas quædam, ſolet nonnunquam dici tẽpus:quãuis impropriè. Cæterùm Ariſtoteles,qui poſuit Mundum ab æterno,difficilè emerget. Quare ſunt tres modi reſpõdẽdi pro Ariſtotele, quibus liberetur,nõ quidem ab errore,ſed à manifeſta contradictione & inconſtantia. Primus eſt Commentatoris 7.Metaphy.tex.4.Cenſet autem Ariſtotelem tãtùm loqui de accidentibus,quæ conueniunt ſubſtantijs conſtitutis. Nam accidẽtia quæ in rebus inueniũtur duplicia ſunt, alia quæ aduenerunt eis iam exiſtentibus, vt deambulatio; & his certùm eſt,priorem eſſe ſubſtantiam cui accidunt: alia quæ aduenerunt in ipſo momento conſtitutionis rerum,vt color. Et his accidentibus prior eſt ſubſtantia, nõ ſecundùm ſe totam,ſed ratione materiæ primæ, quam Ariſt.finxit æternam. Verũ eximit ab hac regula Commentator alio in loco quãtitatẽ; quia in eo fuit errore,vt quantitatem ipſi materiæ coęternam eſſe putaret. Secundus modus reſpondendi eſt diui Thomæ eodem in loco. Dicit enim,ſubſtantiam eſſe priorem tempore accidẽte,quia datur quædã ſubſtãtia, nempe Deus,quę eſt in æternitate,in qua propriè nullũ accidens inuenitur; quoniam in Deo etiam (ſecundùm Philoſophũ naturalẽ) nullũ eſt accidẽs.Quò ſi dicas,iuxta hunc modum reſpondendi non oſtendi ſubſtãtiam prædicamentalem,eſſe priorem tempore accidente, cùm Deus non ponatur in prædicamento: Reſpondetur ex Ferrarienſe Theologo magno & copioſo.2.cõtra Gent.cap.91.exemplo diui Thomæ probari etiam, ſubſtantiam prædicamentalem; quatenus ſub ſtantia eſt,eſſe priorẽ tempore accidente. Iam nec illud ab eruditis ignorari poteſt, Deũ nõ pertinere ad Categoriam Subſtantiæ, ut in ea contentum; ſed ut eius peculiare continens. Non quòd aliarum Categoriarum res minimè cõplectatur,ſed quia ſubſtantiam priuata quadam ratione continet. Deniq; etſi Deus non pertineat ad Categoriam Subſtantiæ, quia tamen ſubſtantia prædicamentalis propriùs accedit ad Deum,quàm accidens,meritò ex perfectionibus Dei etiam ſubſtantia, quæ in prædicamẽtis ponitur, in eminentiorem gradum extolli videtur. De his lege Chryſoſtomum Iauel.7.Metaph.quæſt.3. Extãt enim iam omnia eius opera beatiſsimo Pontifici Pio quinto dicata.Ac duobus his ſcholijs tertiũ addi poteſt; nec alienum quidẽ ab Ariſ.mẽte.Subſtãtia eſt prior tẽpore accidẽte,quia nullum datur accidens,quod eam ſubſtantiam, in qua eſt,antecedat:cùm tamen vix poſsit dari ſubſtantia, quæ non ſit antiquior multis accidentibus,ipſi inhærentibus. Vt Socrates prior eſt ſua deambulatione,& Angelus etiã,pleroſq; ſuæ volũtatis actus pcedit.

Quarta obiectio. Cur obſecro addidit Ariſtoteles,ſubſtantiam eſſe priorem natura accidente?Nam ſi eſt prior definitione eſſentiali & cognitione, certè eſt prior natura. Vanè igitur additur illa particula.Reſpondetur primò, Ariſtotelẽ nũquã eã poſuiſſe,vt diuus Thomas eodem loco teſtis eſt locupletiſsimus, ſed iuniores eã ad- Subſtantia quare dicatur prior natura accidente.

didiſſe. Quod ex eo etiam probatur, quia apud trãſlationem ipſorum iuniorum Ariſtoteles exponit tres priores particulas; hanc verò ſine explicatione relinquit: expoſiturus certè, ſi eam ipſe in textu poſuiſſet. Reſpondetur ſecundò, illam additam eſſe maioris explicationis gratia.

An genera, & ſpecies ſint potiùs vocandæ Primæ ſubſtã tiæ.

Quinta obiectio. Docet Ariſtoteles, Indiuidua eſſe Primas ſubſtantias. Qua in re nec ſibi quidem ſatis conſtare videtur. Nam ipſemet in Poſtprædicamentis ea tradit eſſe priora, à quibus haud reciprocatur exiſtendi conſecutio; ſed ab homine ad Petrum non cõuertitur exiſtendi conſecutio: ergo homo debet vocari Prima ſubſtãtia, & nõ Petrus. Probatur Minor. Nã licet bene argumẽtemur, Petrus eſt, ergo homo eſt; nõ tamẽ ſequitur, homo eſt, ergo Petrus eſt. Petrum, hominẽq; in exẽplum ſumpſi, cùm idem de quauis alia prima & ſecũda ſubſtantia facere potuiſſem. Reſpondetur, Secundam ſubſtantiam eſſe quidem priorem indiuiduis cõſecutione, non tamen efficientia; & (vt ita dixerim) cauſalitate, quoad exiſtentiam, & receptionem accidentium. Cauſa enim ob quam homo exiſtit, eſt, quia Petrus, vel Paulus exiſtit: & cauſa quare homo eſt albus, eſt, quia Petrus, vel Paulus eſt albus. Nunc autem prioritatem cauſalitatis conſiderat Ariſtoteles. Reſpondetur ſecundò. Licet à ſecunda ſubſtantia ad indiuidua ſumpta determinatè nõ viciſſim commeet exiſtendi conſecutio; tamen ad indiuidua ſumpta in communi haud dubiè licet reciprocè argumentari. Nam vt ſequitur, indiuiduum hominis eſt, ergo homo eſt: ita quoque ſequitur, homo exiſtit, ergo aliquod indiuiduum hominis exiſtit. Nunc autẽ Ariſtoteles non agit de prima ſubſtantia determinatè, id eſt, ſolùm pro Socrate, aut Platone, ſed indeterminatè & communiter pro quauis prima ſubſtãtia.

An ſpecies & genera ſint magis ſubſtantiæ quàm indiuidua.

Sexta obiectio in illud, quod aſſerit Ariſtoteles, indiuidua eſſe magis ſubſtantias, quàm genera, uel ſpecies. Nec vana eſt obiectio; tum quia in ſequenti capite eius doctrinam ſequentes, dicemus, ſubſtantiam non ſuſcipere magis & minùs; tum quia 8. Metaph. tex. 2. ipſemet tradit genera & ſpecies eſſe magis ſubſtantias. Ad primam dubitationis cauſam cap. ſequenti dicemus. Ad ſecundam reſpondetur, illud non dixiſſe Ariſtotelem ex propria ſententia, ſicut nec multa alia in eodem capite. Huic ſolutioni anſam præbet diui Thomæ interpretatio. Reſpondetur ſecundò, ſubſtantiam poſſe accipi duobus modis, primo, vt dicit eſſentiã; ſecundò, vt dicit exiſtere & ſubſtare accidentibus. Si de eſſentia ſit controuerſia, magis ſubſtantia eſt ſpecies, quàm indiuiduum; cùm eſſentia competat indiuiduo, rõne ſpeciei. Sinaũt de exiſtẽtia & receptione accidentiũ diſputemus, magis ſubſtantiæ ſunt indiuidua, quàm ſpecies, quia ratione indiuiduorum & exiſtunt, & accidentibus ſubſtãt ſpecies, atq; genera.

Extrema obiectio in illud, quod dicit Ariſtoteles, vnã ſpeciem infimam non eſſe magis ſubſtantiam alia. Subſtantia dicitur à ſubſtando, ſed homo ſubſtat accidentibus corporeis, vt longitudini, candori, ponderique; & incorporeis, vt quibuſdam vitijs & virtutibus: Leo autem ſubſtat ſolùm accidentibus corporeis: ergo magis ſubſtat homo, quàm leo. Reſpondetur. Magis, id eſt, pluribus concedo; Magis, id eſt, immediatiùs nego; quoniam ſicut homo ſubſtat mediatè ſuis accidentibus, ita & leo ſuis accidentibus per ſua indiuidua ſubſtat. Nunc autem quum dicimus, vnam ſpeciem non eſſe magis ſubſtantiam alia, ſolùm intelligimus, vnam non ſubijci accidẽtibus immediatiùs alia. Similis eſt adhibenda reſponſio illi argumento, quod fieri ſolet de duabus primis ſubſtantijs, quarum vna pluribus accidentibus ſubſtat, quàm alia. Igitur hæ ſe obtulerunt quæſtiones circa ea, quæ de Subſtantia dixeramus. Iam reliqua perſequamur.

De

De affectionibus ſubſtantiæ. Cap. 12.

BEne ſe habebit nunc, ſi quaſdam ſubſtantiæ affectiones tradamus, quibus & ipſis natura meliùs intelligatur, & cognoſcamus etiam quàm ſit à Categorijs accidentium ſeparata. Prima affectio eſt. Conuenit ſubſtantiæ non eſſe in ſubiecto. Conſtat ex antepraedicamentis. Secunda. Conuenit generibus & ſpeciebus Categoriæ ſubſtantiæ, & eorum quoq; differentijs prædicari Synonymòs de primis ſubſtantijs. De Petro enim & Paulo dicuntur Synonymòs, & quidem ſtricte, homo, & animal, ſenſibile, & rationale. Sed de his vide quæ diximus ſupra cap. de Synonymis. Tertia. Subſtantia non habet contrariũ; vt homo non repugnat plantæ. Quarta. Subſtantia non ſuſcipit magis, & minùs. Nam Petrus non eſt magis homo, quàm Paulus. Hæc tamen affectio & ſuperior conueniunt etiam quantitati, vt in Categoria Qualitatis meliùs explicabitur. Quinta, & maximè propria affectio eſt, vt cũ vna & eadem ſubſtantia ſit, contraria cum ſui mutatione recipere poſsit, vt tu vnus manens, nunc ſtas, nunc verò ſedes. Dixi cum ſui mutatione, quoniam etiam hæc oratio ſcripta, Petrus ſedet, ſuſcipit contraria, & modò eſt uera, modò falſa, non tamen ex ſeipſa, ſed ex mutatione Petri, qui interdum ſedet, & quandoque ambulat. Cæterũ vt in ſolam ſubſtantiam hęc affectio quadret, intelligenda eſt de receptione, quæ primò & per ſe rei conueniat. Etenim ſuperficies manus recipit uiciſsim calorem & frigus, non quidem vi ſua, ſed ratione ſubſtantiæ, in qua ſuperficies ipſa exiſtit. Quænam autem ſint, quæ in hac Categoria continentur, explicabimus in Tabulis, quas (Deo fauente) daturi ſumus.

Dubitationes.

PRima. Homo eſt in loco, non tanquam pars loci; & impoſsibile eſt vt ſit ſine loco (dico autem facultate naturæ, ſicut nec eadem facultate poteſt accidens extra ſubiectum inueniri) Ergo eſt in loco tanquam in ſubiecto. Reſpondetur, hominem non poſſe eſſe ſine loco, ſumendo locum in communi; poſse tamen eſse ſine loco in particulari. Poteſt ſiquidem ab vno in alium tranſmigrare. Nec velim, hinc colligas, hominem eſſe ſaltem in loco in communi, vt in ſubiecto. Etenim vt aliquid ſit in aliquo tanquam in ſubiecto, non ſufficit, illud non poſſe exiſtere ſine eo in cõmuni; ſed etiam requiritur, vt non poſsit eſſe ſine eo, in quo eſt in particulari, vt albedo, quæ eſt in manu, non ſolùm nequit eſſe extra hominem totum, ſed nec etiam à manu recedens, in aliam eius partem migrare poteſt. *An homo ſit in loco, vt in ſubiecto.*

Altera dubitatio. Dictum eſt, ſubſtantiam non ſuſcipere magis, aut minùs. Quòd proculdubiò falſum eſt, ſi vt ſuperiori capite ſcripſimus, prima ſubſtantia eſt magis ſubſtantia, quàm ſecunda. Huic dubitationi ita à pleriſque ſolet reſponderi. Aiũt ſubſtantiam aut dici a ſubſiſtendo & exiſtendo per ſe: qua ſignificatione, etiam Deus appellatur ſubſtantia: aut à ſubſtando accidentibus, vt quum albedinis ſubiectũ ſubſtantiam dicimus. Quo vocabuli vſu, omnia quæ ponuntur in prima Categoria, ſubſtantiæ appellantur. Deus verò, qui nullum recipit in ſeipſo accidens, non vocatur Subſtantia. Egregia hæc ſignificationum ſubſtantiæ enumeratio quò ſerpat, videamus. Itaque aſſerunt, ſi ſubſtantia dicatur à ſubſiſtendo per ſe, non recipere eam illud magis, ac minùs; ſin autem à ſubſtando accidentibus, omninò recipere; quia ſecundæ ſubſtantiæ ſubſtant accidentibus ratione primarum: atq; *Qua ratione ſubſtantia nõ recipiat magis aut minus.*

ideò magis ſubſtantiæ ſunt primæ, quàm ſecundę. Tamen aut ego fallor, aut vana eſt ſolutio. Nam etiam conſiderando ſubſtantiam, vt dicitur ab exiſtendo per ſe, ſuſcipit magis & minùs. Niſi enim velimus Ideas Platonicas ab Orco ſuſcitare, ſecundæ ſubſtantiæ non exiſtunt, niſi quia primæ exiſtunt. Ideò namque dixit Ariſtoteles, interemptis primis ſubſtantijs, reliqua interire. Quamobrem aliter reſpondetur, ſubſtantiam quidem ſub ratione communi ſubſtantiæ recipere magis & minùs: at ſub ratione particulari hominis, aut alterius ſpeciei, ſeu generis, non recipere magis, aut minùs. Videlicet Petrus non eſt magis homo, quàm Paulus; nec vnus Leo, alio Leone. Omnino autem hanc ſolutionem recipi decet; quia ab ipſomet Ariſtotele hoc loco traditur, nec vllus eius mentem poterit meliùs explicare. Denique reſpondetur, ſubſtantiam non ſuſcipere magis, aut minùs, ſi primæ ſubſtantiæ inter ſe conferantur, aut ſpecies infimæ inter ſe; aut genera, quæ ex æquo à ſpeciebus infimis diſtant. Nam ſi aliter ſubſtantias conferas, proculdubio magis & minùs inter ipſas, inuenietur.

An vltima affectio ſit ſubſtantiæ ꝓprietas. Tertia dubitatio. Dictum eſt, maximè proprium eſſe ſubſtantiæ, vt contraria ſuſcipere poſsit. Equidem, vt libr. 2. capit. 8. dub. 4. pronun. 3. ſcripſimus, inter Proprium & Accidens quintum prædicabile maximum eſt diſcrimen: quòd Proprium priùs natura conueniat ſpeciei, poſtea verò indiuiduis; at accidens priùs indiuiduis, quàm ſpeciebus. Sed recipere contraria accidentia, priùs conuenit indiuiduis, quã ſpeciei nam priùs natura aliquis ſingularis homo ambulat, quàm homini ambulatio tribui poſsit. Ergo recipere contraria, non eſt maximè proprium ſubſtantiæ. Reſpondetur. Quemadmodum riſibilitas, aut ridendi facultas priùs conuenit homini, quàm Petro, cùm de homine primò & per ſe enuntietur: at ridere actu priùs conuenit Petro, aut alteri indiuiduo, quàm homini; ita recipere quidem contraria accidentia, priùs indiuiduis, quàm homini, vel alijs vniuerſalibus Categoriæ Subſtantię dicendum eſt conuenire: at poſſe recipere priùs vniuerſis, quàm indiuiduis. Niſi enim natura humanæ eſſet indifferens ad ambulandum, aut ſedendum, non poſſent Petrus, ac Paulus ſine diſcrimine aut ambulare, aut ſedere. Idque ex eo facilè comprobatur, quod ſi natura ſpecifica certè, ac definitè ſibi poſtulet aliquod accidens, ea quæ ſub illa ſpecie continentur indiuidua, non poſſunt recipere accidens contrariũ. Quia natura ignis neceſſariò exigit calorem, non poteſt dari aliquis particularis ignis frigidus; & quia natura aquæ neceſſariò exigit frigiditatem, ideò non poteſt dari aliqua pars aquæ ſic calida, quin tanta frigiditate conſtet, vt ſi ab igne remoueatur, poſsit eum qui ſubintrauerat, calorem reſtinguere.

Num Oratio contraria recipiat. Poſtrema dubitatio. Quomodo dictum eſt, orationem non recipere accidentia contraria cum ſui mutatione? An ſicuti homo recipit calorem & frigus, quia Sol in eum radios mittit, & poſtea contrahit, non eadem ratione hæc oratio, Petrus ſedet, recipit veritatem & falſitatem, quia Petrus ſtat, & poſtea ſedet? Reſpondetur, hominem recipere calorem & frigus cum ſui mutatione reali. Rem enim quandam recipit Petrus, & quandam amittit, quùm fit ex calido frigidus. At Oratio recipit veritatem & falſitatem abſq; ſui mutatione reali, quippe cùm eſſe veram, aut falſam, nihil reale dicat in Oratione, ſed tantum relationem rationis; veluti dextrum & ſiniſtrum in columna. Hactenus de Subſtantia.

De

De Quantitate. Cap. 13.

IAm de Quātitate priùs quàm de reliquis accidētibus diſputemus: nō certè quòd ipſam illis omnibus perfectiorem iudicemus: nobilior enim eſt Qualitas: quæ non modò in rebus corporeis inuenitur, ſed etiam in ſeiunctis à materia: neque porrò quòd nullum accidens poſſit inhærere ſubſtantiæ, niſi media Quantitate; cùm accidentia Animæ rationalis & Angelorum eis inſint non media Quantitate: ſed quia inter omnia accidentia notiora ſunt ea, quæ ſenſibus percipi poſſunt; vt albedo, ſonus, calor, & alia eiuſdem generis: quorum prima radix & fundamentū eſt Quātitas. Iam verò cùm inter oēs Categorias Quātitas ſubſtātiæ ſimilior videatur; ita vt poſſit in locū ſubſtantiæ aliquando ſubrogari, vt docent Theologi de ſacroſanctę Euchariſtię ſacramento: iure poſt ſubſtantia Quantitatis ſequitur diſputatio. Quare priùs de Quātitate diſputetur

Quantitas eſt, qua dicimur eſſe quanti, vt à magnitudine magni, multique a multitudine. Si enim licuit Ariſtoteli, Qualitatem eam dicere, qua dicimur quales; quid impedit, ne Quantitas ſimiliter definiri poſſit? Teneamus igitur hanc eſſe Quantitatis definitionem, aut certè deſcriptionem; nam mihi vtrumuis eſt ſatis. Duplex autem eſt Quantitas, alia Continua, alia Diſcreta; aut alia Coniuncta, alia Deiuncta. Coniuncta eſt, cuius partes termino communi iunguntur. Terminum communem appello quidpiam indiuiſibile, quod eſt vnius partis finis, alterius verò principium; vt punctus, qui eſt in medio lineę. Deiuncta eſt, cuius partes nullo communi termino iūguntur; vt denarius. De hoc genere Quantitatis, non multò poſt diſſeremus, ſed priùs de Coniuncta agamus. Ea quidem in quinque ſpecies diuidi ſolet, in Lineam dico, ac Superficiem, Corpus, Locū, & Tēpus. Vulgus autem Philoſophorum, lineam eſſe ait longitudinē ſine latitudine: Superficiem (quę à nonnullis Extremitas: aut Planum dicitur) eſſe longitudinem & latitudinem, abſque profunditate: Corpus verò longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Eodem omnino ſenſu licet alijs verbis definit hæc Ariſtot. 5. Metaph. tex. 18. dicens, lineam eſſe continuū in vnū, cùm ſolū ratione longitudinis ſit cōtinua, & ratione latitudinis indiuiſibilis: ſuperficiem verò eſſe quid cōtinuū in duo: Corpus deniq; continuū in tria. Locus autē ita definitur. Immobilis ſuperficies corporis ambientis, vt ſuperficies aeris cōtinentis me, eſt locus meus. Quare tamen ſuperficies immobilis dicatur; cùm re verà moueatur, magnam, nec perſpicuam certè habet Philoſophiam. Atque hoc loco fortè non deerunt Philoſophi minimè mali, ſed non ſatis acuti, quibus videatur, hanc rem non fuiſſe tanquam difficilem ab hac diſputatione remouendam; cùm facilè dici poſſit, ſuperficiem aëris ambientis columnam: ſi, quatenus ſuperficies quędam eſt, conſideretur, proculdubio poſſe moueri; nec ſolū poſſe, ſed re ipſa moueri: at ſi expēdatur ratione diſtantię, à Solis & Centro mūdi nequaquā moueri, ſicut nec pūcta iſta fixa quę nominauimus. Quò circa tametſi ſuperficies cōcaua aëris, quę mane ambiebat columnam, ad veſperum iam mutata ſit; quia tamen alia ei ſuccedit in eadem penitus diſtantia à Polis & Centro: ideò & columna in eodem loco, in quo erat, dicitur permanere, & locus ipſe immobilis perſeuerare. Hęc quum dicunt, totam, quanta eſt, arbitrantur ſe diſſoluiſſe quęſtionem. Quam acutè, nihil dico; certè non adeò perſpicuè, vt exiſtimant. Etenim cùm illa etiam diſtantia accidens ſit in corpore ambiente exiſtens, moto eo corpore, ſicut neceſſe fuit, aliam ſuperficiem ſuccedere, ita & aliam re uera diſtantiam; alioquin accidens ab vno ſubiecto migraret in aliud. Non equidem vt falſam reprehēdo ſolutionem, ſed talem arbitror, vt ſi aliquis vrgere velit, vt nos fecimus, non poſ-

Quid ſit Quātitas.

Species Quātitatis

Nota de loci immobilitate.

ſit abſque ſumma Philoſophiæ comprenhenſione defendi. A Philoſophis igitur iſta erunt petenda,nos verò ad propoſitum reuertamur. Tempus eſt motus primi cœli,quatenus in illo motu apprehenditur priùs ac poſteriùs, vt conſtat ex 4.Phyſicorum. Has quinque ſpecies eſſe quantitates continuas, probatur; nam partes lineę coniunguntur in quodam puncto,qui eſt in medio lineæ;qui cùm ſit res penitus indiuiſibilis,eſt finis vnius partis lineæ;alteriùs verò principium. Quare puncta quæ in linea ſunt extrema,non ſunt termini communes; nam cùm vnam partem finiant, alterā non inchoant. Partes autem ſuperficiei habent tanquam terminum cōem lineam in medio ſuperficiei,quæ etiam eſt quid indiuiſibile ſecundùm latitudinem. Partes corporis habent terminum communem ſuperficiem,quæ in medio corporis intelligitur,eſtque indiuiſibilis quoad profunditatem. Inſuper temporis partes coniunguntur ad inſtans, vel momentum,aut Nunc,quod eſt in medio temporis. Denique partes loci coniunguntur aliqua linea, quæ reſpondet alteri lineæ exiſtenti in ſuperficie corporis locati.

Qualis ſit terminus cōmunis.

Veruntamen circa has dimenſiones,ſcilicet longitudinem,latitudinem,ac profunditatem,ſeu craſsitiem,obſeruandum eſt primò: omnem terminum communem eſſe vna dimenſione minorem illa quantitate, cuius eſt terminus. Superficies eſt terminus corporis:corpus autem tribus dimenſionibus conſtat,ſuperficies tantùm duabus. Præterea linea cuius vna eſt dimenſio terminus ponitur ſuperficiei,quæ habet duas. Punctus denique cùm omni dimenſione careat,eſt terminus communis lineæ:quia id quod minus vno eſt,nihil eſt.

Num quātitas cōiūcta ex terminis cōmunibus componatur.

Obſeruandum eſt ſecundò: Quantitates non componi ex ſuis terminis communibus. Linea non componitur ex punctis,nec ſuperficies ex lineis,nec corpus ex ſuperficiebus,aut tempus ex inſtantibus,vel momentis. Horum autem vna eſt ratio. Nam mille puncta non faciunt lineam,nec mille lineæ tantillam ſuperficiem,nec mille ſuperficies corpus etiam exiguum, vel denique infinita inſtantia breue tempus. Etenim ſi vno puncto velis addere alium,aut tanget priorem,aut ſecùs. Si non tangit,non faciet quantitatem continuam, uel attiguam;ſit tangit, vel ſe toto tangit,uel aliqua ſui parte attingit; & alia eſt extra priorem punctum. Si detur primum,ergo duo puncta non occupant maiorem locum, quam vnum ſolum;ac proinde non faciunt lineam. Secundum verò dici non poteſt;ait enim Ariſt. 5.Metap.tex.12.Punctum eſſe quid indiuiſibile, ergo non habet partes. Nec aliter ſentiendum eſt de linea reſpectu ſuperficiei,cùm eadem ſit ratio lineæ ad ſuperficiem, & ſuperficiei ad corpus,quæ puncti ad lineam.

De numero dimenſionum.

Denique obſeruandum eſt,non eſſe plures dimenſiones tribus: quoniam numerus dimenſionum debet ſumi ex numero linearum, quæ poſſunt ita ſe interſecare, vt angulos rectos conſtituant (& vocamus angulum rectum, quem efficit linea recta,cadens ſuper lineam rectam perpendiculariter,ut patet in illo ſchemate)ſed tantùm poſſunt eſſe tres lineæ, quæ ita ſe inuicem diuidant: Ergo tres ſunt dimenſiones, nec plures dari poſſunt. Probatur propoſitio. Nam menſura, cùm nos de rerum quantitate certiores faciat,dēt eſſe certa,ac definita;non uaria,& fluctiuaga:ſed ſolus angulus rectus eſt certus,ita ut non poſsit unus rectus eſſe maior altero:contra autem anguli acuti, uel obtuſi ſunt incerti;danturque obtuſus & obtuſior,acutior & acutus: Ergo numerus dimenſionum ex numero tantum earum linearum ſumendus eſt; quæ modo iam expoſito ſe interſecant. Probatur aſſumptio. Siquidem illis duabus lineis ſuperius expreſsis ad crucis formam, pōt alia ſuperaddi,

quæ

quæ per medium illarum feratur,ſed eam nequimus depingere. Poſſet tamen ſummi acus,& in papyro transfigi, ac tum fierent omnes angeli recti. Porrò cæteræ lineæ,quæ his addi poſſunt,iam non efficient angulos rectos,ſed acutos; ut experientia comprobare licet.

Quantitas verò Deiuncta,diuiditur in Numerum & Orationem. Numerus eſt multitudo conſurgens ex vnitatibus, vt denarius. Numerus autem eſt quantitas Diſcreta,quia eius partes nullo termino communi vinciuntur.Et quidem de numero pari manifeſtum eſt. De impari ſic oſtenditur. Septenarius diuiditur in quatuor & tria, & quædam vnitas quaternarij poterit eſſe eiuſdem quaternarij finis, at certè non erit ternarij ſequentis principium. Quare non conueniet illi vnitati definitio termini communis: ergo nec impares numeri Quantitates Continuæ appellari debent. Oratio autem hoc loco non ſumitur pro ea, quæ ore profertur; cũ hæc ut ſonus quidam eſt ad tertiam qualitatis ſpeciem pertineat:ut uerò eſt ſignificans,ad Relationem. Nec quidem pro Oratione quæ ſcribitur eſt accipienda,illi enim characteres ſpectant ad quartam ſpeciem qualitatis:nec deniq; pro ea quę mẽte retinetur;ut conſtat. Quidam igitur ſignificat nunc Oratio? Vt exiſtimo,menſuram uocum,ſonorum,& motuum,quatenus inter ſe ordinem quendam habent. Vt quum profero hanc uocem Dominus, illa menſura qua dimetior quantùm ſpatij, aut(ſi placet)durationis conſumptum fuerit in eius prolatione, eſt quæ hoc loco uocatur Oratio:ea loquendi formula qua menſuram pedis,nominamus pedem. Quocirca ſubiectum cuiuſlibet ſcientiæ Muſicæ pertinent ad hanc ſpeciem, etiam loquendo de ſcientia Irah, cuius meminit Cõmentator 7.Metaph.tex.29.agit enim illa ſcientia de Muſica in ſaltu. Et illa menſura qua menſuramus uarios motus tripudiantium in choreis,ſub nomine quoq; Orationis intelligitur. Sed enim quantùm intelligo, Oratio non differt re à tẽpore,ſed idem met cœli motus,qui quatenus eſt menſura rerum continuarũ, uocatur Tempus; quatenus ex ipſo ſumimus uarias partes ad menſurandas uoces ſonos,& motus diuerſos,appellatur Oratio.

De Quantitate Deiuncta.

Orationis nomen quid hoc loco ſignificet.

Ac ne aliquid intactum relinquamus,illud oportet intelligi, à quantitate Diſcreta appellari res multas, aut paucas,ut mille Pomiliones dicimus multos, non magnos; duos autem Gigantes, paucos dicimus: ſed abſque controuerſia magnos: quamuis nonnunquam huiuſmodi nomina confundãtur. Sed tamen in Magni nomine quędam latet amphibolia. Magnitudo quippe alia Perfectionis eſt,alia Molis. Perfectionis magnitudo eſt,cuiuſque rei in genere ſuo præſtantia, & excellentia. Qua ſignificatione, Deum etiam magnum uocamus. Tritum enim illud eſt, & omnium ore vulgatum,in his quæ mole magna non ſunt, magnum idem eſſe,atque perfectũ. Molis verò magnitudo eſt,quæ ex rerum corporearum longitudinę, latitudine,profunditate,aut diuturnitate ſumitur. Quorſum hæc inquies? Vt intelligatur, magnitudinem Perfectionis in rebus etiam corporea Quantitate carentibus inueniri; nec pertinere ad hanc Categoriam, potiùs quàm ad alias:at magnitudinem molis tantùm in rebus corporeis cerni,& ex hac Categoria deſumi.

Quæſtiones.

PRima eſt de numero ſpecierum Quantitatis. Nam Ariſtoteles 5.Metaph.tex. 18.enumerat Tempus inter Quãtitates per accidẽs, nos verò inter quãtitates per ſe.Reſpõdeõ,de Quãtitate duobus modis tractari poſſe,ſcilicet ſub ratione diuiſionis,

Tempus an ſit quãtitas per ſe.

ſionis,& ſub ratione menſuræ. Nam Quantitas duo habet. Conſtituit enim rem diuiſibilem, ac eſt menſura qua res metimur. In Metaphyſica egit Ariſt. de Quantitate potiſsimùm ſub ratione diuiſionis, ac proinde ita definiuit Quantum. Quantū eſt, quod natum eſt diuidi in ea quæ inſunt, quorum vnumquodq; natum eſt, hoc quiddam eſſe. Hic verò agit de Quantitate potiùs, ut eſt menſura. Vnde ortum eſt, vt quum aſsignant Doctores, cauſam numeri ſpecierum Quantitatis, quæ ab Ariſtotele hoc loco adducuntur, confugiant ad varias formas menſuræ. Dicunt enim, res quas metimur aut eſſe coniunctas, aut deiunctas. Porrò ſi coniunctæ ſint, aut eſſe poſitas in ſucceſsione, tumque menſurari Tempore; aut permanere. Harum præterea menſionem aut fieri internè, aut externè; ſi externè, ad Locum pertinet; ſi internè, vel ſolùm ratione longitudinis, idque per Lineam excerceri, vel ratione longitudinis, & latitudinis, per ſuperficiem; vel denique ratione profunditatis, per Corpus. Sin autem res diſiunctas metiamur, & illæ res ſint voces, ſoni, aut motus, pertinere ad Orationem; alia verò deiuncta, ac permanentia numero menſurari. Cùm itaque Tempus per ſe menſura ſit, numeratur hoc loco inter ſpecies per ſe Quantitatis ab Ariſtotele. Cùm autem non competat ei diuiſio per ſe (ſcilicet non conueniat ei penitùs accidentariò ſed ratione motus, & magnitudinis, vt dicitur 6. Phyſicor. capit. 4.) ideò, in Metaphyſica inter ſpecies per ſe Quantitatis nō computatur. Facillimùm eſt hinc colligere ſolutiones aliorum argumentorum; quæ contra numerum ſpecierum Quātitatis fieri conſueuerunt. Quare non numeraſti Motum ſpeciem quantitatis? Quia agitur hîc de quantitate ſub ratione menſuræ, motus autem non habet aliam rationem menſuræ, quàm Tempus. Cur Ariſtoteles in Metaphyſico reliquit locum? Quia in ratione diuiſionis non differt locus à ſuperficie; quanquam differat in ratione mēſuræ. Quæ cauſa fuit ob quam in Metaphyſica non meminit Ariſtoteles Orationis? Quia in ratione diuiſionis non differt oratio à numero, & motu. Nihil enim aliud eſt Oratio, quàm motus quidam diuiſi, & inter ſe compoſiti, ſicut numerus nihil eſt aliud quàm rerum permanentium, ac diuerſarum multitudo.

Altera quæſtio. Corpus eſt ſpecies Categoriæ Subſtantiæ, ergo non poteſt eſſe ſpecies Categoriæ Quantitatis: diuerſorum enim generum, & non ſubalternatim poſitorum, ſicut diuerſæ ſunt differentiæ, ita & ſpecies. Reſpondetur, Corpus ſumi aut pro ipſa trina dimenſione, & eſſe ſpeciem quantitatis Continuæ, aut pro natura ſubſtantiæ, ex qua fluit trina dimenſio, ut proprietas à ſubiecto; quemadmodum ab homine riſibilitas: & hoc pacto eſſe ſpeciem ſubſtantię.

Tertia quæſtio. Corpus non poteſt inueniri abſque ſuperficie, vel linea; nec linea abſq; ſuperficie, vel corpore: quomodo ergo ſunt tres ſpecies diſtinctæ? Reſpondetur; id nihil ad rem pertinere, nam etiam actio non poteſt inueniri abſque paſsione, nec paſsio abſque actione; & nihilominus ſunt non duæ ſpecies tantùm, ſed duo ſuprema genera.

De numero Trāſcēdēte, & ad Quantitatis Categoriam coarctato.

Vltima quęſtio in hoc capite agitari ſolet, an omnis numerus ad hanc Categoriā pertineat. An ſicut decem homines, quà decem ſunt, ad genus Quantitatis diſiunctę referuntur, ita & decem Angeli. Sed in hac quęſtione apud probatos auctores duplex genus numeri ſolet annotari, aliud Tranſcendens, aliud Quantitatiuum. Numerus n. conflatur ex vnitatibus: Vnitas autem alia eſt Tranſcendens, alia Prędicamentalis, vel Quantitatiua: Ergo duo erunt numerorū genera. Vnitas quidē tranſcendens vagatur per omnia genera, eſtque ex numero tranſcendentium. Hęc enim ſunt pręcipua Tranſcendentia ens, Vnum, Verum, Bonum, Aliquid, & Res. Iam verò Vnum tranſcen-

tranſcendens nihil eſt aliud, quàm quęuis res, ut eſſentiam & exiſtentiam indiuiſam ſortitur. Exempli gratia. Angelus Raphael dicitur vnus, quia eius eſſentia, aut exiſtētia non eſt diuiſa in plures eſſentias, vel exiſtentias. Quò fit, ut quæuis ſubſtantia, & quoduis accidens hac vnitate dicatur Vnum, cùm non detur aliqua res, quę non habeat vnam exiſtentiam, à qua Vna uocetur. Vnitas autem Quantitatiua, vel prędicamentalis, eſt illud eſſe continuum indiuiſum actu, quod in qualibet re, affecta quātitate continua, inuenitur. Petrus enim prętereſſe eſſentiæ, vel exiſtētię, habet quoddam eſſe accidentale, ratione cuius eſt vnum corpus continuum. Igitur ex vnitatibus tranſcendentibus, conſtituitur numerus tranſcendens, vt decem Angeli, quia habent decem eſſentias, uel exiſtentias, ſunt decem. Ex vnitatibus prędicamentalibus conſtituitur numerus Quantitatiuus, vt decem homines non ſolùm ſunt decem, quia decem eſſentijs, vel exiſtentijs conſtant; ſed etiam quia habent decem quantitates. Nec debet à nouis Philoſophis hæc diſtinctio vana & commentitia iudicari; innititur enim duobus teſtimonijs Ariſtotelis, quorum vnum habetur 10. Metaph. tex. 21. ubi ait Philoſophus, multitudinem eſſe, veluti genus numeri. Quòd ſi loqueretur de numero tranſcendente, falſa eſſet eius ſententia, cùm omnis multitudo ſit numerus tranſcendens, & omnis numerus tranſcendens, ſit multitudo. Quare ſententia Ariſtotelis eſt vera, non de numero tranſcendente, ſed de quantitatiuo. Alterum inuenietur 3. Phyſic. cap. 7. Tradit enim eo in loco, numerum conſurgere ex diuiſione continui: quod de numero tranſcendente falſum equidem eſt, cùm duo Angeli non ſint duo continua diuiſa. Contra autem de numero rerum corporearum eſt certiſsimum. Nam duo fragmenta ligni ex diuiſione ligni, quod in ea diuiſum eſt facta ſunt duo. Hic itaque numerus eſt numerus quantitatiuus, qui fit ex diuiſione continui. Sed inquies: Nonne in cœlis eſt numerus quantitatiuus & Phyſicus? at numerus illorum non producitur ex diuiſione vlla continui; quia nullum cœlum diuiſum eſt aliquando in plures cęlos: ſi ut philoſophia docet, cęlum diuidi nequit. Ergo numerus quantitatiuus non efficitur ex diuiſione continui. Verùm qui ita vrgent, nec probabilem, nec ſatis idoneam cauſam afferunt. Neque enim adeò ruſticè Ariſtoteles intelligendus eſt, quaſi doceat, omnem numerum rerum corporearum ita conſtitutum fuiſſe, vt oportuerit aliquod continuum corpus in duas, aut eo plures partes ſecari, ac tum numerum factum eſſe. Nam quis ita poterit exiſtimare? Quare Ariſtoteles id tantùm docere voluit, numerum Quantitatiuum ex eo effici, quòd duo corpora, quorum vnumquodque continuum eſt, à ſe inuicem diſtincta ſunt, atque diuiſa; vel ſeorſum, ac diuiſim exiſtunt. Id autem in cęlis manifeſtè reperitur. Hinc primò collige, numerum Angelorum non pertinere ad hoc prędicamentum; item nec numerum rerum corporearum, qui ſumitur ex varijs earum eſſentijs & exiſtentijs; ſed eum qui ſumitur ex varijs earum quantitatibus continuis. Nam res corporeę, ſicut habent eſſentiam & quantitatem, ita duplicem vnitatem habent; aliam tranſcedentem, aliam quantitatis: ac ſubinde duplicem numerum conſtituere poſſunt. Collige ſecundò, omnem numerum prędicamentalem eſſe tranſcendentalē; non tamen omnem numerum tranſcēdentalem eſſe prędicamentalem, vel quantitatiuum: ſicut omne vnum quantitatiuum eſt vnum tranſcendens, non è diuerſo; & omnis quantitas eſt ens, non tamen omne ens eſt quantitas. Ex his liquet ſolutio quęſtionis. Numerus enim qui in Angelis inuenitur, eſt tranſcendens, & non pertinet ad hoc prędicamentum. Quamuis (vt verum fatear) numerus tranſcendens à pleriſque non appellatur numerus, ſed multitudo; & numerus prædicamentalis, aut quātitatiuus

Quomodo numerus ex cōtinui diuiſione effici dicatur.

quantitatiuus ſimpliciter vocetur Numerus. De his cõſule diuum Thomam 1. parte quæſt. 11. ar. 1. Lege præterea opuſculum 48. tract. 3. de Quantitate cap. 1. & Chryſoſtomum Iauellum in tractatu de Tranſcendentibus capit. de Vno: & libro 4. Metaphyſic. quæſt. 7. & libro. 8. quæſt. 11. & denique libro 10. quæſt. 15.

De affectionibus Quantitatis. Cap. 14.

PRima affectio Quantitatis hęc eſt. Quantitati eſt contrarium: linea enim non repugnat lineæ, nec ſuperficies ſuperficiei. Secunda. Quantitas non ſuſcipit magis aut minùs. Poteſt enim vna linea eſſe maior altera, ſed non magis linea. De his copioſior erit diſputatio, quum in qualitatis affectiones inciderimus. Tertia. Quantitas eſt, cuius cauſa æquales, aut inæquales dicimur. Eſt enim Quantitas menſura: ea autem dicuntur paria, aut æqualia, quæ eadem menſura poſſunt menſurari..

Dubitationes.

PRima. Locus eſt quantitas, ſed locus ſurſum loco deorſum aduerſatur, ergo quātitas contrarium habet. Probatur aſſumptio. Motus contrarij ſunt ad extrema contraria, ut ex 5. Phyſicorum capite 5. conſtat: ſed motus ſurſum & motus deorſum inter ſe pugnant: ergo ſurſum & deorſum ſunt contraria. Reſpondetur primò. Si ſurſum & deorſum conſiderentur ſolùm, ut loca quædam ſunt, id eſt, ut ſuperficies rem continentes, non ſibi inuicem aduerſari: ſi verò quatenus in loco ſuperiori, qui eſt ſpæra ignis, eſt ſummus calor ſiccitati coniunctus, & in loco inferiori humiditas, atque frigus ſurſum & deorſum eſſe contraria; ratione harum qualitatum. Sicut Subſtantia non eſt per ſe aduerſa ſubſtantiæ, ac nihilominus ratione caloris & frigoris, aqua & ignis inuicem aduerſantur. Reſpondetur ſecundò, motum ſurſum non eſſe ad locum ſupernum, nec motum deorſum ad inferiorem; ſed motum ſurſum eſſe ad ubi ſuperiùs, motum deorſum ad ubi inferiùs. Quòcirca Ariſtoteles 5. Phyſicor. cap. 1. docet, motum ſecundùm locum eſſe ad Categoriam Vbi. Categoria autem Vbi recipit contrarium. Sed hæc à Phyſicis requirantur. Lege tamen obiectionem primam cap. 16.

Num pondus quantitas ſit

Altera dubitatio. Pondus non eſt quantitas, ſed ratione ponderis res dicuntur æquales, aut inæquales: ergo non eſt proprium quātitati, vt ſecundùm eam res ęquales, aut inæquales vocentur. Propoſitio ita probatur. Quia alioquin mancam, & quaſi inchoatam quantitatis notionem nobis Ariſtoteles tradidiſſet. Probatur aſſumptio. Quia plauſtrum fœni & moles plumbea dicuntur æqualia ratione ponderis, nō ratione magnitudinis, nec etiam ratione multitudinis; cùm in plaſtro ſint infinitæ herbæ, & moles plumbea ſit vna. Ad hoc argumentum quidam reſpondent negando propoſitionem. Sentiunt enim, pondus eſſe quantitatem. Cæterùm Ariſtoteles 5. Metaphyſicorum tex. 19. docet, pondus & leuitatem eſſe qualitates: & tex. 18. non numerat pondus inter ſpecies quantitatis; ſed cum affectionibus illud recenſet. Iam diuus Auguſ. 10. lib. Confeſ. capi. 8. grauitatem inter qualitates enumerat. Quod ēt facit 5. Metaph. lec. 16. D. Thom. eius in hac uita diſcipulus, ac interpres, & in cœleſti pmio ęqualis, ac ſocius. Reſpondendum eſt igitur, æquale, aut inæquale duobus modis accipi, propriè, & impropriè. Aequalitas propriè attenditur ex quantitate, æqualitas

litas autem impropriè poteſt ex alijs rebus conſiderari. Vt quum volumus agnoſcere, vtrum duæ imagines ſint æqualiter, aut inæqualiter verę, comparamus eas cum exemplari, ac prototypo, & eam dicimus veriorem, quæ proximè accedit ad archetypon. Similiter vt de colorum æqualitate, aut inæqualitate tractemus, conferimus eos cum perfecto colore. Eadem eſt ratio æqualitatis, aut inæqualitatis in pondere. At Quantitati proprium eſt, vt ſecundùm eam res propriè æquales, aut inæquales dicantur.

Poſtrema dubitatio. Si in mundo non eſſet niſi vna res quanta, illa haberet quãtitatem, & non eſſet propriè æqualis, aut inæqualis. Cui enim eſſet æqualis? Ergo non eſt proprium quantitati, ut ex ipſa res propriè dicantur æquales, aut inæquales. Facilis eſt reſponſio. Proprium eſt quantitati, ut ſecundùm eam, res propriè dicantur æquales, aut inæquales; non actu, ſed potentia. Vt ridere actu, non eſt proprietas hominis, ſed ridere poteſtate. Alia profectò ſunt verba, ſed non eſt diuerſa eorũ intelligentia; qui aiunt, proprium eſſe quantitati, ut ipſa media, res ſint fundamentaliter æquales, non formaliter; quia ſcilicet id quod fundamentum, ac cauſa eſt, quare poſsint res propriè vocari æquales, eſt quantitas ipſa. *Quomodo æqualitas & inæqualitas ſint quãtitatis proprietates.*

De Qualitate. Cap. 15.

POſt Quantitatem, agendum eſt de Qualitate, quę inter accidentia non relata cõputatur; licet Ariſtoteles arbitrariam methodum ſequutus, poſt Quantitatem diſputet de Relatione; cuius mentionem fecerat cap. de Quantitate. Eſt autem Qualitas, qua dicimur eſſe quales, vt ab albedine dicimur albi. Alij definiunt Qualitatem eſſe formam accidentariam, ſecundùm quam propriè dicimur eſſe quales. Formam accidentariam dicunt, ut excludant ab hac Categoria differentias eſſentiales ſubſtantiæ, quæ licet prædicentur in quale apud Ariſtotelem 5. Metaph. tex. 19. & Porphyriũ cap. de Differentia in Iſagoge, non tamen pertinent ad hanc Categoriam nec directè, nec ad latus; cùm non ſint formæ accidentarię. Addunt, ſecundum quam propriè dicimur, eſſe quales, quia licet omnia accidentia prędicentur in quale de ſubſtantia, vt ex libro quinque Vocum manifeſtum relinquitur: at propriè dicimur quales ab huius Categorię accidentibus. Habet autem hoc genus quatuor ſpecies, earum princeps eſt Habitus & Diſpoſitio, altera Naturalis vis & Imbecillitas, tertia Paſsio & Patibilis qualitas, extrema deniq; Forma & Figura.

Habitus eſt qualitas diſponens ſubiectum ad bene, vel malè operandum; ab eoque difficilè ſeparabilis. Diſpoſitio verò qualitas eſt diſponens ſubiectum ad bene, vel malè operandum; quę tamen facilè à ſubiecto dimoueri poteſt: vt ſanitas & ęgritudo. Quare in hac ſpecie ſunt omnes virtutes & vitia, omnes ſcientię, quin etiam omnes habitus ſupernaturales, Fides, Spes, Charitas; immò & gratia ipſa, quę licet per ſe non operetur; operatur tamen medijs illis tribus virtutibus. Denique (vt multi exiſtimant) ad hanc ſpeciem pertinet Lumen gloriæ, id eſt, quędam diuina; ſed creata qualitas, exiſtens in intellectu cuiuſcunque beati. De qua diuus Thom. 1. parte quęſt. 12. ar. 5. ſine controuerſia accuratiſsimè diſputauit. Itaq; miror, quid in mentem venerit illis, qui Habitum eſſe definiunt qualitatem acquiſitam, vel exercitio cõparatam. Quod non modò falſum eſt in habitibus ſupernaturalibus, ſed etiam in quibuſdam habitibus naturalibus; ſcilicet in Syndereſi, & in habitu primorum principiorum ad ſpeculationem pertinentium: de quibus lege diuum Thom. 1. parte *Habitus & Diſpoſitio*

quæſt.

quæſt.79.ar.12.hi enim habitus natura potiùs, quàm exercitio obtinentur. Reprehendenda eſt quoque eorum ſententia, qui dicunt, omnem habitum ex frequentatis actibus gigni: nam præter habitus ſupernaturales etiam ſcientia vnica demonſtratione gignitur: vt libro 6.cap.2.dicemus.

Naturalis vis & Imbecillitas. Naturalis vis & Imbecilitas conſtituunt ſecundam ſpeciem. Eſt autem Naturalis vis facultas nobis data à natura aliquid agendum, vel ad alicui reſiſtendum; vt corporis robur. Naturalis verò Imbecilitas eſt qualitas à natura inſita, qua ſubiectum redditur impotens ad aliquid agendum, vel ad alicui reſiſtendum; ut debilitas corporis. In hęc ſpecie collocantur omnes potentiæ animæ intelligentis, omnes ſenſus externi, omnes interni, omnes potentiæ animæ vegetantis, multæque aliæ proprietates ſubſtantiarum; vt riſibile. Denique apud Theologos grauiores Character Sacramentalis ad eam reducitur. Quò fit, hanc ſpeciem non eſſe appellandam à Theologis, præſertim qui diui Thomæ doctrinam profitentur, Naturalem potentiam, aut impotentiam; ſed potentiam, & impotentiam; aut (vt loquuntur alij) vim & imbecilitatem: vt comprehendantur ſub hac ſpecie vires naturales & ſupernaturales, vt Character. Logicis tamen retinenda eſt phraſis loquendi. Hæc autem ſpecies natura quidem prior eſt habitu & diſpoſitione, ſed dignitate poſterior.

Patibilis qualitas & perturbatio. Tertia eſt Patibilis qualitas & Perturbatio. Patibilis qualitas eſt qualitas, difficilè mobilis, inferens paſsionem ſenſibus: ut rubor quem aliqui à natura habent, difficilè ab eis ſeparari pōt: & illemet quum ab alijs uidetur, infert paſsionem in oculos; non modò quia ſentire eſt quoddam pati, ſed quia ex quolibet obiecto ſenſus pōt naſci aut delectatio, aut triſtitia: hæ aūt ſunt paſsiones, vel commotiones appetitus ſenſitiui. Lege Caietanum hoc loco. Perturbatio eſt qualitas facilè mobilis, inferens paſsionem ſenſui; vt rubor, quem ex labore contrahimus. Fatendum eſt tamen cum Ariſtotele, aliquas huius ſpecici qualitates, ut ſunt colores, alio etiam titulo appellari patibiles, quando ſcilicet ex aliqua paſsione generantur; vt quum rubor ex uerecundia generatur. Verecundia autem ad paſsiones (Cicero affectus vocat) appetitus ſenſitiui eſt referenda. Ad hanc ſpeciem pertinent colores, ſapores, odores, ſoni, & qualitates, quas tactu percipimus. Quinimo vndecim illæ paſsiones animæ ſenſitiuæ, de quibus diſputat diuus Thomas 1.2. quando inhærent ferè ſemper, vt in cholericis, ſunt patibiles qualitates; quum facilè tranſeunt, ſunt perturbationes.

Forma, & Figura. Quarta ſpecies eſt Forma, vel Figura. Vocatur autem Figura, quæ termino, vel terminis clauditur, uel circulus, tringulus, & aliæ omnes figuræ Mathemeticæ. Forma verò appellatur figura, iam applicata ad res naturales, vel artificiales. Quò fit, ut ſella, clypeus, & huius generis alia, ad artis formam conſtructa, in hanc ſint ſpeciem referenda.

Hęc autem digna viſa ſunt obſeruatione, ut ſuperiora planiùs intelligerentur: primum eſt, antiquos Philoſophos (teſte Alberto Magno) has ſpecies ſimplici vocabulo appellaſſe. Primam dicebāt Applicationem, quia habitus & diſpoſitiones inclinant & applicant nos ad operandum: Secundam Aptitudinem, quia ſub iſta ſpecie continentur naturalis potentia: Tertiam vocabant Caſum, quia qualitates tertiæ ſpeciei frequenter adueniunt nobis caſu, ac fortuitò: Vltimam Compoſitionem, eò quod Figuræ ex quantitatis compoſitione reſultent. Sed Ariſtoteles meliori conſilio, quālibet ſpeciem duplicato nomine appellauit.

Ratio numeri quaternarij ſpecierum. Secundum eſt, numerum harum ſpecierum eſſe quaternarium, ut docet diuus Tho.1.2.quæſt.49.ar.2.licet Ariſtoteles, modeſtiæ cauſa, dicat, fortaſſe non eſſe plures

res

res ſpecies his quatuor. Ratio autem diui Thomæ hæc eſt. Qualitas idem eſt, quod modus, vel modificatio ſubſtantiæ. Modus autem duplex eſt, alius accidentalis, alius eſſentialis. Modus eſſentialis ſubſtantiæ eſt eius differentia eſſentialis, vt animalis rationalis modus, eſt ipſum rationale. Atque ideò differentia prædicatur in Quale, vt diximus. Non tamen hic modus pertinet ad hanc Categoriam. Alius eſt modus accidentalis, vagaturq; per nouem Categorias accidentium, quę etiam in Quale prædicantur de ſubſtantia. Cæterùm quoniam hęc Categoria propriè eſt, & dicitur Qualitas (ab alijs enim accidentibus dicimur quales, ſed quanti; quales, ſed relati; quales, ſed agentes: &c. ab accidentibus verò huius Categoriæ Quales ſine addito appellamur) ideò peculiariter ipſa ſubſtantiam modificat. Propriè autem quatuor modis ſubſtantia modificari poteſt. Primo, quoad bonam, vel malam operationem in ordine ad propriam naturam; quod fit per habitum & diſpoſitionem. Secundò, quoad principium operationis, vt viſus eſt quidam modus hominis; quia eſt principium cuiuſdam operationis; id eſt, actus videndi: & hoc per naturalem vim & imbecillitatem efficitur. Tertiò, quantùm ad terminum operationis ſubſtantiæ; exempli gratia. Actus videndi modificatur per colorem, qui eſt eius terminus, uel obiectum; id autem per tertiam ſpeciem exercetur. Quarto, quantùm ad quantitatem. Figura enim nihil aliud eſt, quàm modus quantitatis ſubſtantiæ. Figura autem eſt quarta ſpecies. Quatuor igitur ſunt Qualitatis ſpecies.

Tertium eſt, has ſpecies non ſemper re differre, una enim met res poteſt ad diuerſas ſpecies pertinere. Calor & frigus ſi conſiderentur vt variè afficiunt ſenſum tactus, pertinent ad tertiam ſpeciem, ſi quatenus calor eſt uis naturalis ignis ad comburendum, & frigiditas aquę ad frigefaciendum ad ſecundam ſpeciem referuntur. Immò, vt cap. de Qualitate in Categorijs Ariſtoteles innuit, etiam pertinent ad primam: ſi cõſiderentur vt eis adiuta natura, bene exercet ſuas actiones. Exempli gratia. Si brachia frigore rigeant, nõ poteſt vis naturalis bene exercere opera ſua: at ſi ad mediocritatem ſint calida, præclarè ſuo munere fungetur.

Quæſtiones.

PRima eſt. Num Habitus & Diſpoſitio ſint duæ ſpecies, an vna tantùm, habens diuerſos gradus; ſicut homo perfectus & puer ſunt eiuſdem ſpeciei; licet vnus alterum perfectione ſuperet. Si enim ſunt vna ſolùm ſpecies interiecta, profectò omnis ſpecies habitus erit etiam diſpoſitionis, rurſumq; omnis ſpecies diſpoſitionis ſub habitu continebitur. Si uerò ſunt duę ſpecies interiectę, alię erunt ſpecies habitus, & alię diſpoſitionis. Diuus Albert. Mag. & Seuer. Boëth. uiri ad uirtutem, dignitatem, & gloriam nati, arbitrantur, habitum & diſpoſitionem eſſe vnam ſpeciem. Eorum autem ſententia ſic ſtabiliri poſſe videtur. Primùm Ariſtoteles in hoc capite ait, Habitus eſſe Diſpoſitiones, ergo non differunt. Deinde 5. Metaph. tex. 25. ait, ſanitatem & ęgritudinem eſſe habitus, hìc verò docet eſſe diſpoſitiones, ergo pro eodem ſumuntur habitus & diſpoſitiones ab ipſo. Iam verò accidentariæ differentiæ non conſtituunt diſcrimen ſpecierum; at facilè & difficile mobile ſunt accidentariæ differentiæ: ergo non poſſunt habitum & diſpoſitionem diuerſas ſpecies conſtituere. Probatur aſſumptio. Quia moueri, aut non moueri non pertinet per ſe ad qualitatem. Accedit huc, Patibilem qualitatem & Perturbationem eſſe vnam & (An habitus & diſpoſitio ſpecie differant.)

eandem ſpeciem eſſentialiter; alioqui candor haberet duas ſpecies, vnam quæ eſſet Patibilis qualitas, aliam quæ foret Perturbatio: vnam permanentem, atque diuturnã; aliam ſubitam, & tanquam momentaneam: & tamen differunt penès facilè, & difficilè mobile: ergo eadem eſt ratio Habitus & Diſpoſitionis. Quare videtur, habitũ & diſpoſitionem eſſe vnam ſpeciem interiecta. Videtur dico? Immo eſt clara Ariſtotelis ſententia in hoc capite, nullis ambagibus, nullo verborum fuco; ſed apertiſſimè aſſerentis, habitum & diſpoſitionem eſſe vnicam ſpeciem.

Sententia diui Thomę. Contrariam autem ſententiam defendit Angelicus Doctor 1.2.quæſt.49.art.2. ad 3. Itaque licet, per habitum & diſpoſitionem circunloquatur Ariſtoteles vnam ſpeciem immediatè contentam ſub genere ſupremo qualitatis: tamen habitus & diſpoſitio ſecundùm eſſentiam differunt, ſicut etiam patet in ſecunda ſpecie, quæ eſt Naturalis vis & Imbecillitas: & certè naturalis uis & Imbecillitas ſecundùm eſſentiam diſtinguũtur. Qua autem ratione habitus & diſpoſitio eſſentia differant, ſic explicat diuus Thomas. Facilè & difficilè à ſubiecto ſeparari poſſe, bifariam accidit: primũ ex parte ſubiecti, uel ex alia cauſa externa, ut quum duæ tabulæ bitumine, aliave tenaciore materia coniunguntur: ſecundò ex propria natura, quia ſcilicet res illa ex ſua natura vendicat ſibi tales cauſas propter quas difficilè poſsit moueri. Mobile & immobile priore ratione non poſſunt diſtinguere duas ſpecies; poſteriore omninò poſſunt. Nam ſi duæ res ita ſe habeant, ut ex ſua natura poſtulent cauſas repugnantes, profectò illarum rerum eſſentias oportet eſſe diuerſas. Et ita eſt in propoſito. Nam habitus ex ſua natura vendicat ſibi cauſas difficilis auulſionis. Exemplis abũdare poſſemus, ſed hoc erimus contenti, vno. Scientia habitus eſt, & quia ex ſua natura generatur, media demonſtratione conuincente, penitùs intellectum, ideò difficilè ab eo poteſt ſeparari. At diſpoſitio è diuerſo ſe habet, ut conſtat in opinione. Etenim Opinio cùm ex probabilibus rationibus conficiatur, ex ſua natura eſt facilè mobilis ab intellectu. Sed interdum accidit ex praua ſubiecti diſpoſitione, vt id quod ex ſua natura eſt habitus, facilè poſsit dimoueri: contra autem id quod ex ſua eſſentia eſt tantùm diſpoſitio, hæreat pluſquam habitus; ut in hæreticorum pertinacia cernimus. Videor mihi iecisse fundamenta defenſionis diui Thomæ, nunc pergamus ad reliqua.

Sententia diui Thomæ ita probatur. Ariſtoteles in hoc capite ponens exempla habitus, nunquam profert niſi illa, quæ ex ſua natura tales cauſas exigũt, ut difficilè à ſubiecto dimoueri poſsint: proponens verò exempla diſpoſitionis, ea adducit, quæ ex ſua natura cauſas exigunt facilis ſeparationis. Præterea Ariſtoteles in hoc capite dicit, ſcientiam mediocriter acquiſitam habitum eſſe; quod intelligendum eſt ex ſua natura; nam ex parte ſubiecti tam hæbes, ac tardus poterit eſſe quiſpiam, ut ſcientia ab eo mediocriter acquiſita, facilè euaneſcat. Tertiò Ariſtoteles etiam dicit, eos qui non multum diſciplinas habent, non dici habere habitum; ſed diſpoſitionem. Haud dicit, eos non habere habitum, ſed ait, non dici, habere habitum. Et ratio eſt in promptu. Diſciplina mediocriter acquiſita eſſentiam quidem tenet habitus, ſed ex mala qualitate ſubiecti facilè ab eo dimoueri poteſt: ideoque non ſimpliciter appellari ſolet Habitus, ſicut poſtquam infirmitas altas radices miſsit in homine, tametſi eſſentialiter diſpoſitio ſit; quia tamen habet ſtatum, ac modum habitus, dicitur Habitus. Nolumus autem negare, dari aliquas peculiares ægritudines, q̃ ex ſua natura habitus ſint, cùm exigant cauſas difficilis mobilitatis. Sed hæc, quia Medicorum ſunt, Medici tractent. Nos neque id negare volumus, neque docere;

ſed

ſed tantùm dicimus, ſi vendicant ſibi ex ſua natura cauſas difficilis ſeparationis,habitus eſſe;ſin autem,non eſſe habitus. Hæ ferè pro diuo Thoma. Iam grauiſsimis illis auctoribus reſpondeamus.

Ad primum igitur, quod pro eis adductum eſt,argumentum dicimus, Diſpoſitionem interdum accipi,ut dicit qualitatem, quæ ex ſua natura exigit cauſas facilis mobilitatis; & diſponit ſubiectum ad bene, uel malè operandum in ordine ad ſuam naturam. Et ita habitus non eſt diſpoſitio. Interdum verò ſumitur diſpoſitio pro qualitate afficiente, aut diſponente ſubiectum ad bene, uel malè operandum in ordine ad ſuam naturam;ſiue illa qualitas facilè à ſubiecto dimoueri poſsit,ſiue difficilè. Qua ratione ſi accipiatur,comprehendit ſuo ambitu & habitum & diſpoſitionē priori modo dictam. Vide Ariſt. 5.Metaph.tex.25.cap.de Habitu. Habemus autem exemplum in animali, quod nōnunquam ſumitur pro ſolo bruto (præſertim in lingua Hiſpana) nōnunquam verò vt comprehendit hominem,atque brutum.Locus itaque in argumento citatus intelligitur de diſpoſitione ſecundo modo ſumpta;nos autem diſputamus de diſpoſitione primo modo accepta. Ad ſecundum reſpondetur, etiam nomen Habitus impropriè acceptum, comprehendere ſub ſe diſpoſitiones, ſicut nuper de nomine Diſpoſitionis dicebamus. Solent enim quidam auctores, omnes primæ ſpeciei qualitates,habitus dicere. Ad tertium iam explicatnm eſt, quomodo mobile & immobile poſsint conſtituere duas ſpecies. Ad quartum reſpondetur, Patibilem qualitatem & Perturbationem non differre ſpecie: quia non differunt niſi penes facile & difficile mobile ex parte ſubiecti;non ex natura rei. Nā ſi pallor ex ſubito caſu contrahatur, ſecundùm eſſentiam eſt Perturbatio. Quòd ſi idem numero color multo tempore perſeueret, erit iam Patibilis qualias; ſicut idem qui eſt puer,ſi in vita perſeueret, fiet iuuenis. In habitibus verò & diſpoſitionibus non ita ſe res habet; nam qualitas quæ ſecundùm eſſentiam eſt diſpoſitio,etiam ſi per totam vitam perſeueret, nunquam erit eſſentialiter habitus: quia ex ſua natura eſt facile mobilis. Rurſumq; illud accidens,quod ex ſua eſſentia habitus eſt,quantūuis tantùm inchoatum ſit,iam habitus eſt re uera. Ad extremum autem illud Ariſt. teſtimonium dicimus,habitum & diſpoſitionem eſſe vnam ſpeciem,per circunloquiū non ſecundùm eſſentiam. Sicut ſi careremus hoc nomine Animal, diceremus,corpus animatum habere duas ſpecies, quarum prima eſſet homo & brutum; ſecunda verò planta:& tamen homo & brutum eſſent duæ ſpecies ſecundùm eſſentiam. Ita fecit Ariſtoteles in prima ſpecie Qualitatis;immo etiam in ſecunda.

Ad argumēta partis aduersæ.

Alia ſe offert quæſtio circa ſecundam ſpeciem, quomodo ſcilicet à prima diſtinguatur. Etenim intellectus eſt naturalis potentia, & nihilominus ei competit definitio habitus. Quod ita probatur. Nam intellectus eſt qualitas difficilè mobilis, diſponens hominem ad bene operandum, & quidem in ordine ad ſuam naturam; nanq; intellectio bona operatio eſt; & nihil magis ſecundùm hominis naturam eſt, quam intelligere. Huic argumento quidam reſpondent,intellectum non eſſe difficilè mobilem, quia non eſt facilè,aut difficilè mobilis;ſaltem naturaliter. Sed profectò eadem ratione probaretur,ſynderesim non eſſe habitum, quia nulla ratione poteſt ab homine ſeparari, vt Theologi docent. Alij reſpondent,intellectum non eſſe habitum,quia non datur ad bonam operationem, ſumendo bonam operationem, vt accipit eam Moralis Philoſophus. Intelligere enim ex ſuo genere nec officium eſt, nec peccatum. Cæterùm eodem pacto eſſet dicendum,ſcientiam Phyſicam nō eſſe habitum,quia res Phyſicas intelligere,non eſt ſuaptè natura aut prauum,aut ſtudioſum,

De primæ ac ſecūdæ ſpeciei diſcrimine.

dioſum,ſed indifferens:vt ex Morali Philoſophia conſtat. Quæ cùm ita ſint,reſpondendum videtur, ſecundam ſpeciem diſtingui à prima; quia ſecunda ſpecies continet principia operationum,ſiue turpes illæ ſint,ſiue honeſtæ; perfectæ, aut imperfectæ,&c. at prima ſpecies cõtinet principia honeſtatis,aut turpitudinis; perfectionis, aut defectus actionum. Exempli gratia. Ad intelligendum datus eſt intellectus, at,ſcientia ad bene intelligendum;id eſt,ad perfectè promptè,faciliter, certè, & perſpicuè intelligendum. Inſuper ignorantia prauæ diſpoſitionis non eſt principium intellectionis,ſed erroris,prauitatiſq; intellectionem committentium. Similiter Voluntas datur ad amandum. Cæterùm ad bene, promptè, & faciliter amandum id qđ meritò à viris bonis amandum eſt,ponuntur virtutes in voluntatē;ſicut vitia ad malè amandum. Itaq; habitus eſt qualitas difficilè mobilis, diſponens nos ad bene, aut malè operandum in ordine ad aliquam operationem alicuius potentiæ. Quia igitur intellectus non datur ad bene exercendam operationem, quam etiam ſine ipſo exercere potuiſſemus;ſed datur omninò ad exercendam operationem,quam nullo modo ſine ipſo exercuiſſemus:ideò non pertinet ad primam ſpeciem, ſed ad ſecundam. De his lege,quæ à Theologis noſtris diſputantur. 1.2. in materia de Habitibus:& 3. parte q.63.art.2.atque à Dominico Soto 4.Sent.diſt.1.q.4.art.2.

Species intellectiles ad quã ptineãt ſpeciem.

Sed quum hæc ſcriberem,obtulit ſe mihi graue dubium, quod tamen paucis abſoluam. Si illud ſine quo nulla ratione poteſt à nobis aliqua actio bene,aut malè exerceri,in ſecunda qualitatis ſpecie,& non in prima ponitur: conſequens eſt,ut ſpecies intellectilis,ſine quibus nihil penitus intelligere poſſumus,non in prima ſpecie qualitatis,ſed in ſecunda collocentur. Falſum autem hoc poſtremum eſt falſum igitur, & prius illud ex quo ſequitur. Quid ita? Quo autore comprobabis falſum hoc vltimũ? Quia diuus Thomas ſpecies intellectiles nunquã Potentias, ſed Habitus vocat. Reſpondeo igitur,ſpecies intellectiles in nulla qualitatis ſpecie directè collocari; ſed reduci ad primam,non ad ſecundam. Et ratio quæ me in hanc ſententiam impulit, eſt facillima. Embryo quamuis animal ſit,non numeratur inter animalis ſpecies; ſed ad vnam reducitur non quidem ad brutum,quamuis ſolo ſenſu, non etiam intellectu,potiatur: quia Embryo via quædam eſt ad hominem. Tametſi ergo ſpecies intellectiles per ſe non ſint operationis prauæ,aut ſtudioſæ;perfectæ,aut imperfectæ principia;ſed ſimpliciter operationis;quia tamen uiæ quædam ſunt ad habitum ſcientiæ: ideò non ponuntur reductiuè in ſecunda ſpecie,ſed in prima. Quod alio manifeſtiori exemplo confirmari poteſt. Humanum corpus licet viuere tantùm,& ſentire poſſit,non equidem intelligere,non ad bruti, ſed ad hominis ſpeciem eſt referendum; ſic etiam, cùm ſpecies intellectiles (vt quidam viri excellentes loquuntur) ſint partes quaſi materiales habitus ſcientiæ,ad ſcientiarum numerum ſunt referendæ. Cui hęc non placuerit,aliam accipiat ſolutionem. Concedo libentiſsimè, ſpecies intellectiles ad ſecundam ſpeciem pertinere,quia ſunt inſtrumenta ipſius mentis non ſolùm ad bene,vel malè intelligendum,ſed omninò ad intelligendum. Itaq; non dico, pertinere ad ſecundam ſpeciem, quia ſunt inſtrumenta intellectus; quoniam eadem ratione diceret quiſpiam,ſcientias ad ſecundam ſpeciem pertinere; cùm ſint inſtrumenta, quibus intellectus vtitur ad intelligendum: ſed quia ſunt talia inſtrumenta, ſine quibus nullo modo poſſet intellectus quicquam percipere. Quòd ſi diuus Thomas alicubi ſpecies intellectiles vocat Habitus,id facit, quia habent modum quendã habitus;cùm ſint res permanentes,ac diuturnæ, ipſiq; potentiæ,& facultati intelligendi ſuperadditæ, quemadmodum & ſcientiæ ipſæ. Aut certè innuere uoluit,

quadam

quadam etiam ratione ad primam ſpeciem pertinere, quod ingenuè etiam nos fatemur. Longior fui, quàm inſtitueram, ſed prolixitas (ſi tamen quæ neceſſaria ſunt, prolixiora iudicari poſſunt) vtilitate penſabitur. Hinc enim habes lumen accenſum, quo multa diui Thomæ loca intueri, ac intelligere poſſis. Sæpe enim vocat Habitus, non quæ reuera habitus ſunt, ſed quæ habituum imaginem præ ſe ferunt. Cæterùm quæ in tota hac quæſtione à me dicta ſunt, de rebus tantùm naturalibus accipiantur; de alijs grauiores Theologi conſulantur. Non enim omnia, in omnibus ſunt dicenda.

Poſtrema quæſtio. Perturbatio, uel paſſio non denominat nos quales, vt ait Ariſtoteles hoc loco: ergo non eſt Qualitas. Reſpondetur, immò denominare nos quales. A perturbatione enim dicimur perturbati. Ariſtoteles autem, qui contra docet, tribus modis exponitur. Vnus eſt, à perturbatione in communi appellari nos quales, id eſt, perturbatos: veruntamē à perturbationibus ſingularibus, ac determinatis, vt à ſubito pallore non appellari quales. Tamen quia etiam perturbationis ſpecies qualitates ſunt, ac ſubinde denominant nos quales, reſpondendum eſt alio modo, ſcilicet Ariſtotelem loqui in Idiomate Græco, in quo non datur vox, quæ propriè ſignificet hominem rubore affectum ex perturbatione. Sed enim apud Latinos aliter ſe res habet. Nam apud ipſos, homo qui perpetuò ruborem habet, rubicundus appellatur; qui verò ex perturbatione ruborem contrahit, rubeus dicitur. Hæc ſolutio eſt Auctoris Opuſculi 48. quod nomine Diui Thomę circunfertur tract. de Qualitate, cap. 4. Reſpondetur tertiò, ideò Ariſtotelem dixiſſe à perturbationibus non appellari nos quales; quia ſi quis ad momentum ruborem contrahat, non ſolet à vulgo rubeus appellari. Ariſtoteles enim in hoc libro valde ſe ad popularem ſenſum accommodat. Num à perturbatione quales dicamur.

De proprietatibus Qualitatis. Cap. 16.

HAec autem eſt prima Qualitatis proprietas. Qualitas contrarium ſuſcipit. Circa hanc affectionem obſeruādum eſt, eam non competere omni qualitati. Licet enim calor, & frigus ſint contraria, tamen triangulus, & pentagonus non ſibi repugnant. Sed contrarietas triplex ab auctoribus aſsignatur. Vna eſt impropriè, aut communiter dicta, qualis reperitur inter quaſuis ſpecies cuiuſcunq; generis, ſiue proximi, ſiue remoti. Quo pacto docet Ariſtoteles, ſub quouis genere eſſe vnam contrarietatem. Alia eſt propria, vtpote duarum formarum, quę ab eodem ſubiecto mutuò ſe expellunt; repugnantia. Ad quod genus contrarietatis exigitur, illas formas ſub eodem genere contineri, aut proximo, vt candor, & ator; aut aliquantulùm remoto, ut iuſtitia, & iniuſtitia: quę ab Ariſtotele hoc loco contrarię formę dicuntur, quamuis ſub eodem genere proximo minimè contineantur; ſed illa ſub virtute, hęc autem ſub vitio. Tertium contrarietatis genus, quod maximè proprium, aut propriſsimum dicitur, eſt, quod inter eas ſpecies infimas cernitur, quę ſub eodem genere proximo maximè diſtant, & eidem ſubiecto viciſsim ineſſe poſſunt, à quo mutuò ſe expellunt, niſi altera earum inſit à natura. Ac quantum ego coniectura complecti poſſum in propoſita definitione, quatuor in maxima contrarietate neceſſaria indicantur. Principiò quidem, ut formę inter quas acerbiſsimum hoc contrarietatis genus datur, ſub eodem genere contineantur; & tali genere, quod in ſpecies infimas diuidatur. Nam ſi intelligēda eſſet definitio de genere eminentiori, remotioriq́; Quæ recipiant contrarietatē. Maxima contrarietas.

non ita facilè eſſet inuenire maximè contraria; ſicut nec maximam diſtantiam. Mox neceſſum eſt, vt ſub illo genere maximè diſtent, ſicuti albedo & nigredo ſub colore; & calor & frigus in genere qualitatum primarum agentium: & ſiccitas atq; humiditas in genere primarum qualitatum, quas Phyſici patientes vocant. Tertiò oportet, illas eidem ſubiecto viciſsim ineſſe poſſe, queadmodom calor & frigus corpori. Ad extremùm, vt ab eodem ſubiecto ſe expellant, quia videlicet agunt, & patiuntur inuicem. Quod in calore & frigore paſsim videmus. Cęterùm additur in definitione, Niſi altera earum inſit natura, quia ab igne non poteſt calor expelli, nec omninò extrudi ab aqua frigiditas.

Contrarietas ꝓpria non eſt in ſubſtãtijs, aut quãtitatibus.

Quæ ſi vera ſunt, ſequitur primùm, in ſubſtantijs non dari propriam contrarietatem, ac multò minùs ſummam illam, & acerbiorem, quippe cùm non ſint in ſubiecto, nec inuicem agant; niſi ratione qualitatum. Iam & illud conſequens eſt, inter quantitates nõ dari propriam, aut grauiorem contrarietatem: quia non datur maxima diſtantia ſub eodem genere. Licet enim linea, quam imaginantur Mathematici, duci à polo Arctico vſq; in Antarcticum per centrum terræ, ſit maxima linea, quæ naturaliter dari poteſt; tamen non datur minima linea: quia quacunque linea data, poteſt dari minor. Immò quòd ad naturam lineæ attinet, poteſt dari altera linea maior illa, quam maximam nominauimus. In numeris quoque datur minimus numerus, vt puta binarius; ſed nunquam reperies maximum. Ergo in quantitate non eſt illa, de qua agimus, contrarietas. Accedit hùc alterum caput, ratione cuius quantitas non eſt quantitati contraria; quia quantitas maior non expellit minorem. Quãquam enim ſint, qui aſſerant, in rarefactione, & condenſatione maiorem quãtitatem expellere minorem, & contra; tamen id (ſi verum eſt) non fit actione quantitatum in ſe inuicem, ſed qualitatum; quæ ſunt rarefactionis, & condenſationis cauſæ: vt ſupra diximus de ſubſtantijs. Præterea quoque inferre licet ex ſemel conſtituta definitione, non in omnibus qualitatis ſpeciebus dari propriam, aut maximam contrarietatem.

An in omnibus qualitatib. ſit ea, de qua agimus contrarietas.

Etenim in quarta ſpecie Figura non repugnat figuræ. Nec quicquam efficies, ſi ita argumenteris: Duæ figuræ non poſſunt eidem corpori conuenire, ergo inter ſe repugnant. Nam etiam duæ formæ ſubſtantiales non poſſunt eidem materiæ conuenire, nec cæcitas, & viſus eidem oculo, cùm alioquin hæc non ſint propriè, aut maximè contraria. Rurſum in ſecunda ſpecie qualitatis vix maximè propria contraria reperientur: ſiquidem intellectui, aut uoluntati, aut ſenſui nihil contrariũ eſt. Senſus quidem noſtri aliquibus accidentibus deſtruuntur, ſed illa accidentia non ſunt maximè contraria ſenſibus, cùm non ſint eiuſdem generis. Viſus enim eſt ſpecies ſenſus, & nimius calor deſtruens cryſtallinum humorem in oculo exiſtẽtem, eſt ſub genere primarum qualitatum. Reperitur tamen in hac ſpecie ſumma contrarietas aliquando, ut patet in calore, & frigore, quæ non ſolùm ad ſecundam, ſed etiam ad tertiam ſpeciem qualitatis pertinent. Præterea in prima ſpecie vix, aut ne vix quidem contrarietas reperitur propriſsima. Nam etſi iuſtitia & iniuſtitia ab eodem ſubiecto ſe expellant, tamen quia iuſtitia eſt in genere virtutis, & iniuſtitia in genere uitij, non ſunt maximè propriè contraria. Quòd ſi quis auaritiam, & prodigalitatem, tanquam duo monſtra, producat in medium, quæ maximè à ſe inuicem diſtant, & ſub eodem genere, id eſt vitio, continentur: reſpondebimus, non eſſe contraria; tum quia eidem ſubiecto ineſſe poſſunt, cùm multi ſint prodigi ad paraſitos, & auari ad pauperes: tum etiam quia prodigalitas eſt in genere vitij medium prætergredientis, auaritia autem in genere vitij medium minimè aſſequentis. Concedimus

tamen,

tamen, in in hac ſpecie ſæpè inueniri propriam contrarietatem, ut inter iuſtitiam & iniuſtitiam; ſcientiam & ignorantiam prauæ diſpoſitionis. Itaque prima affectio qualitatis eſt, poſſe ſuſcipere contraria ſecundo & tertio modo: licet id non omnib. qualitatibus conuenire poſsit. Nam primo modo recipere contraria, omnibus Categorijs eſt commune.

Secunda affectio. Qualitas recipit magis & minùs, vt vna res eſt magis alba, quàm altera. Sed hæc affectio non ſolùm qualitatibus eſt tribuenda, cùm etiam actioni, & paſsioni conueniat. Vna enim res magis calefit alia. Neq; verò omnibus qualitatibus conuenit. Intellectus ſiquidem non recipit magis, & minùs. Sed res ipſa nos admonet, ut explicemus, quid ſufficiat ut aliquod ſuperius poſsit dici ſuſcipere magis & minùs; ſæpe enim eam diſputationem in hunc locum reiecimus. Initio autem tanquam poſtulatum, ac celebris ſententia concedendum eſt, non ſufficere, ſi inferiorum vni perfectiùs quàm alteri tribuatur; quia omne genus hac ratione ſuſciperet magis & minus: cùm habeat ſpecies, ex quibus vna eſt perfectior reliqua. Deinde non ſufficit, ſi ex inferioribus vnum ſit maius, & alterum minus: nam albedo Gigantis eſt maior ea, quæ eſt in Pygmæo; at non proinde Gigas eſt Pygmæo candidior. Item nec ſatis illud eſt, ſi de ſuis illud eſt, ſi de ſuis inferioribus ordine prioris & poſterioris dicatur. Sanum enim priùs dicitur de animali, quàm de vrina; nec ſubinde oportet, animal dici magis ſanum, quàm vrinam: & priùs in orbe fuerunt homines albi, quàm Aethiopes; tamen non ſtatim homines albi ſunt magis colorati, quàm nigri. Quare (ut paucis finiam) ſi aliquid debet recipere magis ut minùs, oportet ipſum magis aut minùs inhærere ſubiecto: vt quia color poteſt homini magis & minùs inhærere, ideò homo poteſt magis & minus dici calidus. Quò fit, vt quamuis intellectus in vno homine poſsit perfectior eſſe, quàm in altero, non recipiat magis & minùs; quia non poteſt cuiquam magis inhærere, quàm antea inhærebat. Sequitur etiam hinc, in quarta ſpecie qualitatis non inueniri magis & minùs. Tandem colligendum eſt, quantitatem non ſuſcipere magis & minùs. Poteſt equidem vna quantitas eſſe maior altera, & vna res quanta maior altera; non tamen magis quanta: quia maiùs & minùs conſurgunt ex alicuius accidentis extenſione; magis autem & minùs ex maiori aut minori inhæſione. Sed vt extremũ aliquod habeat hæc diſputatio, obſeruanda ſunt duo. Primum eſt, qualitatem in abſtracto non recipere magis, & minùs, ut una albedo non eſt magis albedo, quàm altera; quamuis in concreto illa recipiat, ſiquidem vnus homo eſt magis albus alio. Huius diſcriminis hæc eſt cauſa. Accidentia in abſtracto ſignificet ſolam eſſentiam; eſſentia autem non recipit magis, aut minùs: at verò accidẽs in concreto ſignificat eſſentiam in ordine ad ſubiectum. Quò fit, ut ſi illud accidẽs magis & minùs poſsit inhęrere poſsit, quoq; in cõcreto magis & minùs dici. Placuit hac ratione vti, quia à Dialecticis facilè percipietur: nã quã Caietanus hoc loco affert, ut vera ſit, nõ eſt adeò perſpicua, & aperta. Secũdùm eſt has voces magis & minùs interdum æquipollere iſtis maiùs & minùs, quod oculatè conſiderandum eſt, ne decipiamur. Etenim quum dicimus magis aut minùs longum, non ſignificamus, longitudinem magis aut minùs rei inhærere, ſed eſſe maiorem, aut minorem.

Quid deſideretur, vt aliquid recipiet magis & minùs.

Tertia affectio qualitatis eſt, ut ſecundùm eam ſimiles dicamur, aut uerò diſsimiles, ut duo homines albi dicuntur ſimiles propter albedinem. Quamobrem Ariſt. 5. Metaph. cap. de Relatis, id eſt, tex. 20. dixit, ſimilitudinem eſſe rerum diuerſarum eandem qualitatem.

In ea quæ dicta ſunt obiectiones.

DIctum eſt in primæ affectionis explicatione, Quantitatem non recipere contrarium. Omnis motus eſt à contrario in contrarium, vt ait Ariſtoteles 5. Phyſic.cap.5.ſed à quantitate in quantitatem, eſt motus augmenti & decrementi; ergo quantitas habet contrarium. Reſpondetur, diſtinguendam eſſe propoſitionem: non enim omnis motus eſt à contrario in contrarium propriè, aut maximè propriè; ſed quidam motus ſunt à contrario in contrarium communiter dictum, quum ſcilicèt vnum ſe habet vt perfectum, alterum vt imperfectum. Quòd genus contrarietatis facilè in quantitate reperitur. Ideò autem hanc obiectionem in hunc locum diſtuli, quia cap. de Quantitate nundum hos repugnantiæ gradus explicaueram.

Quomodo ea, quę propriè contraria ſũt ab eodem ſubiecto ſe expellãt.

Secunda obiectio contra id quod dictũ eſt, albedinẽ & nigredinem maximè propriè repugnare. Vt aliqua ſint maximè contraria, debent ſe inuicem expellere; idq; ratione ſui; ſed albedo & nigredo non expellunt ſe inuicem ratione ſui: ergo nõ ſunt huius generis contraria. Oſtenditur propoſitio. Inter formas ſubſtantiales ea de cauſa negauimus perfectum oppoſitionis genus, quia nõ ſe expellunt ab eadem materia rationis ſui, ſed caloris & frigoris interuētu; qua etiam ratione vſi ſumus quum de quantitate diſputaremus. Ergo ea quæ maximè contraria ſunt ſe inuicem, & quidem ratione ſui expellere debẽt. Probatur aſſumptio. Nam candor expellitur per nimium calorem, & tunc atror ſuccedit. Reſpondetur, neganda eſſe aſſumptionem, & ad eius probationem dicendum eſt, non eſſe parem rationem. Cùm enim ſecundæ qualitates, vt albedo & nigredo, ex caloris & frigoris coaptatione cõſurgant, & componantur quod per calorem, ad expellandam albedinem, fit tribuitur ipſi nigredini, ac dicitur, ratione nigredinis fieri. Hæc autem minimè quadrant in ſubſtantiam, aut quantitatem, quæ non componuntur ex primis qualitatibus; ſed potiùs qualitates earum naturas conſequuntur.

An ſubſtãtia in communi magis, minuſve recipiat.

Poſtrema obiectio. Supra cap.12. dictũ eſt, ſubſtantiam alicui generi applicatam non recipere magis aut minùs; ſed ſumptam in communi: at ſubſtantia nec in communi, nec applicata ad certam ſpeciem magis aut minùs inhæret; cùm nulla ſubſtantia poſſit inhærere: ergo ut aliquid ſuſcipiat magis aut minùs, non oportet magis aut minùs inhærere illis, de quibus dicitur. Reſpondetur, magis & minùs Analogicæ ſumi cap. de Subſtantia, & hoc loco. Ibi enim magis & minùs ſumuntur, vt ſignificant mediatiùs aut immediatiùs conuenire; hic autẽ alio modo. Nam apud omnes conſtat, nec doctos homines ſolùm, ſed etiam indoctos, ſermones intelligendos eſſe iuxta materiam, quam tractamus, ac in qua verſamur. Cumque certum ſit, accidentia inhærere, ſubſtantiam minimè, conſequens eſt, vt illæ voces aliter; atque aliter in tanta rerum diuerſitate ſumantur. Quorſum hæc inquies? Perſpicua enim ſunt. Fateor, Sed in meã defenſionem vti potero celebri illa Magni Patris Auguſtini, alior ſum tamen prolata ſententia: Meliùs ſupererunt iſta eis, quibus nec obſunt, nec pro ſunt, quàm eis deerunt, quibus prodeſſe potuerunt.

De Relatis. Cap. 17.

DE Relatione agendũ eſt, poſtquam de tribus prædicamẽtis, quibus ipſa tanquam fundamentis innititur, & diſſeruimus. Meritò autẽ Relationis tractatus

ſex aliarum Categoriarum diſputationem antecedit, cùm illæ non poſsint abſq; Relatione intelligi. Cæterùm Relata duplicia ſunt; alia Propria, alia Impropria. Propria ſunt, quorũ totũ eſſe eſt, ad aliud ſe habere, vt totũ eſſe patris, quà pater eſt, eſt habere filium, itemque filijs, habere patrem. Relata Impropria ſunt, quæ ſecundariò tantùm dicunt relationẽ, cùm præcipuè aliud ſint. Vt ſcientia, quæ qualitas eſt animo inhærens, tametſi ſecundariò dicat relationem ad id, quod ſub ſcientiam cadit. Nos ſcibile dicimus. Relata Propria vocantur. Secundùm eſſe, Impropria Secundùm dici. Et quìdem uarius hic appellationis modus ſumptus eſt ex varia ratione definiendi. Nam Ariſtoteles definitionem propriè Relatorum aſsignans, ait, Relata eſſe, quæ id quod ſunt, aliorum ſunt. Definitionem autem Platonicam tradẽs, quæ Relatis etiam Improprijs conuenit: Relata, inquit ſunt, quæ id quod ſunt, aliorum eſſe dicuntur. Rurſum Relata Secundùm eſſe duplicia ſunt, alia rei, alia rationis. Rei, vt pater & filius; Rationis vt genus, ſpecies, ſubiectũ, attributum, maior & minor extremitas; quæ ideò rationis relata dicuntur, quia ex opera mentis conſurgunt. Ad hanc autem Categoriam pertinent ſola relata ſecundùm eſſe; nam ſi relata ſecundùm dici ad eam ſpectarent, omnes Categoriæ in hanc vnam confluerent. Neque porrò omnia relata ſecundùm eſſe in ipſa ponuntur, ſed illa quæ vocantur Realia. Docent enim omnes ferè Metaphyſici, in Categorijs non poni entia rationis. Nam quamuis notiones, generis & ſpeciei, neceſſariò requirantur, ut quædam entia rei in recta linea collocentur, tamen ipſæ notiones non ſunt res collocatæ in Categoria. Sicut applicatio ignis requiritur ad combuſtionem, applicatio tamen non cõburit, ſed ignis. Relege quæſtionem capitis 10. Igitur Relata huius Categoriæ ita ſunt definienda Entia rei, quorum totum eſſe eſt, ad aliud ſe habere.

Relatorũ prima diuiſio.

Secũda diuiſio.

Sed, vt quot ſint horum Relatorum genera intelligamus, obſeruandum eſt diligẽter, quæ ad relationem rei exigantur. Hæc autem ferè ſunt Subiectum, Fundamentum, & Correlatum. Verbi gratia. Ad relationem ſimilitudinis inter Petrum & Paulum, in primis deſideratur Petrus tanquam ſubiectum; deinde cãdor, vel alia qualitas, ratione cuius ſimilis eſſe queat Paulo: quæ proinde fundamentum ſimilitudinis dicitur. Denique Correlatum, quia ſi Petrus ſolus eſſet in mundo, quamuis eſſet albus, nemini tamen aſsimilaretur. Et hoc Correlatum dicitur terminus, aut extremum relationis. Poſitis his tribus, neceſſariò conſurgit quartum, nempè ordo, habitudo, & reſpectus ſimilitudinis Petri, & Pauli: in qua habitudine & reſpectu conſiſtit tota eſſentia relatorum. Quãquã enim eſſe relationis, quà accidens eſt, ſit habitudo ad ſubiectum cui inhæret; tamen eius eſſe, quatenus relatio eſt, eſt habitudo ad terminũ, vel correlatũ. Quòd alij dicere ſolent, relationem, quatenus accidens, ſolùm dicere In, id eſt, inhærentiã; quatenus verò eſt relatio, ſolùm dicere, Ad; id eſt habitudinem, vel reſpectum ad correlatum. Cùmque ad conſtituendam relationem, tria illa conuenire oporteat, ſequitur, relationẽ diuidi poſſe aut ex ſubiecto, aut ex fundamento, aut deniq; ex parte correlati. Ex ſubiecto facilis eſt diuiſio. Cùm enim ſubiectum relationis ſit ſubſtantia, eo modo quo diuiditur ſubſtãtia, pôt & relatio diuidi: ita vt dicamus, relationũ alias reperiri in ſubſtãtia corporea, alias incorporea. Accidit tamẽ, dari relationem abſq; ſubſtantia; vt relatio æqualitatis inter duas hoſtias cõſecratas, quæ nullam habent ſubſtantiam tanquam ſubiectum, ſed quantitas ipſa ſimul eſt fundamẽtũ æqualitatis; & retinet locum ſubiecti. Sed hæc cùm miraculo fiant, aliena ſunt à noſtra diſputatione. Ex parte autem fundamenti colligitur hæc diuiſio, quam tradit Ariſto. 5. Metaph. cap. de Ad aliquid. Omnes enim re-

Tria quæ ad relatione deſiderantur.

Tertia diuiſio Relatorum.

Quarta diuiſio.

latio innititur vni ex tribus fundamentis. Primum eſt, Vnum & multa, vt relatio æqualitatis fundatur in vna quantitate. Illi ſiquidem ſunt æquales, qui habēt vnam quantitatem; nō quidem numero; ſed vnam magnitudine & extenſione. Relatio verò inæqualitas, fundatur in multitudine quantitatum, vel diuerſitate. Secundùm eſt Actio & Paſsio. Vt relatio patris ad filium in generatione. Tertium eſt Menſura, & id quod menſuratur. Vt relatio quæ eſt inter ſcientiam & eius obiectum, quòd ſcibile appellatur; ſed meliùs dicitur ſcitum. Obiectum enim habet ſe vt menſura ſcientiæ, cùm veritas ſcientię ex veritate cuiuſque rei, quæ ſcitur, petenda ſit. Illud autē ſilentio prætereundum nō eſt, vix poſſe dari aliquam relationem, quæ habeat tertium fundamentum, & pertineat ad hāc Categoriam. Omnes ſiquidem iſtæ relationes ſunt relationes Secundùm dici. Hinc collige, nullam relationem rationis, quæ tertij ordinis dicitur, vt ſcibile, ſenſibile, &c. poni in hac Categoria etiam reductiuè; quemadmodum nec in ipſa ponūtur relationes rei, quarum iſtæ ſunt termini.

Quinta diuiſio. Ex parte denique termini ita poſſunt Relata diuidi. Alia ſunt eiuſdē rationis in vtroque termino, vt vicinus, amicus, conſanguineus, &c. alia diuerſæ rationis. Priora appellantur ab auctoribus Relata Aequiparantiæ; poſteriora Diſquiparantiæ. Rurſum diuerſæ rationis, alia ſuperiora ſunt, vt pater & magiſter; alia inferiora, vt filius, atque diſcipulus. Superiora dicuntur à nonnullis, Superpoſitionis inferiora Suppoſitionis.

Huius capitis difficultates.

Actio, & paſsio quo modo ſint relationum fundamenta.

PRima eſt circa ordinem tractationis. Priùs enim tractatum eſt de Subſtantia, Quantitate, & Qualitate, quoniam ſunt fundamenta Relationum; ſed Actio & Paſsio ſunt etiam fundamenta Relationum: ergo priùs agendum fuit de Actione & Paſsione. Reſpondetur, negari poſſe aſſumptionem. Licet enim Actio & Paſsio appellentur fundamenta: re vera tamen non ſunt niſi conditiones fundamentorum. Paternitas ſiquidem fundatur non in actu generandi, ſed in naturali potentia generandi, quam habet pater: hac tamen lege & cōditione, vt in actum generationis prodierit, & terminum habeat, ad quem referatur. Nec qui ita ſentiunt, ab Ariſt. doctrina, ſuperiùs adducta, recedunt. nam etiam relationem ſimilitudinis dicit fundari in vno, nō quaſi Vnum ſit fundamentum, ſed quia eſt conditio, atque lex fundamenti. Itaque quum ſupra diximus, tria præexigi ad relationem, non inficiabamur aliquid ampliùs interdum requiri, præter fundamentum, etiam in ſubiecto relationis; ſcilicet conditionem neceſſariò requiſitam. Reſpondetur ſecundò negando conſequentiam: non enim ſunt cætera paria. Nam actio & Paſsio intelligi nequeunt ignorata natura relationis; quod profectò nemo aſſerit de Subſtantia, Quantitate, & Qualitate. Sed nimiùm multa de re minimè dubia loquor. Quamuis enim non ita debeamus eſſe Amethodi, vt in rebus pertractādis, nullam adhibeamus diligentiam, nullū delectum, nullū ordinem, veluti ſi antiquum illud chaos reſtitueremus; tamen non adeò Methodicos nos eſſe decet, vt importuna moroſitate veteres impugnemus, quare hoc priùs, illud poſteriùs tractauerint; præſertim quum de minutiſsimis rebus agitur. Satis ergo ſit, bonam aliquam ordinis rationem tradidiſſe, quamuis non ita ſit accurata, vt nullo pacto impugnari queat.

Quomodo Quantitas pri- [illegible]

Alia difficultas. Similitudo eſt relatio, & non habet fundamentum, ergo non omnis relatio poſtulat fundamentum. Probatur aſſumptio. Quia ſi haberet fundamētum, eſſet qualitas, at qualitas non poteſt eſſe fundamentum, ſi vera ſunt, quæ ex Ariſtotele

ſtotele paulò ante diximus. Nam ipſa non eſt menſura, aut mēſurabile; non eſt actio, aut paſsio, non eſt vnum & multa, quia vnum & multa ad quantitatem pertinent. Reſpondetur, relationem ſimilitudinis fundari in vno, & relationem diſsimilitudinis fundari in multis. Similes enim dicuntur, qui habent vnam qualitatem ſecundū rationem, vt albedinem, aut atrorem: diſsimiles verò, qui habent multas ſecūdùm rationem & definitionem qualitates; nempè vnus albedinem, & alter nigredinem. Albedo enim etiam in duobus hominibus eſt vna, & ipſa & nigredo ſunt multa. Vnū inquam & multa, non vnitate quantitatis, ſed vnitate & multitudine definitionum eſſentialium, & quia ſemper vnum & multa videntur habere modum quantitatis, ideò relatio ſimilitudinis & diſsimilitudinis dicitur à quibuſdā auctoribus fundari in quātitate; non quidem ſecundùm rem: ſed quoad modum. Effigiem enim quantitatis habent, non omninò naturam. damentū dicatur.

Altera difficultas. Dictum eſt, omnem Relationem exigere correlatum, quod falſum videtur. Nam mihi competit relatio identitatis numerica: ſed relatio identitatis numericæ non eſt ad alium hominem, ſed ad meipſum: Ergo datur relatio, quæ non eſt ad aliud correlatum. Reſpondetur, Relationem hanc eſſe relationem rationis, non rei; ideoq́; inter eius extrema non eſſe diſtinctionem rei, ſed rationis. Correlatum ergo eſt aliud ſecundùm rationem, quia quum intellectus apprehendit me, vt mihi eundem, accipit me & vt ſubiectum, & ut correlatum. Lege diuum Thomam 1 parte quæſt. 13. ar. 7.

De affectionibus Relatorum. *Cap. 18.*

INter Relatorum affectiones hæc prima ponitur. Relatis aliquid eſt contrarium. Quæ nec ſolis relatis conuenit, ſed etiam qualitatibus: nec præterea relatis ſecundùm eſſe accommodatur, ſed relatis ſecundùm dici. Vt ſcientia repugnat ignorātiæ prauæ diſpoſitionis, non quidē vt correlato, ſed vt qualitati contrariæ. Secunda. Relata ſuſcipiunt magis, ac minùs. Similis eſt huius, & præcedentis affectionis ratio, quamuis nonnihil differant. Hæc quoque nec ſolis relatis conuenit, vt ex cap. 16. conſtat, nec omnibus. Aequalitas enim propriè dicta cùm conſiſtat in indiuiſibili, non ſuſcipit magis, aut minùs. Conuenit tamen multis relatis ſecundùm eſſe, nam inæqualitas ſuſcipit magis & minùs; & diſsimilitudo etiam. Cæterùm relatio quæ ſuſcipit magis & minùs, ratione fundamenti id habet. Tertia affectio. Relata dicuntur ad conuertentiam, vel reciprocantur, vt pater eſt filij pater, & filius eſt patris filius. Fingenda ſunt tamen aliquando vocabula, ſi volumus bene explanare reciprocationem relatorum. Non enim eſt dicendum, alia eſt auis ala, ſed ala eſt rei alatæ ala. Quarta affectio. Relata ſunt ſimul natura, Nam pater non eſt priùs pater, quàm filius ſit filius. Quare hæc affectio non eſt intelligenda de relatis quoad eorum ſubſtantiam & naturam, ſed quoad relationem & habitudinem. Fuit ſanè pater homo, antequam eſſent ei filij; ſed non fuit priùs pater, quàm filios haberet. Sicut apud diuum Thomam 1. parte quæſt. 13. ar. 7. Deus ab æterno eſt, ſed non eſt ab æterno creator; quia non erant ab æterno creaturæ productæ. Quinta. Relata ita ſe habent, vt qui vnum definitè cognoſcit, definitè cognoſcat & alterum. Vt qui cognoſcit te eſſe filium, cognoſcit te habere

pa-

patrem;& ſi cognoſcit cuius ſis filius, cognoſcet patrem tuum. Sed hæc affectio non videtur omninò conuenire relatis ſecundùm dici. Etenim ſi quis manum per feneſtram extrahat, cognoſcetur quidem illa manus, etiam vt ſingularis manus eſt, & nō certò cognoſcetur cuius ſit manus.

Dubia huius capitis.

Quomodo relatio ratione fundamēti magis, aut minus recipiat.

CONtra ea quæ dicta ſunt in ſecunda affectione eſt argumentum. Inæqualitas ſuſcipit magis & minùs, ſed non recipit ea ratione fundamenti, quia fundamētum inæqualitatis eſt quantitas, quæ non ſuſcipit magis, ac minùs: ergo Relatio ſuſcipit magis & minùs, nulla habita ratione fundamenti. Reſpondetur negando aſſumptionem. Et ad eius probationem dico, Relatione ſuſcipere magis ac minùs; ratione fundamenti recipientis magis, & minùs, vel certè maiùs, aut minùs. Quod mirum in modum quantitati conuenit. Itaque vt relatio dicatur, ſuſcipere magis & minùs, ſufficit; ſi fundamentum ſuſcipere poſſit maiùs aut minùs. Sed obijcies. Ego ſum inæqualis infanti, & ſi me in eadem quantitate permanente ille creſcat, fiet mihi minus, quàm antea erat, inæqualis. Tum igitur relatio inæqualitatis illius pueri ad me erit minor, ſed fundamentum illius, nempe quantitas, non factum erit minùs, vt fingimus: ergo relatio ſuſcipit minùs, & fundamentum non ſuſcipit minùs. Reſpondetur, nos haud quaquam dicere, quotieſcunque relatio ſuſcipit magis fundamentum eius, debere ſuſcipere magis, aut fieri maiùs; & quum relatio ſuſcipit minùs, fundamentum ſuſcipere minùs, aut fieri minùs; hæc enim falſa ſunt: ſed tantùm dicimus, quum relatio ſuſcipit magis, fundamentum ſuſcipere magis, aut minùs, vel fieri maius, aut minùs: & quotieſcunque relatio ſuſcipit minùs, fundamentum ſuſcipere magis, aut minùs; aut fieri maius aut minus. Hanc autem ſententiam ita expoſitam, non impugnat argumentum propoſitum, quippe cùm relatio inæqualitatis illius pueri ſuſcipiat minùs, quia fundamentum ſuſcipit maius. Nihilominus poteſt in hanc explicationem aliud adduci argumentum. Nam in Hypotheſi data in ſuperiori argumento, ego ſum minùs inæqualis, quàm antea eram reſpectu infantis; & planè mea quantitas nec eſt facta maior, nec minor: ergo relatio ſuſcipit magis aut minùs fundamento penitus immutato. Reſpondetur, hac vltima obiectione illud extorqueri, poſſe relationē ſuſcipere magis, aut minùs abſq; vlla mutatione ſui proprij fundamenti, non tamen abſque mutatione alicuius fundamenti, nempè fundamenti, quod eſt in ſuo correlato. Omnis ergo relatio, vt ſuſcipiat magis ac minùs, exigit, vt vel proprium fundamentum, vel ſaltem fundamentum ſui correlati ſuſcipiat magis aut minùs, aut fiat maius vel minus. Tantum de Relatis dictum ſit. Nam alias maiores difficultates, quæ hoc loco adduci poſſent, vt an omnis relatio, quà relatio eſt, ſit ens rationis, an omnes relationes ſint mutuæ, an extremum relationis poſſit eſſe non relatum, an relatio à fundamento diſtinguatur, an relationes primæ cauſæ ad ſuos effectus ſint reales, an entis rei ad ens rationis poſſit eſſe relatio Realis; conſultò prætereo, quia ſi hoc ſcribendi genus lectoribus placere videro, in Ariſtotelis Categorias multarū vigiliarum diſputationes propediem vulgare decreui.

Multæ quæſtiones prætermiſſæ.

De

De actione, & paſsione. *Cap. 19.*

ACtionum quædam immanentes ſunt, quædam porrò tranſeuntes. Immanentes ſunt, quæ in ipſo agente manent; vt intellectio in intelligente, amor in amãte, viſio denique in uidente: tranſeuntes autem dicuntur, quæ in aliam rem tranſeũt. Ex his itaque, iuxta communem auctorum opinionem, ſolæ tranſeuntes ad hanc pertinent Categoriam; ſiue poſt ſe relinquant opus, vt ædificatio, quæ finita, domus remanet: ſiue non relinquant, vt citharizatio. Actio igitur, quæ hanc conſtituit Categoriam, ſic definitur: Motio ſecundum quã in id, quod patitur, agere dicimur, vt per calefactionẽ ignis agit in aquã. Agere autẽ eſt, vim ſuã in id, quod eã recipere poteſt, inducere. Et quidẽ Actionis ſex ſunt præcipuæ ſpecies, Ortus, Interitus, Augmentũ, Decrementum, Loci mutatio, & Commutatio, quam Alternationem vocant. Actio immanens & tranſiens

Actionis autem hæ ſunt affectiones. Actio habet contrarium, vt calefactio frigefactioni eſt contraria. Item ſuſcipit magis & minùs. Magis enim vna res calet, quam altera. Non tamen omnis Actio ea ſuſcipit. Generatio nanque ſubſtantię, cùm vnico momento perficiatur, non ſuſcipit magis, aut minùs. Denique propriũ eſt Actionis, paſsionem inferre. Si quis enim flagellat, aliquis flagellatur.

PAſsio, quæ ſextam conſtituit Categoriam, eſt ſecundum quam id quod patitur, dicitur pati. Pati autẽ eſt, recipere aliquid ab agente, ut aqua dum calefit ab igne, aliquid ab eo recipit. Habet hæc Categoria eaſdem ſpecies & affectiones, quas & præcedens; ſed maximè proprium eſt Paſsioni, inferri ex actione.

Dubia circa ſuperiora.

PRimum eſt circa diuerſitatem harum Categoriarũ, quomodo ſcilicet diſtinguãtur. Rſpondetur, non diſtingui re, ſed definitione. Eadem enim calefactio, quæ ut procedit ab igne, vocatur Actio; vt recipitur in aqua, dicitur Paſsio; ſicut eadem eſt via à Thebis ad Athenas, quæ eſt ab Athenis ad Thebas. At quum Athenis ſumus, dicimus; hęc eſt via Thebarum; quum verò Thebis, hæc eſt via Athenarum.

Alterum circa definitionem Actionis. Ignis per calorem quem habet, dicitur agere in aquam; ſed ille calor non eſt actio, ut conſtat: ergo definitio tribuitur alijs quàm oportet. Reſpondetur, proinde additam fuiſſe in definitione hanc vocẽ Motio. Calor autem exiſtens in igne, non eſt motio. Reſpondetur ſecundò; etiam ſi non poneretur illa dictio Motio, definitionem non competere colori, qui eſt in igne. In definitione ſiquidem Actionis ſubintelligenda eſt illa particula Primò & Per ſe. Ignis autem non dicitur primò & per ſe agens, quia habet calorem; alioquin cùm ſemper habeat calorem, ſemper diceretur agẽs; ſed quum immittit calorem in lignũ, aut aquam; tum demum dicitur calefaciens.

De Quatuor vltimis Categorijs. *Cap. 20.*

QVatuor vltimæ Categorię ſunt Vbi, Quando, Situm eſſe, & Habere. Vbi eſt quod ex adiacentia loci in re locata. relinquitur; vt quia hic locus circundat me, dicor eſſe in hoc loco. Vbi contrarium habet: non quidem ſupremo Vbi.

con-

contrarietatis genere, ſed vulgari illo, atque improprio. Eſſe enim ſurſum & deorſum, quodammodo aduerſantur; alioquin ad hanc Categoriam non poſſet eſſe motus. Non tamen ſuſcipit magis & minùs, licet recipiat maiùs aut minùs. Nam vnus homo eſt in maiori loco, alius in minori: non tamen eſt magis loco.

Quando. QVando eſt quod ex adiacentia temporis in re temporali conſurgit. Vt quia mihi hodiernus dies coëxiſtit, dicor eſſe hodie. Quando nec contrarium habet, nec magis aut minùs, ſed bene maiùs & minùs. Vt Coruus maiori tempore viuit, quàm Turtur; non tamen eſt magis in tempore.

Situs. SItus eſt ordo partium in loco, vt ſedere, & ſtare. Alium quippè ordinem retinent partes corporis noſtri quum ſtamus, alium quum ſedemus. Non dixi Situm eſſe ordinem partium tantùm, ſed addidi in loco; quoniam duplex eſt ordo partium, alius in toto, ut ſcilicet caput hæreat collo, & pectori collum. Sed hic ſitus pertinet ad Categoriam Quantitatis, ut docet Ariſtoteles in eadem Categoria. Alius eſt ordo partium in loco. Nam etſi caput ſemper hæreat collo, & omnia alia membra inter ſe connectantur, alia tamen ratione affecta ſunt in ordine ad locum ſedentibus nobis, quàm ſtantibus. Et hic partium ordo ad hanc pertinet Categoriam. Diuiditur præterea huiuſmodi Situs in naturalem, qui nobis quum ſtamus conuenit; & accidentarium, quo afficimur quum iacemus, aut incuruamur. Huius Categoriæ hæ aſsignari ſolent affectione. Situs habet contrarium, & non recipit magis & minùs; ſicut de Categoria Vbi dictum eſt.

Habitus. HAbitus eſt, quod in ſubſtantia, ex his quæ attingũt, aut circundant corpus, relinquitur. Nã eò quod veſtis adiacet mihi, dicor veſtitus. Habitus nec contrarium habet, nec propriè magis & minùs ſuſcipit. Quamuis populari opinione illi magis veſtiti dicantur, qui aut pluribus, aut longioribus indumentis utuntur. Talari enim ueſte indutum, magis ueſtitum cenſent, quàm ſi ſolo thorace uteretur.

Obſeruatio.

Quæſtiones prætermiſſæ. DVbia in hoc capite minimè proponuntur, non quia nulla ſe offerant, ſed quia ita ſunt grauia, ut nullo modo ignaris Metaphyſicæ explicare poſsint. Vt quare Eſſe in loco aliam Categoriam conſtituat ab ea, in qua ponitur locus: & Eſſe in tempore, ab ipſo tempore; cùm longè ſecus in alijs accidentibus videamus. Non enim ad aliam Categoriam pertinẽt eſſe album, quàm ipſa albedo. Quale præterea accidens ſit, quod Categoriam Habitus efficit. Ac vtrum hę Categoriæ dicãt reſpectum, necne: Nam ſi relationem ſignificant, quare in Categoria Relationis minimè ponuntur? Si autem nullam rationem dicunt, quare communi omnium, & iam diu recepta opinione ſolæ quantitas & qualitas dicuntur abſoluta accidentia? Exiſtunt denique hoc loco plures aliæ & ſubdifficiles quidem omnium Metaphyſicorum iudicio quæſtiones, quæ ſi (vt oportet) tractandæ eſſent, tempus nos deficeret: ſi verò ſummatim & ob iter eas expedire conaremur, poſsit in nos illud iactari, Dum breuis eſſe laboro, obſcurus fio. Igitur ſi vita comes fuerit, adſitque gratia Chriſti domini, quum Ariſtotelis Categorias interpretabimur, quanta fieri poterit

per-

perſpicuitate ac breuitate omnia iſta ſcribemus. Nam in hoc & præcedenti capite multa contra quam ſentiamus, ſcripſimus, quia inſtitutionum anguſtia minimè patitur omnia, ut oportet limari.

TERTIA PARS LIBRI.

De Oppoſitis. *Cap.* 21.

ANtequam Ariſtoteles de Categorijs ageret, docuit nonnulla, ſine quibus non poterant Categoriæ in ordinem redigi, ac diſtingui. Ea uocata ſunt Antepręđicamenta. Nunc finitis Categorijs, explicat alia, quæ ad accuratiorē, cumulatioreḿ; ipſarum intelligentiam valde conducunt. Quamobrem Poſtprædicamenta dicuntur. Sunt autem quinque. Primum Oppoſitio, quia ſæpe facta eſt mentio contrariorum in Categorijs. Secundum Simul, qm̄ dictum eſt, relata eſſe ſimul natura. Tertiū eſt Priùs, & Poſteriùs, eò quod in Categoria Relationis diſputauit Ariſtoteles, quidnam Priùs eſſet, ſcientia, an quod ſciri poteſt. Quartum Motus, qui iuxta communem ſcholam ab actione & paſsione re vera non diſtinguitur, habetque, ut terminum, aut ſcopum, Subſtantiam, Quantitatem, Qualitatem; & Vbi. Quintum Habere, cuius ſignificationes ideo explicantur, ut ultima Categoria intelligatur. Poterat Ariſ. alia multa hoc loco docere, ut modos ſuſcipiendi magis & minùs, acceptionesque Paſsionis, ſicut tractas modos habendi. Sed ea dimiſit, aut quia eius tempore notiſsima erant; aut quia ad eandem formam poſſumus nos (ſi tamē vacat) de iſtis agere; ſicut ipſe de illis diſſeruit. Aliam tradit cauſam grauis auctor Caietanus, ob quam de his quinque agat Ariſtoteles. Ait enim, Poſtprædicamenta eſſe illa, quæ omnia, aut quædam prædicamenta conſequuntur. Oppoſitio, Simul, Priùs & Poſteriùs conſequuntur omnes Categorias: nam omnes opponuntur inter ſe, ſaltem vt perfectum & imperfectum: & omnes ſunt ſimul tempore (licet detur aliqua ſubſtātia ſingularis, quæ tēpore præit aliquod accidens particulare) & ſubſtantia eſt prior natura omnibus accidentibus. Item quodlibet genus ſupremum diuiditur in oppoſitas differentias. Dixit enim Ariſtoteles in quolibet genere dari vnam contrarietatem. Species verò generum quorūcunque ſunt ſimul diuiſione: & quodlibet genus eſt prius exiſtendi conſecutione ſuis formis diuiſim acceptis. Motus verò cōſequitur res quatuor Categoriarum. Denique Habere conſequitur ſubſtantiam reſpectu aliorum.

Oppoſitio eſt repugnantia duorum, quorum neutrum cum alio ſimili modo repugnat. Vt candor ita cum atrore pugnat, ut cum nullo alio ſimiliter pugnet. Sunt autem quatuor genera oppoſitorum, ſcilicet Relata, Contraria, quæ etiam dicuntur Aduerſa, Priuātia, & Cōtradicentia. Relata ſunt, quorum totum eſſe eſt, ad ſua oppoſita quodammodo ſe habere: id eſt, ut ſe mutuò inferant, & ſimul natura ſint. De quibus ſatis dictum eſt in Categoria Relatorum. — *Quid ſit Oppoſitio* — *Relata.*

Contraria ſunt, quę ſub eodem genere poſita, maximè diſtant, & ab eodem ſubiecto mutuò ſe expellunt; niſi alterum eorum inſit à natura. Quæ definitio explicata eſt ſupra in Categoria Qualitatis ca. 16. Sed Contraria aliâ mediata, alia immediata ſunt. Mediata dico, inter quę datur medium; vt inter album & nigrum datur viride. Immediata voco, inter quæ nullum eſt medium; ut ſanum & ægrum apud Ariſtotelem. — *Cōtraria, ſeu aduerſa.*

telem. Non autem mediocre eſt diſcrimen inter hęc genera contrariorum. Nam ex Mediatis non neceſſariò alterum ineſt ſubiecto; non enim neceſſariò pannus eſt albus,aut ater:at Immediatorum neceſſariò alterum ineſt ſubiecto, quod ea recipere poteſt. Animal neceſſariò ſanum eſt,aut ægrum; lapis verò nequaquam. Iam verò contraria mediata duplicia ſunt, alia quorum medio nomen impoſitum eſt;vt quòd inter album & nigrum interiectum eſt, viride, aut pallidum, &c. dicitur:alia quorum medium nomine caret, vt medium inter actionē prauam & ſtudioſam eſt Anonymum;id eſt, abſque medio peculiari. Quæ fuit cauſa, vt huiuſmodi medium,proprio nomine carens, à Grecis communi appellatione Adiaphoron diceretur,à Cicerone Indifferens. Diximus autem dari actionem,quæ nec praua eſt, nec ſtudioſa. Quod profectò verum eſt,ſi actio in vniuerſum & in communi, aut ex genere ſuo;non in particulari,& cum adiunctis circunſtantijs, accipiatur. Vt leuare feſtucam,aut pectere caput,ſi in communi ſumantur, nec peccata ſunt, nec officia: in particulari tamen nullā actionem poterit ſciens,ac prudens; id eſt,ex propoſito,& data opera quiſquam exercere,quæ non ſit aut praua,aut ſtudioſa. Quoties enim feſtucam quis eleuat, aut bono fine id agit, tumque eſt bona actio: dummodo vt par eſt aliæ temporis ac loci,ordinisque ac perſonæ,debitæ circunſtantiæ non deſiderentur:aut malo, quamobrem actio mala erit:aut deniq; nullo ſibi propoſito fine aut bono, aut malo. Quod profectò, ſi accidat, vitioſum opus erit, ut reliqua otioſa. Præclare igitur diuus Thomas negat, actionem aliquam humanam eſſe indifferentem.

Priuantia.

Priuantia ſunt oppoſita, quæ eidem ſubiecto viciſſim ineſſe poſſunt tempore à natura conſtituto, abſque regreſſu;vt cæcitas & viſus. Nā priuantia ita ſe habent,ut unum ſit forma quædam, aliud verò priuatio. Viſus eſt forma quædam pertinens ad ſecundam ſpeciem qualitatis:cæcitas uerò eſt illius formæ priuatio. Priuatio autem eſt carentia,uel defectus,&(ut ita dicam)penuria formæ in ſubiecto ad eam recipiendam idoneo. Quia enim homo aptus eſt ad uiſum recipiendum,ideò ſi eo careat, dicetur cæcus. Ac propterea dicitur in definitione, oppoſita priuantia eidem ſubiecto ineſſe poſſe. Additur Tēpore à natura conſtituto. quoniam etſi ante nonū diem catulus viſum non habeat,non dicitur cæcus;quia nondū poteſt habere uiſum. Denique additur, Abſq; regreſſu:quia à uiſu ad cęcitatem, à uita ad mortem,homo progredi poteſt;non regredi non abſque miraculo.

Contradicentia.

Contradicentia ſunt affirmatio & negatio oppoſitæ,ut homo,& non homo. Affirmationem uocamus hoc loco quoduis ſimplex uocabulum,quod Ariſtoteles 1. Perier.cap.1.nomen finitum appellat,ut homo & lapis,&c. Negationem uerò dicimus illud met,præpoſita negatione, quod Ariſtoteles eodem loco uocat nomen infinitum,ut non homo,non lapis,&c. Contradicentium id peculiare eſt,ut omni penitus medio careant; ita uidelicet, ut nulla omninò res dari queat, quæ non ſub contradicentium altero contineatur. Lapis nec uidens eſt, neque cæcus;nec ſanus,aut æger; nec pater,aut filius:eſt tamen homo,aut non homo. Rurſum chimæra nec creator nec creatura dicitur;nec ſubſtantia, aut accidens:eſt tamen creator,aut non creator; & eſt creatura,uel noncreatura;ſubſtantia, uel non ſubſtantia; accidens, aut non accidens.

Prima ratio inueſtigādi numerum, ordinēque oppoſitionum.

Nunc ordinem,numerumque harum Oppoſitionum uideamus. Numerus quidem duobus modis colligi poteſt. Oppoſita namque aut habent ſe ut ens & ens, aut tanquam ens & non ens. Si vt ens & ens, vel mutuò ſe expellunt ab

eodem

eodem ſubiecto, ſub eodemque genere continentur; & ſunt Contraria: vel non ſe expellunt neceſſariò ab eodem ſubiecto, ac ſe motuò inferũt; & ſunt Relata. Si autẽ inter ſe comparantur quaſi ens & non ens, alia partitione vtemur. Nam vel habent ſe vt ens & non ens ſimpliciter, ac ſubinde Contradicentia vocabuntur, vt lapis & nõ lapis. Dicitur autem non lapis, non ens ſimpliciter, quia id quod ſimpliciter eſt non ens, vt chimæra, poteſt appellari non lapis;. vel habent ſe vt ens & non ens, haud equidem ſimpliciter non ens, ſed non ens in tali ſubiecto, & tunc ſunt Priuantia; vt videns & cæcus. Cæcitas enim quamuts dicat non ens, id eſt, negationem viſus, poſtulat tamen certum ac determinatum ſubiectum. Sanè cæcitas non eſt in lapide, ſed in oculo. Hinc porrò colligitur ordo formarum oppoſitionis. Si enim repugnantiam & diuerſitatem conſideremus, ſupremum locum obtinent Contradicentia, quæ in nullo conueniunt: deinde ſequuntur Priuantia, quę ſaltem in ſubiecto conueniunt: ſecundùm hæc ponuntur Contraria, quæ non ſolum ad idem ſubiectum, ſed ad idem genus pertinent. Denique collocanda ſunt Relata, inter quæ tam minima eſt repugnantia, vt ſe inuicem neceſſariò complectantur; & ſi vnum ſit, alterum exiſtere debeat; ac vni ſubiecto, reſpectu diuerſorum, poſsint conuenire. Si autem eorum dignitatem quoad exiſtentiam expendamus, potior locus dandus eſt relatis, quæ neceſſariò ſimul exiſtere debent; ſecundus contrarijs, quæ ſimul exiſtere poſſunt in rerum natura: tertius priuantibus; quorum vnum dicit exiſtẽtiam, aliud verò quamuis non dicat exiſtentiam, requirit tamen ſubiectum exiſtens: vltimus contradicentibus, cùm vnum eorum ſignificet rem exiſtentem, alterum verò nullam penitus exiſtentiam aut dicat aut requirat. Quanquam enim homo in rerum natura exiſtens dici poſsit nõ lapis, tamen exiſtentia conuenit ei quà homo eſt; nõ quà eſt non lapis: nam chimæra eſt non lapis, & tamen nec actu, nec poteſtate exiſtit. Etenim ſumimus hic Chimæram non pro monte illo Lyciæ igniuomo, ſed pro quodam figmento Poëtarum ex pluribus, iiſque valde inter ſe diſsidentibus animalium naturis concreto: quod profectò nunquam eſſe poterit. Vna enim ſubſtantia vnam habet formam ſpeciei, qua poſita, quæ ei ſuperaddetur, accidens erit, non ſubſtantia.

Prior collocatio.

Poſterior collocatio

Secundus præterea modus explicandi harum oppoſitionum numerum, hic eſt. Oppoſita vel inter ſe referuntur, vel ſecus. Si referuntur, ſunt relata: ſin minùs, aut continentur ſub eodẽ genere, aut non continentur: ſi prius eis conueniat, ſunt contraria: ſi poſteriùs, vel omni tempore & loco, & circa omne ſubiectum diuidunt veritatem à mendacio, vel id minimè præſtant. Si primum, ſunt Contradicentia; ſi ſecũdum, Priuantia. De quauis enim re mundi, in quocunque loco ſit, & quocunq; exiſtat tempore, verè dici poteſt, illam eſſe hominem, aut nõ hominem; non tamen eſſe videntem, aut cæcam. Et ideo Priuantia non perpetuò diuidunt veritatem à mẽdacio; vt contradicentia. Sanè vtraque harum enuntiationum falſa eſt, lapis eſt cæcus, lapis eſt videns. At enuntiationibus, quæ attributis contradicentibus conſtat, vnam oportet veram eſſe, & alteram falſam: quia ſi non eſt lapis, eſt nõ lapis. Lege dubium ſecundum capit. 8. libr. 7. Atque hę quidem ſunt cauſæ grauiſsimæ: quibus effectum eſt, vt quatuor oppoſitorum genera ab auctoribus ſtatuerẽtur. Poſſunt enim præter eas nonnullæ eſſe leuiores, quas, ne ſim prolixior, prętermitto.

Secũda ratio numeri inueſtigandi.

Obiectiones.

PRima contra definitionem Oppoſitorum. Nam color viridis opponitur nigredini & candori, ergo quòd vni eſt oppoſitum, poteſt etiam cum alio ſimili modo pugnare. Idem argumentum fieri conſueuit de Liberalitate, quæ & Prodigalitati opponitur, & pariter Auaritiæ. Reſpondetur negando id, quod antecedit. Color enim viridis opponitur atro, quatenus habet rationem albi: albedini verò alia ratione repugnat, quatenus ſcilicet viride, reſpectu candidi, atrum iudicatur. Liberalitas quoq; auaritiæ tanquã deficienti opponitur, quia liberalis plus dat, quàm auarus: prodigalitati autem repugnat tanquam dandi, largien diq; limites excedẽti. Minus enim dat liberalis, quã prodigus; licet meliùs det.

Altera obiectio in illud quod diximus, relationes oppoſitas non poſſe vni & eidem, reſpectu eiuſdem, conuenire. Ego enim reſpectu eiuſdem hominis poſſum eſſe magiſter & diſcipulus: ſi doceam illum Geometriam, ille verò me Primam Philoſophiam. Reſpondetur, relationes oppoſitas non poſſe eidem conuenire reſpectu eiuſdem correlati, niſi intercedant alia, atq; alia fundamenta. Et quia in Hypotheſi obiectionis relatio magiſtri in me exiſtens naſcitur ex Geometria, relatio verò diſcipuli oritur in me ex Metaphyſica, rectè poſſunt relationes oppoſitæ mihi conuenire. Sicuti poſſunt duo homines eſſe ſimiles in colore, in moribusque diſsimiles.

Tertia obiectio in illud quod dictum eſt, Priuationem conuenire eidem abſq; regreſſu. Etenim aër ex tenebroſo fit quotidie lucidus; & plerunque homo per obliuionem ex ſcientia tranſit in ignorantiam: rurſumq; poſt ignorantiam iterum adipiſcitur ſcientiã, ſi rurſum earum demonſtrationum recordetur, quibus ſcientia comparatur. Reſpondetur, duplicem eſſe priuationem, aliam quæ tollit actum ſolũ, vt ſomnus, quo quum opprimimur, non exercemus actum videndi: aliam quæ tollit potentiam, vt cæcitas, quæ tollit facultatem videndi. A priuationibus ſecundi generis nõ datur regreſſus ad habitũ; & de his intelligenda eſt definitio. At verò à priuationibus primi generis, quales ſunt tenebræ & ignorantia, dari poteſt regreſſus. Reſpõdetur ſecundò, duplicem eſſe habitum, alius eſt naturalis, qui fluit à natura, vt intellectus, ſenſus, &c. quę vocantur nunc habitus, licet non omnia pertineant ad primam ſpeciem qualitatis: alius eſt aduętitius, vt ſcientia, lux in aëre, virtus moralis, &c. Igitur à Priuationibus quæ tollunt primum habitum, non datur regreſſus, viribus præſertim naturæ; à priuationibus verò quæ tollunt ſecundum habitum datur.

De priuationis, formęq; viſsitudine.

Quarta obiectio contra illud quod ſcripſimus; hoc eſſe proprium Contradicẽtiũ, vt omni medio careãt. Id enim falſum videtur, cùm certum ſit, dari contraria quædam immediata. Reſpondetur, duplex eſſe medium, aliud participans, aliud negans. Pleriſque dicunt, medium aliud eſſe participationis, aliud negationis. Medium participationis eſt, quod partim vnius extremi, partim alterius naturam recipit; vt tepidum partim eſt calidum, & partim frigidum. Medium negans eſt, quod ideo ſolum medium vocatur, quia nullum eſt extremorũ: quamuis nec eorum naturam participet. Exempli gratia; Lapis eſt medium negationis inter ſanum & ægrum. His poſitis, reſpondemus, propriùm eſſe Contradicentium, carere medio, tam participante: quam negante. Siue enim res exiſtat, ſiue non exiſtat, neceſſe eſt, alterum contradicentium de illa dici poſſe: at Contrariorum nonnulla ideo ſolùm immediata dicuntur, quia medio carent participante, non verò negante. Cœlum enim nec ſanum, nec ægrum eſt: & tamen ſani, ægrique naturam minimè participat.

An dẽtur contraria immediata.

Quinta

Quinta obiectio in id quod diximus, Contradicentia opponi; ſicut ens & non ens ſimpliciter. Album & non album ſunt contradicentia,& non opponuntur ſicut ens & nō ens ſimpliciter: ergo falſa eſt noſtra ſententia. Probatur aſſumptio. Non album non ſe habet vt non ens ſimpliciter,alioqui quando aliquid fieret ex non albo ad album,moueretur ex non ente ſimpliciter ad ens,ac ille motus eſſet generatio ſubſtantialis,contra omnem Philoſophiam. Reſpondetur diſtinguendo aſſumptionem. Nam apud Phyſicum, nō album minimè dicitur nō ens abſolutè,quoniam Phyſicus conſiderat naturas rerum. Cumq; res non deſignat eſſe ens ſimpliciter,quia redditur non alba; ideò non album nequaquam eſt non ens ſimpliciter apud Phyſicum. At apud Logicum non album dicitur non ens abſolutè, quia iſte ſolùm conſiderat modum prędicandi,ac nominandi;& cùm non album poſsit prædicari de non ente, id eſt,de Chimæra,ideò dicitur non ens ſimpliciter. Hinc perſpicuum fit, quid reſponderi oporteat ad argumentum, quod proponitur de his vocibus Cęcus & Non cęcus quarum neutra ſignificat non ens ſimpliciter;cùm alioquin ſint contradicentes. Etenim non cæcus,Logicè agendo,eſt non ens ſimpliciter,& eius comparatione cæcus eſt omninò ens.

Num contradicentia opponantur,ut ens & non ens ſimpliciter.

Sexta obiectio aduerſus id quod dictum eſt, Relata inferre ſe mutuò, Contraria non item Ariſtoteles 2. de Cælo cap. 3. ita argumentatur. Aqua eſt, ergo ignis eſt: quoniam, inquit, hæc inter ſe contrarietatem habent. Ergo ſi credimus Ariſtoteli, quamprimum vnum contrariorum ponitur in rerum natura, ponendum eſt etiam reliquum. Reſpondetur,Neceſſarium eſſe duplex,Phyſicum & Logicum. Neceſſarium Phyſicū eſt illud ꝙ ſuppoſito ordine Vniuerſi, id eſt,Mūdi,aliter eſſe nequit; vt neceſſarium eſt, aërem eſſe in Mundo: quia eo ſublato, ordo vniuerſi periret. Quamuis interdum illud etiam Phyſicus vocet Neceſſarium, quod ſaltem plerunq; ita fieri oportet,ut hyeme circa brumam pluere, & hominem viginti digitos à natiuitate habere,Phyſico iudice neceſſarium eſt: quia licet aliter euenire nonnunquam poſſit; id tamen rariſsimum eſt;ac proinde Monſtrum dicitur. Neceſſarium autem Logicum eſt,quod ſiue poſito,ſiue remoto vniuerſi ordine aliter eſſe non poteſt; vt neceſſarium eſt,hominem rationali animo præditum eſſe. Item apud Logicum neceſſarium eſt, Petrum eſſe Petrum. Eodem ſanè iure de Impoſsibili eſt dicendum. Aliud enim eſt Phyſicum,aliud Logicum. Impoſsibile Phyſicum eſt, quod conſtituto ſemel ordine vniuerſi,aut fieri nequit omninò, vt dari vacuum in natura; quia hoc dato,vniuerſi ordo deſtrueretur: aut vix fieri poteſt,ſicut hominem naſci præditum quatuor oculis,aut tribus pedibus. At noſter Logicus totus à Phyſico eſt diuerſus,illudq; modò impoſsibile dicit,quod nulla omninò ratione fieri poteſt; vt dari album ſine albedine, aut iuſtitiam eſſe iniuſtitiam. Eſt autem latum diſcrimen inter hæc neceſſaria & impoſsibilia. Nam neceſſarium Phyſicum poteſt virtute primæ cauſæ impediri: vi enim diuina poteſt vacuum & inane dari,& eiuſdem virtute Sol à curſu retardari. At Neceſſarium Logicum nequit impediri, quia ab eſſentia cuiuſque rei ſumitur. Et certè fieri non poteſt,ut homo non ſit rationalis. Atque ita Impoſsibile Logicum eſt illud,ex quo ſequuntur duæ contradicentes,aut,ſi mauis quòd implicat contradictionem. Dico igitur ad argumentū hoc, eſſe diſcrimē inter Relata & Contraria,quòd vnum relatum infert aliud neceſſariò neceſsitate Logica; vt ſi pater eſt,oportet omninò filium habeat: vnum verò contrariorum infert aliud neceſſariò neceſsitate Phyſica,quia ſuppoſito ordine vniuerſi, ſi aqua eſt, ignis eſſe debet. An autem id de omni Contrariorum genere dici poſsit,Phyſici iudicabunt.

An cōtraria mutuò ſe inferant.

Duplex neceſſarii, impoſsibiliſq; acceptio.

Sunt enim quædam, quæ parum conducunt perfectioni, ſaltem naturali ipſius Vniuerſi.

An cõtraria mutuò ſe inferãt. Septima obiectio. Quum ſecundum modum inueſtigandi numerum oppoſitorum expediremus, docuimus, Contraria non inferre ſe mutuò. Communis quidem, & præ vetuſtate recepta opinio. Sed experiamur an ſaltem ſpecie impugnari poſsit, Nam verè qui poterit? Sicut pater eſt filij pater, & filius eſt patris filius, ita Contrarium eſt contrarij contrarium. Cuius enim erit contrarium, ſi non ſui contrarij? Reſpõdetur, diſcrimen eſſe, quia Relata referũtur inter ſe, nõ tãtùm ſub rõne communi Relatorum, ſed ſub rõne ẽt particulari talium Relatorum. Nam ſicut verè dicimus, Relatum eſt relati relatum, ita pater eſt filij pater. At contraria referuntur ea quidem inter ſe ſub ratione communi contrariorum, non ſub ratione paticulari taliũ contrariorum. Licet enim iure optimo dici poſsit, Contrarium eſſe contrarij contrarium: ineptè profectò diceretur, calorem eſſe frigoris calorem, aut frigus eſſe caloris frigus.

De modis Prioris & Poſterioris. Cap. 22.

PRius dicitur aliquid quinq; modis. Primùm quidem Tempore, cuius generatio eſt prior; vt Petrus Apoſtolus diuo Hieronymo. Sed aliter ſumitur prius tempore, ſi loquamur de tempore præterito, quàm ſi de futuro. Nam inter præterita, ille priora dicimus, quæ à noſtro ſeculo ſunt remotiora; ut prior eſt beata Maria Magdalene diua Catherina Senenſi: illa enim Apoſtolorum Synchrona fuit, hæc verò duobus tantùm ſeculis; nec illis quidem exactis nos præceſsit. Sed ex futuris illa priora dicuntur, quæ noſtro tempori ſunt propinquiora, ut pater Antichriſti, prior dicitur Antichriſto. Secundò aliquid eſt prius natura, à quo ſcilicet non conuertitur exiſtendi conſequutio: ut ternarius eſt prior quinario, quia licet quinq; exiſtentibus, tria quoque exiſtant; non tamen viciſsim conſecutio recipietur. Tria exiſtunt, ergo & quinque. Tertiò aliquid eſt prius cognitione, vel ordine. Vt priùs cognoſcimus ſyllabas, quàm dictiones integras, & priùs literas, quàm ſyllabas. Quartò dignitate, vt prior eſt Rex Duce. Quintò prius aliquid dicitur, quia tametſi ab eo ad alterum exiſtendi conſequutio cõmeet, tamen eſt cauſa alterius, ut homo eſt prior riſibilitate, quia homo eſt cauſa riſibilitatis: cùm ab eius eſſentia, tanquam è fonte manet riſibilitas: tametſi ab homine ad riſibilitatem è diuerſo optimè argumentemur. Ex his facillimum eſt etiam modos Poſterioris colligere.

Dubia huius capitis.

An ens in communi ſit prius natura prima cauſa. COntra ſecundum modum Prioris eſt argumentum Metaphyſicum. Illud eſt prius natura, à quo non cõuertitur exiſtendi conſecutio? Ergo aliquid eſt prius natura prima cauſa, Nam licet bene colligatur, hoc eſt prima cauſa, ergo hoc eſt ens; non tamen ſequitur, hoc eſt ens, ergo hoc eſt prima cauſa; cùm lapis ſit ens, & non ſit prima cauſa. Huic dubitationi quid alij reſpondeant, ipſi viderint; nos breuiter eam expediemus. Illudq; in primis conſtitutum ſit: Ens quamuis in uniuerſum accipiatur, non eſſe prius natura prima cauſa. Sed præterea dicimus, conuerti exiſtendi conſequutionem inter ea: ſi tamen non ſumantur reſpectu alicuius particularis, & deter-

minati ſubiecti,ſed ſimpliciter. Experiar, & dicam id (ſi potero) planiùs. Licet ſuperior conſequutio nihil valeat,hæc tamen valet, prima cauſa exiſtit in rerum natura,ergo ens exiſtit:& contra,ens exiſtit in rerum natura, ergò prima cauſa exiſtit. Quid ita? Quia quoduis ens quod exiſtat,aut eſt prima cauſa,aut quandiu eſt à prima cauſa,exiſtentiam mutuatur, atque mendicat. Ergo ſi primæ cauſæ exiſtentia ſumatur ſimpliciter,& exiſtentia entis in communi,etiam ſimpliciter inter ea exiſtendi conſecutio conuertetur. At verò ſi ſumatur exiſtentia iſtorum reſpectu alicuius entis in particulari,non eſt neceſſe,vt ſi mihi conueniat exiſtentia entis,conueniat & mihi ipſa primæ cauſæ exiſtentia;ſed ſufficit meam exiſtentiam non poſſe nec ad momentum perſiſtere,niſi ab illius entis, quod dicitur prima cauſa,exiſtentia pendeat.

Alterum ſe offert dubium in eundem modum. Sequeretur enim malè, Ariſtotelem appellaſſe Indiuiduum primam ſubſtantiam,& Speciem ac Genus ſecundas,ſi illud eſt prius à quo non conuertitur exiſtendi conſecutio. Hoc tamen explicatum eſt capite de Subſtantia.

Tertium dubium. Prætèrire aliquid maximum eſt vitium in enumeratione, at ſupra quũ modos Prioris enumeraremus, multos prætermiſimus:ergo vitioſa fuit enumeratio. Probatur aſſumptio. Nam eſt alius modus,quo aliquid eſt prius altero ſecundùm locum,cuius meminit Ariſtoteles 1. Metaphyſicorum text. 16. Vbi meminit quoque alterius modi quo aliquid,ideo prius dicitur,quia eſt potentius: vt ignis cùm inter omnia elementa maiorem vim habeat, prior omnibus dici poteſt. Item Angelus eſt prior homine generatione,vel productione,non tempore;quia ipſe non menſuratur tempore, ſed æuo: ergo non probè ſunt modi Prioris expoſiti. Hæc, aliaq; eiuſdem generis argumenta placent quibuſdam,illud verò primùm omninò ab eis reprehenditur:nam cùm otioſè viuere cupiant, nihil difficile proponendum iudicant auditoribus,ſed ea tantùm quæ ipſi per ſe modica adhibita diligentia, intelligere potuiſſent. Quaſi verò Magiſtri officium ſit,actum agere,& non potiùs in difficillimis quæſtionibus explicandis, miſeros diſcipulos adiuuare. Sed ut ipſis etiam in hac re morem geramus, facillimo argumento breuiter reſpondemus, hos modos reduci ad ſuperiores. Nam prius ſecundùm locum refertur ad Prius tempore,quia tam locus,quàm tempus ſunt menſuræ externæ: prioritas quoque æui refertur ad eundem modum,quia æuum eſt quædam duratio, & tempus accipitur hic pro quauis duratione. Prius autem potentia refertur ad Prius dignitate. Quædam alia quæ ad hunc locum pertinent. vide cap. ſequent.

Modi Prioris ſuprà ribus addendi.

De modis Simul. Cap. 23.

TRes modos enumerat Ariſtot. quibus aliqua Simul eſſe dicũtur, cùm totidem recenſere potuiſſet, quot & Prioris. Primus eſt quo ea dicuntur eſſe ſimul Tempore, quorum ortus fuit ſimul, ut duo didymi,aut gemelli. Ad hunc modum Philoſophorum reducitur alius ex communi locutione (quàm Ariſt. 2. Topi. minimè contemnendam indicat) ſumptus,quum ſcilicet eos ſimul tempore dicimus qui tametſi non eodem tempore è carceribus emiſsi, ſimul ad calcem (vt aiunt) peruenerint,id eſt,nec eodem die orti,nec eodem mortui ſint;tamen bona temporis parte conuixerunt. Vt beatiſsimos Patriarchas Dominicum & Franciſcum ſimul tempore fuiſſe aſſerunt,quia fuerunt Synchroni. Non deerunt, qui optent exempla Gentilium hoc loco poſita fuiſſe,vt Philippum Macedonum Regem,ac Ariſt. contempo-

Vulgaris quidam modus Simul

rancos fuiſſe: Itemq; Scipionem Africanum, & C. Lælium. Sed eorum potius meminiſſe voluimus, quos magis diligimus, ac quos quum moriendum nobis erit, adiutores, aduocatosq; habere deſideramus. Sed neſcio, quo pacto ab Ariſ. explicatione ad illa duo ſanctiſsima lumina extulit ſe oratio. Quamobrem ad ſecundum modum veniamus. Secundus ergo modus eſt, quo ſimul natura illa vocantur, quæ ita ſe habent, vt inter ea conuertatur exiſtendi conſequutio, & vnum non eſt alterius cauſa. Verbi gratia, pater & filius, & quæuis relata ſunt ſimul natura. Nam ſi pater exiſtit, filius quoque exiſtit: & quanquam homo qui eſt pater, ſit cauſa hominis filij, tamen relatio patris non eſt cauſa relationis filij, nec contra. Tertius eſt, quo aliqua dicuntur eſſe ſimul diuiſione, vt homo & brutum ſimul diuidunt animal.

Dubia huius capitis.

Varij modi recẽſentur eorũ, quę ſimul natura dicuntur.

Ariſtoteles circa tertium modum dicit, ea quæ diuidunt idem genus, eſſe ſimul natura. Profectò ſi id verum eſt, ternarius & quinarius ſunt ſimul natura: quod minimè conſonat ijs, quæ cap. ſuperiori ex Ariſtotele diximus. A ternario enim ad quinarium non conuertitur exiſtendi conſequutio; & tamen ternarius, & quinarius ſpecies eiuſdem generis, id eſt numeri imparis. Reſpondetur, non dici vno modò aliquid prius natura, ſed tribus: ſcilicet exiſtendi conſequentia, & cauſa, vel productione, ac diuiſione. Quare tametſi quinarius & ternarius ſimul natura ſint quoad diuiſionem, ternarius tamen eſt prior natura quinario quoad exiſtẽtiam. Ex Ariſt. confirmo quod dixi. In his enim capitibus ea quæ ſunt ſimul diuiſione, & quæ ſunt ſimul ſecundùm cauſam, appellauit ſimul natura; ea verò quæ ſunt priora ſecundum exiſtendi conſeqientiam, omnes vocant priora natura. Quò fit, vt ſi accuratam horum diuiſionem tradere cupimus, dicendum ſit, Simul, Prius, & Poſterius duobus modis dici. Et ne eadem ſæpius repetamus, quod dicemus de Priori, idem de Simul & Poſteriori intelligatur. Quædam ſunt priora natura, quædam accidenre. Rurſum priora natura, aut conſequentia ſunt priora, ut ternarius quaternario: aut productione & efficientia, ut Sol radio ſuo: aut diuiſione, ut Angelus eſt prior Leone: quia ſi diuidas ſubſtantiam, paucioribus diuiſionibus peruenies ad Angelum, quàm ad Leonem. Sed his tribus modis quartus addi poſſe videtur, de quo mox agemus. Præterea prius Accidente aut eſt prius loco, vt cœlum ſphæra ignis; aut Tempore, ut diuus Paulus diuo Ambroſio; aut dignitate, vel potentia, ut Rex Duce; aut denique ordine cognitionis, vel tractationis, ut res creatæ iuxta ordinem cognitionis humanæ priores ſunt prima cauſa; cùm ad huius notitiam ex illarũ notione perueniamus.

De priori dignitate

Hìc tamen obſeruanda ſunt duo. Vnum eſt, Prius dignitate vocari ab Ariſtotele hoc loco Prius natura. Cæterùm dicit, hunc modum eſſe alieniſsimum. Non negat tamen etiam Phyſicos eo vti poſſe: præſertim cùm 7. Metaph. tex. 4. ipſe vtatur hoc modo, quum ait, cognitionem ſubſtantiæ, accidentis cognitione eſſe priorem; id eſt, perfectiorem. Sed parum per, obſecro, animum ab Ariſtotele auertamus, ac rem ipſam conſideremus. Equidem ſentio, prius dignitate poſſe dici nonnunquam prius natura. Duplicem enim dignitatem in rebus animaduerto, aliam quę ſumitur ab ipſarum natura ut equus nobilior eſt formica; aliam quæ ab accidente, vt doctus præſtat indocto. Ex quibus quidem generibus poſtremum pertinet ad prioritatem

accidentis,primum ad prioritatem naturæ. Efficitur itaque, prius natura quatuor modis dici,nempe conſecutione,cauſa vel effectione,diuiſione, ac naturæ dignitate. Præterea alterum obſeruatione dignum occurrit, hos ſcilicet modos interdum vni, & eidem rei conuenire. Vt cœlum eſt prius hoc flore, Exiſtendi conſecutione: inſuper Efficientia,mox diuiſione,quia ſi diuidimus ſubſtantiam corpoream in ſuas ſpecies, priùs perueniemus ad cœlum, quàm ad florem; qui ad herbam reducitur, ut pars ad totum. Præterea Loco, quia eſt ſuperius terra, in qua flores gignuntur: porrò Tempore,quia cœlum à mundi exordio eſt creatum, hic autem flos hodie ortus eſt: deinde Nobilitate,quia æternum præſtat rei perituræ: deniq; Ordine tractationis, quia in Phyſica prius de cœlo,quàm de corporibus mixtis diſputatur.Tamen omnes modi ratione & definitione diſtinguuntur. Oēs modi prioris vni rei. conueniūt aliquando.

De ſpeciebus Motus. Cap. 24.

QVare de ſpeciebus Motus hoc loco diſputetur, iam diximus. Eas igitur perſequamur.Et quidem ſex ſpecies recenſentur, Ortus, Interitus, Augmentum, Decrementum, Commutatio, & Loci mutatio. Quæ ab alijs ità nominantur, Generatio, Corruptio, Augmentatio, Diminutio, Alteratio,& Mutatio ſecundùm locum. Ortus eſt progreſſus à non eſſe ad eſſe. Interitus eſt progreſſus ab eſſe ad non eſſe. Augmentum eſt progreſſus à minori quantitate ad maiorem. Decrementum à maiori ad minorem. Commutatio eſt motus ad qualitatem. Loci verò mutatio eſt progreſſus ab vno loco in alium. Quorum accurata diſputatio ad Phyſicum pertinet.

Quæſtiuncula.

ARiſt.5.Phyſi.cap.1. & 2. Ortum & Interitum dicit non eſſe motus, non ergo erant hæ duæ ſpecies alijs annumerandæ. Reſpondetur,motum ſumi interdum vt comprehendit etiam illas mutationes,quę momento perficiuntur.Qua ſignificatione Ortus & Interitus ſunt motus,& ita nunc ſumimus motum:interdum pro illis tantùm motibus accipi, qui tempore abſoluuntur. Quo pacto loquitur Ariſtoteles 5. Phyſic. quum docet, quatuor eſſe tantùm ſpecies motus, Augmentum, Decrementum, Loci mutationem,& Commutationem. Alia ſolutio eſt,generationem bifariam accipi, aut pro ſola inſtantanea introductione formæ ſubſtantialis in materiam diſpoſitam,qua ratione non eſt motus propriè dictus:aut pro inſtantanea introductione formæ,diſpoſitionibùsq; formam ipſam præcedentibus, qua ſignificatione generatio eſt motus,etiam ſecundo modo. Generatio & Corruptio an ſint motus

De modis Habendi. Cap. 25.

OCTO ſunt modi,quibus aliquid habere dicimur. Nam primùm habemus qualitatem,vt ſcientiam;ſecundò quantitatem,ut quatuor cubitos longitudinis; tertiò circa totum, vt quum veſtimur podere, aut talari tunica; quartò circa partem,vt torquem ad collum,aut cidarim in capite;quintò partem, vt digitos; ſextò rem contentam,vt amphora vinum,& nos cibum in ſtomacho; ſeptimò poſſeſſione, vt agrum;vltimò vxorem.Ex quibus modis habendi tertius, & quartus pertinent ad Categoriam vltimam.

Quæſitum.

Philoſophorũ conſuetudo.

SVnt alij modi habendi, vt habere amicum, vel inimicum, quos tamen non recenſuit Ariſtoteles; ergo ineptam diuiſionem tradidit. Reſpondetur, proinde ipſum addidiſſe, omnes ferè modos habendi numeratos eſſe. Quod eſt diligenter annotandum, vt intelligamus antiquos Philoſophos non fuiſſe admodum ſcrupuloſos in tradendis diuiſionibus, ac diffinitionibus. Quod etiam annotauimus lib.1.cap.7.& in hoc lib.cap.4.& 22. Atque hæc quidem hactenus. Patefactus eſt enim locus ipſe, vt iam non ſit difficile ſimilibus argumentis reſpondere. Quid? quod etiam dici poteſt, hos modos ad octauum reduci, tanquam ei ſimillimos. Sicut enim vir vxorem habet, viciſsimq; vxor virum; ita amicus amicũ habet, & ab illo ſimiliter in amicorum numero habetur. In hoc autem volumine ſatis dictum ſit.

SI vera ſunt, quæ initio libri ſecundi c.2. ſcripſimus, optimo iure de Diffinitione nunc eſſet tractandum. Ita enim prima mentis operatio perfectè, cumulateq; inſtitueretur: ſed quia iam lib.1. de Definitione tractauimus, inde omnia deſumenda erunt. Et quidem vera eſſe illa, quæ loco citato diximus, Porphyrius abũdè teſtatur. Nam in Procemio ſui libelli docet quinque Vocum diſputationem ad Categoriarum, & definitionis notionem apprimè vtilem eſſe. Ergo Diffinitionis tractatio quinque Vocum & Categoriarum tractationem ſequi debet. Sentiat igitur quiſque vt voluerit, nobis ſanè ita videtur.

COM-

COMMENTARIORVM IN VNIVERSAM LOGICAM LIBER QVARTVS,

ENVNTIATIONIS CONTINENS Tractationem.

De Inſtituto, ac libri diuiſione. *Cap.* I.

AD ſecundam mentis noſtræ operationem dirigendam editus eſt liber iſte, qui de Enuntiatione tractat, id eſt, de Oratione, quæ verum, falſumve ſignificat. Quam etiam ob cauſam Perihermenias de Interpretatione inquã inſcribitur. Eſt enim Enuntiatio mentis noſtræ interpres. Circa titulum autem diſſenſio eſt inter Boethium & diuum Thomam. Boethius omnem ferè vocem ex hominum inſtituto ſignificantem, ſiue ſimplex ea ſit, ſiue compoſita, exiſtimat appellari Interpretationẽ: quod Ariſtotelis teſtimonio confirmari poſſe videtur. In hoc enim libro non de Enuntiatione ſolùm, ſed de Nomine & Verbo, quæ ſimplices voces ſunt, diſputat. Cæterùm diuus Thomas ſolam Enuntiationem vult hoc loco Interpretationis nomine deſignari: nã hic liber ad ſecundam mentis operationem (ad quam ſola Enuntiatio propriè pertinet) deſtinatur. Quòd ſi in ipſo de Nomine & Verbo nonnulla proponuntur, id fit, quia ad Enuntiationes conſtituendas ſunt neceſſaria. Poteſtque diui Thomæ ſententia alia ratione probari. Nam quum aliquis dicit, Deus, nondum eius mentem percipimus. Si autem dicat, Deus eſt ſapiens, aut Deus eſt iuſtus: iam quid de Deo ſentiat, intelligimus: quia illa enuntiatio eius mentem interpretata eſt. Ex his colligendum eſt, meritò hoc volumen inter librum Categoriarum, qui de ſimplicibus rebus & vocibus diſputat, & ante libros de Argumentatione, qui agunt de diſcurſu & progreſſu rationis, poni.

Iterpretationis vocabulum quid hoc loco ſignificet.

In tres autem partes tota hęc tractatio diuidetur; primùm enim de Nomine & Verbo, quæ partes ſunt Enuntiationis, agemus; tum de Enuntiatione, & eius formis: poſtremò autem cuilibet ſpeciei Enuntiationis eius affectiones accommodabimus; vt Oppoſitionem, Reciprocationem, & quam vocant Aequipollentiam.

Libri partitio.

De Nomine. *Cap.* 2.

NOmen eſt vox ex hominum inſtituto ſignificans, cuius nulla pars quidpiam ſeparatim ſignificat, finita, & recta. Et licet Vocis tractatio ad Phyſiologum ſpectet, ad quem etiam de auditu & ſono agere pertinet; nonnulla tamen de ea prælibanda ſunt, ut Nominis definitio intelligatur. Vox eſt ſonus ab ore animalis pro-

latus, quibuſdam inſtrumentis à natura datis, cum imaginatione, id eſt, cum conatu ac ſtudio quidpiam ſignificandi. Soni enim alij, vt tonitrua & tubarum clangor, voces non ſunt. Inſtrumenta verò animalibus data, & præſertim homini, ad voces proferendas, ſunt lingua, palatum, dentes, & alia huius generis. Dicitur autem cum imaginatione aliquid ſignificandi, ut excludatur tuſsis à ratione vocis; eam enim & Ariſtoteles, & diuus Thomas vocem eſſe negant. Sed Vocum quædam, nihil ſignificat, vt ſal, & blitiri, &c. quædam aliquid ſignificant, vt hęc vox homo. Dimiſsiſque non ſignificantibus, quoniam ad inſtitutum noſtrum minimè pertinet, agendum eſt de ſignificantibus: quarum aliæ ſignificant à natura, vt gemitus infirmorum & latratus Canum; aliæ ex hominum inſtituto, ut hæc vox lapis, quæ ideo ſignificat lapidem, quia Latini ita inſtituerunt. Differunt autem voces quæ à natura, & quæ ex hominum inſtituto ſignificant, quòd illæ in omnium ferè terreſtrium, volatiliumque animantium genere inueniantur. Vt in Lupis vlulatus, & Vulpibus gannitus; hæ verò ſolùm ad homines, & animantia quæ ab hominibus inſtrui poſſunt, qualia ſunt Pſittacus, & pica, pertinent. Præterea voces hominum quæ à natura ſignificant, ab omnibus intelliguntur; aliæ non item. Gemat Latinus in Græcia, omnes intelligent, illum in dolore eſſe: dicat autem Latinè, ſe dolere, nemo Græcorum id percipiet. Demum voces quæ à natura ſignificant, eandem retinent perpetuò ſignificationē; aliæ paſsim eam mutant. Etenim gemitus ſemper & erit, & fuit ſignum doloris: hæc autem vox Homo non ſemper hominem ſignificauit, ſed poſtquam cœpit lingua Latina. Iam verò duo ſunt uocum ſignificantium genera, vnum ſimplicium, alterum compoſitarum. Eas ſimplices dicimus, quarum partes, ut in ipſis ſunt, nullum peculiare ſignificatum retinent. Verbi gratia. Hæc uox Dominus tametſi conſtituatur ex do, & minus, tamen ſyllaba Do, ut eſt in nomine dominus, non ſignificat dare, nec dictio Minus, propriam retinet ſignificationem. Quanquam autem nomina quædam compoſita à Grammaticis appellentur, apud Dialecticos voces ſimplices ſunt; quia voces ex quibus componuntur, extra ipſa habent ſuas proprias & ſeparatas ſignificationes; at in ipſis non eas ſeruant. Id autem exemplo & ſigno probari poteſt. Hæ duæ voces Res, Publica, per ſe ſumptæ ſignificant rem quæ eſt publica, vt tamen conſtituunt hoc nomen Reſpublica, non ſignificant propriè rem quæ eſt publica; alioquin ſi populus communi pecunia emeret equum, ille diceretur res publica, cùm tamen non eſſet dicendus Reſpublica, ſed Reipublicæ equus. Quin potius hoc nomen Reſpublica hominum multitudinem quibuſdam legibus adunatam ſignificat. Manifeſtum præterea ſignum, quo hęc vera eſſe cognoſcuntur, inde ſumi poteſt, quòd licet dictiones, ex quibus componitur tale nomen, proprias ſignificationes amittant; non proinde nomen illud ſignificationem mutabit. Olim ſiquidem omnes domini vocabantur Patres, ut conſtat ex illis verbis ſeruorum Naaman 4. Regum cap. 5. ubi ita loquuntur ad dominum, Pater etſi rem grandem dixiſſet tibi Propheta, &c. Hinc igitur domini familiarum Patresfamilias vocari cœperūt. Nunc verò hoc nomen Pater iam non eſt in vſu ad ſignificandum dominum, & nihilominùs hoc nomen Paterfamilias adhuc retinet integram ſignificationem. Contra autē ſe habēt voces compoſitæ apud Dialecticos. Solæ enim orationes apud ipſos hoc loco appellātur cōpoſitæ quia cōſtat ex aliquibus partibus, quæ etiā vt ſunt in oratione, retinēt proprias ſignificationes. Imò neceſſe eſt, vt ſemper retineāt; alioquin tales voces deſinerēt eſſe orationes. Vt in hac oratione, Animal eſt ſubſtātia, libet vox germanā ſignificationem ſeruat. Reliqua ad vocis naturam pertinentia in locum alium refe-

Quid ſit vox, & quæ eius ſpecies.

Diſcrimina inter uoces naturales & artificioſas.

voces ſimplices & cōpoſitæ.

Partes nominis cōpoſiti nil in ipſo ſignificare.

referamus, ne in eo quod attinĕgdū̆ſuit, quàm in eo cuius cauſa id attigimus, longior ponatur diſputatio. Igitur ad Nominis definitionem redeamus. Dicitur autem in ea Nomen eſſe vocem, quia non eſt ſonus tantùm, ſed vox; & ſignificantem, ut ſeparetur à vocibus non ſignificantibus: additur, Ex hominum inſtituto, vt ab illis quæ à natura ſignificant, diſtinguatur. Subiungitur, cuius nulla pars ſignificat ſeparata, vt nomen ab oratione differat. Inſuper additur, Et ſignificat ſine tempore, quia hoc eſt diſcrimen inter Nomen & Verbum, vt dicemus capite ſequenti. Denique accedunt & illæ particulæ, Finita & Recta, quia nomina infinita, ut non homo, cùm incertam habeant ſignificationem, indigna ſunt, quæ nomina appellentur. Caſus verò nominum, ut Ciceronis, & Ciceroni, non equidem nomina, ſed caſus nominis ſunt dicendi; prælertim cùm nulla enunciatio poſsit confici ex caſu obliquo, & verbo Sū, es, fui, cuius eſt præcipuus vſus apud Dialecticos: quanquam poſsit ex ipſis & verbo Imperſonali fieri, vt tędet me.

Obſeruatio.

Dubia huius capitis in ſequenti commodiùs exponentur.

De Verbo. Cap. 3.

VErbum eſt vox ex hominum inſtituto cum tempore ſignificans, cuius nulla pars ſeparata quicquam ſignificat, finita, & recta, ac eorum quæ de altero dicuntur nota. Quæ definitio ex his quæ ſuperiori cap. diximus, tota perſpicua fieret, niſi tres illæ partes additæ fuiſſent, recta, cum tempore, & nota eorū quæ de altero dicuntur. Exponendæ igitur ſunt. Dicitur Recta, id eſt Indicantis modi, temporis pręſentis, quia uerba aliorum modorum non poſſunt conſtituere enunciationem, niſi fortè Hypotheticā, qualis, eſt hæc; Si lapis eſſet homo, lapis eſſet rationalis: ſed cùm Ariſtoteles (cuius hęc definitio eſt) potiſsimùm de Enunciationibus Categoricis diſputaret, ea tantùm expoſuit, quæ ad Categoricam Enunciationem ſunt neceſſaria. At uerba aliorum temporum Indicantis modi poſſunt quidem Categoricas enunciationes conficere; ſed quia veritas, aut falſitas illarū ſumēda eſt ex veritate, aut mēdacio enūciationum tēporis præſentis; ideò de uerbis aliorū tēporū non curauit Ariſtoteles. Sanè (ut quod diximus pateat) hęc enūciatio, Petrus ambulauit ideò vera eſt, quia aliquādo fuit hęc alia vera, Petrus ambulat. Dicitur præterea verbū ſignificare cū tēpore, id eſt, præter propriū ſignificatū aliquod certū tēpus adſignificare: ut verbū Curro præter propriū ſignificatū, id eſt curſum, adſignificat tēpus præſens. Nomē uero tēpus ſignificare poteſt, ut patet in his nominibus dies, mēſis, &c. non tamē poteſt præter propriū ſignificatū tēpus adſignificare. Quòd ſi obijcias, hæc nomina prādiū & cœna, præter propriū ſignificatū, nēpe comeſtionē, tēpus aliquod ſignificare, ſcilicet, prādiū diurnum, & cœnā nocturnū: Reſpondetur, nunc per tēpus intelligi aliquā differentiā tēporis præſentis, præteriti, & futuri; quod minimè cōuenit illis vocibus prādiū & cœna. Deniq; dicitur, & ſemper eſt eorū, quæ de altero dicūtur nota, quia verbū in enunciatione ſignificat, aliquod prædicatū alicui ſubiecto cōuenire; in quo à Participio diſtinguitur. Participiū enim, ut a nans; quamuis cum tēpore ſignificet, non eſt uerbum, quia non eſt nota, vel ſignum eorum, quæ de altero dicuntur; id eſt, coniunctionis prædicati cum ſubiecto.

Quomodo uerbū cū tēpore ſignificet.

In hoc & præcedens caput quæſtiones.

PRimò proponendæ ſunt communes capit.2.& 3.quæſtiones, poſtea verò cuiuſque peculiares. Quæritur ergo primò, Quomodo à nobis diuiſa ſit Vox in ſignificantem & non ſignificantem;ſi Ariſtoteles 2.de Animo cap.8.docet,vocem eſſe ſonum ab ore animalis prolatum,cum imaginatione quidpiam ſignificandi? Nã ſi id verum eſt,profectò nulla datur vox nõ ſignificans. Huic obiectioni poſt octauam reſpondebimus.

Secundò quæritur, Quorſum Ariſtoteles hoc loco de Vocibus ſimplicibus agat, poſtquam de ipſis in libris præcedentibus eſt diſputatum? Reſpondetur,voces ſimplices poſſe conſiderari,aut vt ſignificant res, quæ ſubſtant ſecundis notionibus generis,ſpeciei, &c.& ita ſpectant ad libros præcedentes:aut vt ingrediuntur enũtiationes,ſcilicet vt ſubiecta ſunt,vel prædicata,& vt ſignificant cum tempore, aut ſine tẽpore;qua ratione pertinent ad hunc librum:ac tandem vt ſunt maior, vel minor extremitas,aut certè mediũ alicuius ſyllogiſmi,quo titulo ad libros Priorũ referũtur.

De partibus Orationis. Tertiò quæritur, Quamobrem ſicut agitur de Nomine,non etiam de alijs partibus orationis agatur? Reſpondent quidam,quia apud Dialecticum nullus eſt aliarum partium vſus. Sed eorum ſententia facilè refelletur. Nam Dialecticus Pronomine in indiuiduo ex demonſtratione vtitur; Participium ſæpe aſſumit; Coniunctione in quauis argumentatione neceſſariò vtitur;denique Aduerbia & Propoſitiones nonnunquam enuntiationem variant: ſola Interiectione,qua Interiectio eſt, Dialecticus minimè indiget. Reſpondetur,igitur Pronomen & Participium apud Dialecticum ſub nomine comprehendi, vt patet in his enuntiationibus, hic eſt, & amans eſt:in quibus pronomen & participium locum nominis ſupplent. At reliquę Orationis partes prætereuntur,quia ſine ipſis enuntiatio cõſtare poteſt; ſine nomine autem(comprehẽdẽdo participium & pronomẽ ſub nomine) verbo nulla penitus enuntiatio coaleſcit. Ideo igitur Dialecticus ſolius nominis & verbi rationem habet.

An detur enũtiatio nullo nomine conſtans. Verùm hinc ſequeretur,inquies,de ſolo verbo tractandum fuiſſe, non etiam de nomine;nam poteſt dari enunciatio,quæ ſolùm conſtet verbis,vt hæc,currere eſt moueri;& præterea hæc alia, nonhomo eſt,non conſtat nomine;quia non homo(vt dictum eſt)non eſt nomen. Sed ad priorem enuntiationem reſpondeo,illa dua infinitiua eſſe nomina in illa enuntiatione. Inſtas ſignificant cum tempore,ergo nõ ſunt nomina. Dico,illa non ſignificare cum tempore,ſicut verba. Verbum enim apud Dialecticum debet ſignificare cum tempore,ita vt poſſit enuntiationem ſui tẽporis conſtituere. Verbi gratia.Quia hoc verbum Fuit,eſt temporis Præteriti,ideò hæc enuntiatio,currere fuit bonum, eſt temporis præteriti. Verbum autem Infinitiuum non ſignificat cum tempore eo modo,quia tametſi,currere,ſit temporis Pręſentis,illa enuntiatio,currere fuit bonum eſt, temporis Præteriti. Solùm ergo à nobis vi huius argumenti extorqueri poſſet, currere non eſſe propriè nomẽ,ſed reduci ad nomen. Id tamen non extorquetur,quia libentiſsimè dabimus. Ad poſteriorem reſpondemus,nomen infinitum quamuis propriè non ſit nomen,referri tamen ad nomẽ,eiuſq; locum ſupplere,vt docet Ariſto.2.Perih.cap.1.in Boethij trãlatione,& lib.1.cap.6.in Perionij diuiſione.

De Participio. Quartò cauſam quæret aliquis, ob quam apud Logicum referatur Participium ad Nomen,& non ad Verbum. Reſpondetur,quia poteſt eſſe ſubiectum & prædicatum

catum enuntiationis,& nunquam eſt nexus prædicati cum ſubiecto,id eſt,nunquam poteſt eſſe nota eorum, quæ de altero dicuntur. Inſuper quia licet ſignificet cum tempore,non tamen ita vt poſsit enuntiationem ſui temporis conſtituere. Sanè hæc enuntiatio, amans erat ſapiens, Præteriti temporis eſt,licet Participium amans ſit præſentis.

Quintò rogas, quomodo dictum ſit Nomen & Verbum eſſe voces,cùm dentur multa nomina atque verba, quæ non ſunt voces. Nam cùm enunciationes quæ mente retinentur, aut in libro ſcribuntur ſint enuntiationes, conſtant profectò nominibus & verbis; & non conſtant vocibus. Reſpondetur Ariſtotelem hoc loco ſolùm agere de Nomine & Verbo,vt pertinent ad Enunciationes,quæ ore proferũtur:quoniam ipſæ notiores ſunt,eisq; in diſputationibus frequentiſsimè vtimur. Quare nihil mirum eſt ſi definitiones propoſitæ accommodari nequeant Nominibus & Verbis in enunciatione mentis,& ſcripturæ poſitis. *Mentis enuntiatio an conſtet nomine, & verbo.*

Sextò quæritur, quare Nomen & Verbum per vocem tanquam per genus definiantur, cùm Nomen & Verbũ ſint res artificio confectæ,& vox res naturalis.Speciem autem ad idem genus referendam eſſe ad quod ſuum genus proximum pertinet,nemo eſt qui ambigat. Reſpondetur,Vocem non eſſe genus ad Nomẽ & Verbum,tamen poni loco generis:quia in definitione rerum artificio confectarum,ponitur res naturalis, ſicut in definitione accidentis ponitur ſubſtantia. Quódnam igitur erit,inquies, Nominis ac verbi genus,ſi vox non eſt genus? Accipe.Signum. Nam de eſſentia nominis ſiue in voce ſit, ſiue in ſcriptura, ſiue in mente,eſt eſſe ſignum,id eſt,ſignificare. *Nomẽ & verbũ an rectè p vocem finiãtur.* *Genus verbi ac nominis.*

Septimò quæritur, quomodo nomina & verba ex inſtituto ſignificent,& non naturaliter. Siquidem eſſentia cuiuſq; rei naturaliter ipſi conuenit,ſed de eſſentia nominis & verbi eſt ſignificare; ergo naturaliter eis conuenit.Propoſitio conſtat.Probatur,aſſumptio,de eſſentia nominis & verbi eſt ſignificare ad placitum,ſed manifeſtam inuoluit repugnantiam,vt ſignificent ad placitum, & non ſignificent:ergo de eſſentia nominis ac verbi eſt ſignificare. Reſpondetur,de eſſentia nominis eſſe, vt quatenus nomen eſt,ſignificet. Et ita naturale eſt nomini quatenus nomen,ut ſignificet;non tamen quatenus vox eſt,quia non poteſt dari nomen, quod non ſignificet:poteſt tamen dari vox,quæ haud quaquam ſignificet. Quocirca in definitione Nominis etiam vt pertinet ad orationem ore prolatam,non dicitur, illud eſſe nomen ex inſtituto ſignificans; ſed dicitur eſſe vocem,ex inſtituto ſignificantem. Reſpondetur ſecundò, quum dicitur, Nomen non ſignificare naturaliter, minimè id eſſe intelligendum ex parte naturæ nominis,ſed animalis;quia ſcilicet natura animalis non conſtituit nomen,ſed arbitrium humanum. At voces naturaliter ſignificantes,vt ſunt eiulatus,natura animalis conſtituit,non hominum voluntas,aut conſiliũ. Itaque non eſt naturale animali vti hac voce Lapis vt ſignificante,licet huic voci Lapis,quatenus nomen eſt,nihil ſit magis conſentaneum,& ſecundum naturam,quàm ſignificare. Quod verò de Nomine dictum eſt,de Verbis etiam intelligatur. *An nomina ex inſtituto ſignificent.*

Adhùc quæ Nomini cum Verbo communia erant,proſequuti ſumus, nunc accedamus ad propria. Sit itaque octaua quæſtio circa Nominis definitionem. Aliqua vox non ſignificans,nempe Blitiri eſt nomén,atqui ei non competit definitio nominis tradita, ergo ea eſt nulla. Probatur antecedens. Nam in hac enunciatione,Blitiri eſt vox,Blitiri eſt nomen,quia enunciatio componitur ex nomine & verbo. Vt celerimè hæc quæſtio elucidari poſsit,ſtatuendum eſt,quid Signum ſit, ac quot modis *De varia ratione ſignificandi nõ inutilis diſputatio*

Si-

Significatio accidat. Feliciſsimi patris noſtri Dominici pater, Aurelius Auguſtinus libro 2. de Doctrina Chriſtiana capite 1. Signum eſſe ait, quod præter ſpeciem quã ingerit ſenſibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire. Eadem penitus intelligẽtia, in libro quem de Principijs Dialecticæ ſcripſit capite 5. Signum eſſe docet, quod & ſeipſum ſenſui, & præter ſe aliquid animo oſtendit. Vt ſonitus campanæ admonet nos, inſtare iam lectionem. Quò fit, vt illud propriè ſignificet, quod præter ſe aliud repræſentat: illud verò impropriè, quod præter ſe nihil ſignificat. Exemplum. In hac enunciatione, Homo eſt animal, illa vox Homo propriè ſignificat, nam ſignificat rem quæ eſt homo. Verùm in hac alia, Homo eſt nomen, vox Homo ſignificat impropriè, quia non ſignificat rem, quæ eſt homo: nam res quæ eſt homo, non eſt nomen, cùm ſit ſubſtantia viuens; ſed ſignificat ſeipſam, & ſui ſimiles eſſe nomina. His poſitis, reſpondetur ad argumentum, illam vocẽ Blitiri eſſe nomen impropriè, ac ſignificare ſe impropriè, quia in illa enunciatione accipitur vt nomen ſuimet. Quum autem ſupra diximus, illam vocem nihil ſignificare, de propria ſignificatione loquebamur.

Duo modi ſignificãdi aliud aſſe.

Nihilominùs eſt argumentum ad probandum, Blitiri ſignificare propriè. Si quis in alio gymnaſio exiſtens, proferat altè Blitiri, illicò nos intelligimus, ibi eſſe aliquem, qui eam protulerit. Ergo illa vox ſignificat aliud à ſe; & ita ſignificat propriè. Reſpondetur, duobus modis poſſe aliquam vocem rem aliam ſignificare, primùm vt effectus cauſam: ſecundò vt vox impoſita à natura, vel ex hominum inſtituto, ad eam rem ſignificandam. Exemplis res fiet illuſtris. Si quis in desertó clamans, proferret hanc vocem Lapis, profectò ea vox præter ſeipſam, duo alia nobis iuxtà deſertum iter agentibus, ſignificaret. Principiò quidem ipſum prolatorem, quia audita voce, cognoſceremus eam ab aliquo fuiſſe prolatam; ſignificaret tamen illum vt cauſam ſuã, ſicut ſignificaſſet eum manuum plauſus: deinde verò lapidem ſignificaret non quidem vt cauſam efficientem, ſed vt rem, ad quam ſignificandam eſt impoſita. Aliud exemplum. Si quiſpiam proferat hanc vocem Homo, illa uox ſignificabit ipſum, & ut effectus cauſam, & ut uox illud, ad quod ſignificandum eſt impoſita. Liquet igitur ſignificationem propriam eſſe duplicem, aliam effectus, aliã uocis, quatenus uox, ut fumus ſignificat ignem, ut effectus cauſam ſuã; non ut uox. Nomẽ autem Ignis ſignificat ignẽ, ut uox; non ut effectus cauſam. Nihilominùs uni, eidemq́; uoci interdùm uterque modus ſignificandi etiam reſpectu eiuſdem rei conuenit, ut diximus dè hoc nomine Homo, quum ab aliquo homine pronuntiatur. Poſſem alia Significationis & Signi officia perſequi, ſed ipſa quæ ſcripſi, ſentio eſſe longiora. Ad argumentum igitur reſpondetur, vocem Blitiri, & alias quæ appellantur non ſignificantes, ſignificare propriè ut effectus cauſam; non autem propriè, ut uoces.

Reſpõſio ad primã quæſtionẽ

Hinc ſtudioſus quiſque facilè colliget, quid reſpondendam ſit ad primam huius capitis quæſtionem. Dicendum eſt enim, omnem uocem ſignificare aut propriè, aut impropriè, & omnem uocem proferri cum imaginatione aliquid ſignificandi aut propriè, aut impropriè. Quum igitur ab auctoribus in ſignificãtem & non ſignificantẽ Vox ipſa diuiditur, de propria ſignificatione loquuntur; quia. ſ. Vocũ quædã propriè ſignificant, ut hæc uox Animal, quædã propriè non ſignificant, ſaltẽ ſicut uoces, ut illæ de quibus in hac quæſtione egimus. Scripſit de his (more ſuo) perſpicuè celebris auctor Iauellus 2. lib de Animo q. 38. Hunc enim auctorem frequentiſsimè ſequimur, à quo perſpicuitatem, dicendiq́ue facilitatem (ſi quę in nobis fortè eſt) ſumpſimus. Neque enim ueremur eos, quorum laboribus utimur, honoris cauſa nominare.

Nona quæſtio circa cãdem definitionem. Per quam particulam excluduntur aduerbia, & alia huius generis à ratione nominis? Nam hęc vox Attentè, eſt vox ex inſtituto ſignificans, cuius nulla pars ſeparata quicquam ſignificat. Nec ſoluitur quæſtio, ſi dicatur, Attentè non eſſe nomen, quia non eſt caſus recti: primùm quia ſequeretur inde, illam vocem non magis differrè à nomine, quàm caſus nominis. Deinde ſequeretur, nomẽ eſſe, eo ſaltem modo, quo verba Infinitiua nomina interdum vocãtur. Igitur reſpondetur, aduerbia excludi per illam particulam Significans. Aduerbia ſiquidem non ſignificant, ſed cõſignificant. Quare Attentè nihil ſignificat, niſi addatur, attentè audire vel attentè loqui. Quamobrẽ vulgo dicitur, aduerbia non eſſe Categoremata, ſed Syncategoremata, id eſt non eſſe ſignificantia, ſed conſignificantia; vel non prædicari, ſed comprædicari, aut ſimul prædicari.

Quomodo nominis definitio alias orationis partes minimè comprehendat.

Hoc tamen loco intelligendum eſt, multa eſſe nomina, vel pronomina apud Grammaticum, quæ Logicus non concedit eſſe nomina, quia non ſignificant, ſed conſignificant; ut omnis, aliquis, quidam, nonnullus, &c. Quinetiam apud Theologum prima parte quæſtio. 31. ar. 3. & 4. hæc vox Solus interdum eſt Syncategorema; ac proinde non eſt nomen. Contra autem aliæ quædam voces apud Grammaticum nõ ſunt nomina, quæ à Logico nomina cenſebuntur; vt Hodie, id eſt, hoc die; & Cras, id eſt, die ſequenti: conuenit enim eis tota ferè Nominis definitio.

Tandem circa definitionem Verbi eſt dubitatio, quamobrem addatur illa particula: ſcilicet, temporis præſentis. Nec ratio à nobis tradita vera apparet; nam aliqua enuntiatio temporis Præteriti eſt vera, quę nunquam fuit vera vllo tempore pręſenti. Nunc enim vera eſt hęc enunciatio, Viginti, aut quinquaginta Phęnices fuerunt; & nunquã verè dici potuit, Nunc ſunt viginti Phœnices, ſi uera eſt quæ vulgò fertur hiſtoria, tantũ eſſe unũ animal illius ſpeciei: eoq; mortuo, aliud pro eo ſurgere. Falſa eſt inquies hiſtoria, vt viri quidã grauiſsimi annotarũt. quaſi verò ipſe dicam eſſe veram. Sed ne in eodem perſtes, verũ exemplum adducam. Hoc anno ab ortu Domini centeſimo ſeptuageſimo ſecundo ſupra milleſimum diui Petri nauiculam gubernante ſanctiſsimo patre Pio Papa quinto, ex ſacro Prędicatorum ordine aſſumpto, verè dicimus, 234. Põtifices Romanos fuiſſe: & nunquam uerè dictum eſt, Nũc ſunt 234. Pontifices. Reſpondetur. Licet hęc propoſitio, centum Phœnices, aut tot Pontifices fuerunt, nunquam habuerit aliquam enunciationem temporis præſentis ueram ſecundùm ſe totam; tamẽ fuiſſe ueram ſecundum omnes ſuas partes: quia ſcilicet aliquando fuit uerum nunc eſt primus Pontifex; Max. & aliquando, nũc eſt ſecundus, & ita iam modò (ſequendo ueriſimiliorem computationem) uerũ eſt. 234. Pontifices Romanos fuiſſe. Sed eſt aliud argumentum. Hæc enũciatio; Iuſtus fuit nequam, eſt uera; ſed nunquã fuit uerũ, iuſtum eſſe nequã: ergo veritas enuntiationũ Præteriti tẽporis non pendet à ueritate Pręſentis, Reſpondetur, negandã eſſe conſequentiam. Licet enim non pendeat ab illa enunciatione, Iuſtus eſt nequam; pendet tñ ab alia præſentis temporis. Nam quia de illo homine qui nunc eſt iuſtus, uerè olim dici potuit, Hic homo eſt nequam; ideò nunc hæc eſt uera, Iuſtus fuit nequam. Aliud argumentum. Hæc eſt uera, Tempus fuit, & tamen nunquam uerè dictum eſt, Tempus eſt: ergo ueritas præteriti haud nititur ueritate præſentis. Probatur aſſumptio. Nam præteritum iam non eſt, futurum nondum eſt: Pręſens uerò (ſecundum Philoſophiam) non eſt tempus, ſed nexus temporis, ergo nunquàm fuit uerum, tempus eſſe. Reſpondetur, immò fuiſſe uerum, & modò etiam uerè affirmari, nunc eſ-

An enunciationes temporis pręteriti & futuris per ſe veræ ſint.

ſe tempus. Licet enim Temporis nihil pręter Inſtans exiſtat, tamen quia hoc inſtans eſt terminus communis connectens Præteritum cum Futuro, ſufficit hoc inſtans eſſe, ut tempus ſit: hic enim modus exiſtendi rebus in ſucceſsione poſitis, quarum vna eſt Tempus, conuenit.

De Oratione. Cap. 4.

Definitio ac diuiſio orationis.

SEquitur vt de Enuntiatione, eiusque formis diſputemus. Sed priùs de Oratione, quæ enunciationis eſt genus, diſſerendum videtur. Oratio eſt vox ex hominum inſtituto ſignificans, eius partes ſeparatæ ſignificant vt dictiones; non vt affirmationes, aut negationes. Vt hoc compoſitum, Homo eſt albus, eſt oratio. Duplex autem orationis genus traditur, aliud perfectum, aliud imperfectum. Perfecta quidem oratio eſt, quæ (quod in ea eſt) perfectam intelligentiam imprimit in animo audientium; ut hæc, Homo eſt animal. Dixi, quod in ea eſt, quia ſi ex tarditate audientis perfectum ſenſum non generet, nihilominus ipſa erit perfecta oratio. Imperfecta eſt, quæ huiuſmodi intelligentiam minimè imprimit, ut hęc oratio, Si ego currerem. Perfectæ orationes ſunt indicantis & imperantis modi (ad quas reducitur deprecatio, & aliæ ſimiles) & optantis. Imperfectæ autem ſunt orationes ſubiungentis modi & infinitiui: inſuper & illæ quæ uerbo carent. Quanquam ex duabus orationibus ſubiungentis modis poſsit fieri una perfecta oratio: ut ſi homo curreret, homo moueretur. Perfectarum verò orationum aliæ ſignificant verum aut falſum, ut Homo eſt animal; & hæ appellantur enuntiationes: aliæ nec verum, nec falſum ſignificant, ut orationes optantis & imperantis modi, quas Oratoribus, Grammaticisque relinquamus, & de enuntiatione tractemus.

Argumenta in ſuperiora.

An orationis partes aliquando ſignificent ut orationes.

DIctum eſt, orationis partes ſignificare ut dictiones, non ut affirmationes: quod ita impugnari poteſt. Nam hæc oratio, Et Sol lucet, & Dies eſt, continet partes quæ ſignificant vt affirmationes: ſiquidem Sol licet, affirmatio eſt; dies eſt, affirmatio quoque eſt. Reſpondebis, forſan orationis definitionem ex Ariſtotele traditam, non omni orationi conuenire, ſed duntaxat ſimplici orationi, quales ſunt & illa quæ verbo caret, ut Homo doctus; & enuntiatio Categorica, ut homo eſt animal. Sanè toto erras cœlo. Nam etiam hæc oratio, Homo eſt animal, continet intra ſe hanc aliam Homo eſt, quæ reuera eſt affirmatio. Melius ergo reſponderi poteſt cũ diuo Thoma 1. Periherm. lect. 6. illam definitionem Orationi conuenire, etiam ſi lõgiſsima fuerit: ſed interpretãdam eſſe hoc pacto: Oratio eſt vox, cuius partes neceſſariò ſaltem ſignificant vt dictiones, non autem neceſſariò ut affirmationes. Quare ſi aliquando ſignificant vt affirmationes, non tollitur definitio Orationis.

De Enuntiatione, & eius diuiſionibus. Cap. 5.

EST autem Enuntiatio oratio uerum aut falſum ſignificans, ut iſtæ orationes, Omnis homo eſt animal, Nullus homo eſt lapis. Sed quemadmodum animal diuidi poteſt aut ratione partium integrantium, ex quibus componitur, vt animalium

alia ſpinis conſtat,alia oſsibus,alia cartilagine,&c. aut ratione quantitatis,ut Animalium quædam proceræ ſtaturæ ſunt,quædam breuioris magnitudinis:aut ratione relationum,ut Animalia quædam ſunt homini ſimilia, ut Simia, & piſcis Epiſcopi habitu;alia verò penitus diſsimilia,vt vermes:aut ratione qualitatum,ut Animaliũ quædam alba, quædam atra;& nõnulla medio colore ſunt affecta: ita Enuntiatio multis modis diuidi poteſt.Nam & ratione partium integrantium, & ex relationibus,inſuperque ex qualitate,& tandem ex quantitate diuidi poteſt. Ratione partium diuiditur in Categoriam & Hypotheticam. Categoria quæ prædicationis enuntiatio dici poteſt,ea eſt,quæ aliquid de aliquo enuntiat, ut Homo eſt animal:aut aliquid de aliquo negat,ut Homo non eſt lapis. Hypothetica verò quæ componitur ex pluribus Categoricis,vel ſaltem ex pluribus orationibus,quæ locum plurium Categoricarum ſubeunt:vt Vel homo eſt animal, vel homo non eſt animal:item,Si homo curreret, homo moueretur. Prætrrea enuntiatio Categorica,.alia eſt ſimplex, alia modificata: ſimplex,quæ ſolùm ſignificat aliquid alicui conuenire, vt Homo eſt animal, aut non conuenire,ut Homo non eſt albus: modificata, quæ præterea modum explicat, quo aliquid alicui conuenit,aut non conuenit,ut Homo neceſſariò eſt animal. Iam verò ſimplex enuntiatio duplex eſt:nam quædam uerbo adiectiuo conſtat, ut homo ambulat,quædam ſubſtantiuo. Hæc porrò diuiditur in eam,quæ ſecundi adiacentis dicitur,& eam quæ tertij.Secundi adiacentis ea vocatur,in qua poſt ſubiectum tantùm ponitur uerbum ſubſtantiuum,ut homo eſt:tertij autem illa dicitur, in qua tria ponuntur,nempè ſubiectum, & prædicatum,ac deniq; vtriuſq; nexus & vniculum;ut in hac enuntiatione,homo eſt animal,illa vox Homo eſt ſubiectum, quia ſubijcitur alteri,nempè animali;illa uerò alia Animal eſt attributum, vel prædicatum, quia de altera dicitur:verbum Eſt dicitur copula, aut nexus, quia nectit attributum cum ſubiecto. Cęterùm enuntiationes uerbi adiectiui, & ſecundi adiacentis facillimo negotio reduci poſſunt ad enuntiationes tertij adiacentis, ut homo docet, ad hanc, homo eſt docens: & homo eſt, ad hanc, homo eſt ens; uel homo eſt exiſtens.

Secundò poteſt diuidi Enuntiatio per relationes in ueram,& falſam.Omnis enim enuntiatio Categorica,ſeu Hypothetica eſt uera, aut falſa. Veram enuntiationem dicimus,quę ita enuntiat,ſicut eſt;ut homo eſt animal:falſam autem,quę non ita enũtiat,ſicut res ſe habet;ut homo non eſt animal. *Diuiſio ratione relationum.*

Tertiò poteſt diuidi ratione qualitatis in aientem & negantem, aut in affirmatiuã & negatiuam. Enuntiatio aiens eſt,in qua uerbum affirmatur, ut in hac, homo eſt animal: contra uerò negans eſt, cuius uerbum negatur, ut homo non eſt animal. Quòd ſi illa enuntiatio pluribus uerbis conſtet,pręcipuum uerbum conſiderandum erit. Hęc enim enunciatio,homo qui nõ eſt doctus,eſt indoctus,aiens eſt,quia præcipuum uerbum,nempè illud Eſt, quod ſecundo loco ponitur,affirmatur. Hęc verò alia,homo non eſt animal,quòd eſt irrationale,eſt negans,quia præcipuum uerbum, nempè primum Eſt, negatur. Alij ſunt qui dicunt, illam enunciationem eſſe aientem,quę aliquid de aliquo enunciat; ut homo eſt animal:illam uerò negantem, quę aliquid ab aliquo remouet;ut homo non eſt lapis. Quę in hac diuiſione diximus,tãtùm in Categoricis intelligantur:nam quod ad Hypotheticas attinet,ſuo loco dicemus,quę ſit aiens,& quę negans. Quòd ſi omninò uis, communẽ enunciationi omni aienti,atque neganti definitionem tradere,dicito,eam eſſe aientem,cuius partium pręcipuus nexus abſque negatione ponitur, eam uerò negantem, cuius pręcipuus nexus negatur. Vt enim Categoricæ habent uerbum vt nexum,ita Hyphoteticæ *Diuiſio ratione qualitatis.*

con-

bere ſignificare verum, vel falſum, decernendo, ita eſſe, aut ita non eſſe: & quia illa oratio, hominem eſſe animal, nihil determinat, ideo non eſt enuntiatio: Quam etiam ob cauſam interrogationes, quamuis ſint orationes Indicantis modi atq; perfectæ, non ſunt propriè enuntiationes. Qui enim ait, Sunt ne Antipodæ? nec verè, nec falſæ loquitur: quia nec aſſerit, Antipodas eſſe, neque non eſſe.

Secundò contra eandem definitionem ita expoſitam obijcitur. Si ego ambulans dicam, Ambulo, etiam ſi nihil addam, aut detraham illi verbo, dico verum: & decernendo ita eſſe, atqui ambulo non eſt enuntiatio, cùm non ſit oratio: Ergo definitio Enuntiationis in verba ſimplicia quadrat: Reſpondebis, ibi ſubintelligi Pronomen Ego, ſicut etiam ſi tu percoteris à me, vtrum homo ſit animal, & ego reſpondeam, etiam, verum dico; quia ibi ſubintelligitur tota præcedens interrogatio. Optima quidem ſolutio; ſed adhuc aliter vrgeo. Quando ruſticus ait filio, Pluit, verum dicit, aut falſum; & tamen ruſticus non ſubintelligit naturam, aut Deum pluere. Reſpondetur. Quemadmodum ſi apud nos ex conſuetudine D. ſignificaret Philippum eſſe Regem Hiſpaniæ, quotieſcunque ego dicerem D. verum dicerem. Ita quoque quia aquam de cælo cadere ſignificatur per hoc verbū Pluit, ideo qui dicit, Pluit, verum dicit; ſi re uerà pluit. Quare verbum Pluit eſt oratio, non quidem actu, ſed virtute. Hinc liquet, verba non conſtare ſignificatione ſimplici: etenim quæ huiuſmodi ſunt, verum, aut falſum minimè ſignificant; vt Ariſtoteles in vltimis ferè Ante prædicamentorum verbis teſtatur. *An verba ſignificent verū, aut falſum.*

Tertia obiectio. Si quis ſcribat in papyro hanc orationem: Hæc oratio eſt falſa: Percontor, hæc ſcriptura eſt Enuntiatio, an non? Si dicas, non eſſe, eſt argumentum. Eſt oratio Indicantis modi, non interrogans, & conſtans ſolo ſubiecto, & prædicato, & nexu vtriuſque: ergo eſt enuntiatio. Si dicas, eſſe Enuntiationem, ſic diſputo, Ergo aut eſt vera, aut falſa: nam Enuntiatio eſt oratio verum, aut falſum ſignificans. Quid ergo illa enuntiatio quæ de nulla alia intelligitur, quàm de ſe ipſa, eſt ne vera, an falſa? Si dicas eſſe falſam, probatur eſſe veram. Illa enuntiatio eſt vera, quæ ſignificat rem, ſicut eſt; ſed ipſa per te eſt falſa, & tamen ſignificat, ſe eſſe falſam; ergo eſt vera. Si verò dicas, eſſe veram, probatur eſſe falſam. Illa enuntiatio eſt falſa, quæ ſignificat rem aliter, quàm ſit: ſed per te enuntiatio propoſita eſt vera, & tamen ipſa ſignificat, ſe non eſſe veram; ergo eſt falſa. Datur ergo aliqua enuntiatio, quæ nec vera eſt, nec falſa. Decreui antequam argumentum ſoluam, pauca de inſtituto, ac iudicio meo dicere. Non eram neſcius quum hæc ſcriberem, me in multorum reprehenſionem incurrere, nempe eorum qui omnia argumenta, quæ vno verbo diſſoluere nequeunt, captiones vocant: nec eo contenti, diſputantem ſubſannant; & quæ eruditione tractanda fuiſſent, riſu abſoluunt. Sed obſecro primùm lectores, ne huiuſmodi hominibus, qui omnia quæ minùs probant, ſophiſmata appellant, vllam fidē habeant. Facilè enim eſt dicere, hoc ſophiſma eſt, illud verò captiuncula. Etſi modum hunc ſoluendi argumenta in ſcholis feramus, non erunt nobis legendo occupatis, noctes ducendæ inſomnes, ſed in vtranque aurem dormire licebit. Itaq; peribunt literarum ſtudia. Sapientia enim non inuenitur in terra ſuauiter viuentium, illiſq; ſolùm domus eius patet, qui manè ad ipſius fores vigilant. Præterea, num Ariſtoteles quum aduerſus Parmenidem, & Melliſſum; & alia antiquitatis monſtrua diſputat, id tantùm agit, vt eos ſophiſtas appellet? Num Patres & Eccleſiæ paſtores quum aduerſus hæreticos fidem tuentur Apoſtolicam, ſatis ſe muneri ſuo feciſſe putant, ſi dicant eorum argumenta eſſe contorta, aculeataque? Minimè gentium. Di- *Hæc enuntiatio eſt falſa.* *Id à pleriſque nunc agitur.*

I cere

cere nanq; oportet,in quo poſita ſit fallacia, vbi lateat anguis. Quid? Quòd argumentum propoſitum non ſophiſtarum, ſed doctiſsimorum virorum eſſe, facilè demonſtrabo. Lege Ciceronem,cuius ſe iſti diſcipulos eſſe gloriantur,in eo Academicarum quæſtionum libro,qui Lucullus in ſcribitur; & idem ferè argumentum reperies. Nam quod nos diximus de hac enuntiatione,hæc oratio eſt falſa, ipſe dicit de oratione illius,qui diceret ſe mentiri. Ac quærit, an is qui tantùm dicit, ſe mentiri, ſi mentiatur,dicat verum. Non aliter quærimus nos,an oratio illa,quæ ſignificat ſe eſſe falſam,concedenda ſit vera, ſi conceditur eſſe falſa. Quare illis dimiſsis, imitemur eum,quem Sapiens valde commendat,quòd ad verſutias parabolarum, & ænigmata ſapientum conatus ſit peruenire. Reſpondebant igitur quidam antiquiores Philoſophi,concedendo, definitionem Enuntiationis traditam non competere omnibus enuntiationibus,præſertim iſtis, quas vocabant Inexplicabiles. Hanc ſolutionem refert Cicero loco paulò ante citato;ſibi tamen probari negat: immo ipſe hoc &alijs argumentis conuictus ibidem aſſerit,nihil eſſe, quòd certò ſciri poſsit. Si enim inquit,quòd Dialectici certiſsimum arbitrantur,omnem enuntiationem aut veram eſſe,aut falſam,id incertum eſt;ut argumentum propoſitum indicat;qualia erunt cætera,quæ ipſis non adeò certa videntur? Alij verò reſpondent,orationem illam, de qua eſt controuerſia,non eſſe enuntiationem;quia nulla enuntiatio poteſt de ſe ipſa intelligi:illa verò nõ de alia quàm de ſe ipſa tractat. Quare nõ eſt enũtiatio,licet ſit oratio Indicãtis modi. Verùm contra hãc ſolutionem iamdiu deſitum eſt diſputari, qm̃ eſt apertè falſa. Etenim ſi quis ſumpto carbone, ſcribat in parietate ſola hæc verba, Hæc ſcriptura eſt atra, abſque dubio eſſet enuntiatio, & quidem vera: cùm alioquin non de alia, quàm de ſe ipſa tractaret. Quare reſpondendum eſt, illam orationem eſſe enuntiationem, & eſſe falſam. Et quum ais: Illa enuntiatio quæ rem ſicut eſt,ſignificat,eſt vera: Reſpondetur, negandum eſſe antecedens, quando illud quod ſignificat,nihil aliud eſt,quàm ſe eſſe falſam. Tunc enim licet ita ſit,vt per eam ſignificatur,non proinde eſt uera,ſed potiùs ob eam cauſam eſt falſa. Hanc ferè ſolutionem innuit D.Thom. opuſc. Fallac. cap. de Dicto ſecundùm quid, agens de hac oratione,Ego mentior. Quòd ſi pergis adhùc,& D.Tho. ſophiſtam dicis,te ipſum omnis Philoſophiæ ignarum, & blaſphemum etiam comprobabis. Nos uerò Deum orabimus,ut talium ſophiſtarum copiam Eccleſiæ ſuæ concedat: non enim illi erunt ſophiſtæ,ſed abſque fuco docti. Denique oratum velim lectorem, ut librum egregij patris diui Aurelij Auguſtini,quem de Magiſtro inſcripſit,legat. Sanè intelliget multa huius generis argumenta,quæ à nouis Dialecticis nullius ponderis exiſtimantur,ſumma diligentia à ſummo Eccleſiæ Doctore tractari, & quidẽ eo animo, vt ſuũ Adeodatum,quem doctiſsimum eſſe cupiebat, inſtrueret. Et poſtea noſtri Dialectici inter credulos adoleſcentes clamabunt,has diſputationes nihil aliud eſſe, quàm ingeniorum peſte.sHæc ſatis. Admonebat enim me res,ut noſtræ ætatis arrogantiã deplorarem;ſed quiuis hoc apud ſe cogitet, num horum hominum opinio Auguſt. Tho. Ciceronis denique ſententiæ ſit anteponenda.

Solutio antiquorum. *Sententia Ciceronis.* *Alia ſolutio.* *Vera ſolutio.*

Enuntiationes excludentes an ſint vniuerſæ.

Quarta obiectio. Dictum eſt,omnem enuntiationem eſſe Vniuerſam, aut Particularem, Indefinitam, aut Singularem. Sanè hæc enuntiatio, Tantùm animal eſt homo,non eſt Vniuerſa,quia non omne animal eſt homo:non Particularis quia licet aliquod animal ſit homo;haud tamen ſequitur,ſolùm animal eſſe hominem, ſicut licet aliquod animal ſit album:non poſſumus dicere, tantùm animal eſt album, cùm nix ſit alba, nec ſit animal:non ſingularis, ut conſtat:non demum indefinita, quia aliquod

quod ſignum ſubiecto præponitur: Ergo illa diuiſio manca eſt. Reſpondetur, eam non eſſe propriè vniuerſam, ſed reduci & reciprocari cum vniuerſa contrarij ordinis extremorum. Quo circa hoc axioma, tantùm animal eſt homo, reciprocatur cum iſto, omnis homo eſt animal. Et ſemper enuntiatio Vniuerſa æquipollet excludenti (voco autem enuntiationem excludentem, in qua ponũtur hæc ſigna, Tantùm, Solùm, Duntaxat, &c. quia dicendo, tantùm animal eſt homo, excluduntur à ratione hominis ea, quæ non ſunt animalia) dummodo inuertantur extrema: vt hæc, omne album eſt coloratum, reciprocatur cum hac, tantùm coloratum eſt album. Eodem pacto dicendum eſt hanc propoſitionem, homo quatenus homo eſt rationalis, eſſe vniuerſam, quamuis aliquid amplius habeat, quàm habere ſolent vniuerſæ, communes, & vulgares: quia prædicatum conuenit ſubiecto primò & per ſe, ac ſubinde ex ea colligi poſſunt duæ enuntiationes uniuerſæ contrarij ordinis extremorum, hoc pacto, homo quatenus homo eſt rationalis: Ergo omnis homo eſt rationalis, & omne rationale eſt homo. De alio genere enuntiationum, in quib. ea de vox geminatur.

Quinta obiectio. Hæc enuntiatio: Omnes ſenſus externi ſunt quinq; , non eſt Vniuerſa, Particularis, Indefinita, aut Singularis: ergo non omnia enuntiationum genera ſunt numerata: Dices. Eſt vniuerſa. Profectò ſequeretur, eius contradicentem eſſe particularem, nempè aliquis ſenſus externus non eſt quinque, & ita duæ contradicentes ſimul eſſent veræ. Reſpondetur, eſſe ſingularem, quia licet quinque ſenſus ſint multi ſenſus; ſunt tamen vnus numero quinarius ſenſuum. Sicut in hoc collegio ſumus nonaginta fratres, & vnum numero collegium conſtituimus. Signũ Oĩs collectiuũ.

Sexta obiectio in id quod diximus, enuntiationem indefinitam æquiualere vniuerſali, aut particulari. Hæc enuntiatio, homo eſt ſpecies, eſt indefinita, & in primis nõ æquiualet vniuerſali, tum quia non quilibet homo eſt ſpecies, tum quia cùm accidat naturis rerum eſſe genera, aut ſpecies, non eſt in materia neceſſaria, ſed contingenti; ac proinde non æquiualet vniuerſæ. Deinde nec æquatur particulari: alioquin hæc eſſet vera, aliquis homo eſt ſpecies; quod tamen eſt falſum, quippe cùm vt diximus lib. 2. c. 9. Aliquis homo ſit indiuiduum vagum, & non ſpecies: ergo datur propoſitio Indefinita, quæ nec vniuerſali, nec etiam particulari eſt æqualis. Reſpondetur, illam propoſitionem non eſſe Indefinitam, ſed Singularem; quia ſubiectum eſt ſingulare. Nanq; homo ſi conferatur ad ſua inferiora, vniuerſum eſt; at ſi cum ſpeciei notione comparetur, indiuiduum quoddam eſt: quia vna ſpecies numero eſt. Sed aduerſus hanc ſolutionem poſſunt duo argumenta proponi. Primum: Homo vt ſpecies, eſt vniuerſale, ergo comparatus notioni ſpeciei eſt vniuerſale. Reſpondetur, eſſe vniuerſale, non ipſius notionis, ſed indiuiduorum quæ ſub ſe continet Alterum. Homo relatus ad notionem ſpeciei, eſt abſtractus à conditionibus indiuiduantibus: ergo reſpectu illius non eſt ſingularis. Reſpondetur, hominem eſſe abſtractum à proprietatibus realibus, non à proprietatibus indiuiduantibus, quæ pertinẽt ad ſecũdas notiones. Quare homo nõ ſolùm eſt ſpecies, ſed hæc numero ſpecies. Quãta ſit hæc enuntiatio, Homo eſt ſpecies.

Septima obiectio, qua eadem ſententia confutatur. Hæc propoſitio, animal eſt homo, eſt indefinita. Quæritur ergo, cuinam ſit par & æqualis. Vniuerſali ne? ergo omne animal eſt homo. An potiùs particulari? ergo eſt in materia contingenti. Huic dubio qui defendunt, has enuntiationes eſſe in materia contingenti (quorum vnus eſt Caietanus 1. Poſterio. cap. quarto, agens de ſecundo modo dicendi per ſe, & in Iſagogem Porphyrij capite de ſpecie, circa illa verba: Paria de paribus, uel maiora de minoribus prædicantur) reſponderent, illam propoſitionem eſſe in materia Enũtiatio Indefinita cui æquipolleat.

contingenti;& ita argumentum non eſſe difficile. Sed ijs Doctoribus ſubinde concedendum eſt,ex antecedente neceſſario (contra omnem Dialecticam) conſequens contingens inferi. Quod ita oſtendo, Nam hæc argumentatio, omnis homo eſt animal,ergo aliquid animal eſt homo,eſt bona, & eius antecedens eſt neceſſarium; & tamen conſequens eſt contingens. Nam conſequens æquiualet illi indefinitæ, quam ipſi dicunt eſſe in materia contingenti. Quamobrem nec recepto hoc corollario,nec omninò exploſo,aliter ſoluimus argumentum;dicentes, illam propoſitionem indefinitam eſſe in materia neceſſaria,nec protinus æquiualere vniuerſali,ſed particulari: nam in indirectis prædicationibus non oportet indefinitam æquiualere vniuerſali;etiam in materia neceſſaria. Immo nec in omnibus directis id verum eſt apud Ariſtotelem. Hæc enim enuntiatio,homo exiſtit neceſſariò,vera eſt apud ipſum,qui Mundum ab æterno genitum,& in perpetuum duraturum,ſomniauit:at nō ſtatim concedit,omnem hominem neceſſariò exiſtere. Fortè non deerunt viri docti,qui me reprehendant,quòd hanc appellauerim Indefinitam, cùm eius ſubiectum accipiatur,aut (vt ita dicam) ſupponat ſimpliciter. Sed ſciant,me multa diſsimulare,ob eorum diſſenſiones vitandas; qui immani quodam odio proſequuntur has voces,ſupponit,appellat,&c.quas tamē egregiū illud Philoſophorū, Theologorumq; iubar beatus Aquinas non mediocriter intellexit; ac frequenter libris ſuis inſeruit. Sed vt Quimus,aiunt,quando quod uolumus, non licet.

De Indefinitis directis, ac indirectis.

De Oppoſitione Enuntiationum. Cap. 6.


AGendum eſt de affectionibus enuntiationum ſimplicium,id eſt,de Oppoſitione,Conuerſione,& Aequipollentia:poſtmodum de enuntiationibus modificatis,earumq; affectionibus;tandemq; de Hypotheticis,ac earum proprietatib. Oppoſitio eſt repugnantia duarum enuntiationum eiuſdem ſubiecti,ac prædicati, quarum eſt aiens,& altera negans. Tales ſunt hæ,Omnis homo eſt animal. Nullus homo eſt animal. Dixi,eiuſdem ſubiecti & prædicati,quia ſi conſtent diuerſis vocabulis,aut eiſdem,diuerſo tñ ordine poſitis,ita vt ſubiectum vnius ſit prædicatū alterius, aut contra,non erit,inter eas illa,de qua nunc agimus,repugnantia. Præterea enuntiationum oppoſitarum tria ſunt genera,vnum contrariarum,aut diuerſarum,alterū ſubcontrariarum, aut ſubaduerſarum: tertium contradicentium. Contrariæ ſunt; duæ enuntiationes vniuerſæ oppoſitæ,de Omnis homo eſt animal,Nullus homo eſt animal:ſubcontrariæ ſunt,particulares oppoſitæ,vt Aliquis homo eſt animal, aliquis homo non eſt animal:contradicentes autem, ſiue contradictoriæ ſunt, enuntiationes oppoſitæ,quarum vna generalis eſt,altera verò particularis; vt Omnis homo eſt animal,Aliquis homo non eſt animal. Sed Ariſtotele poſteriores Dialectici quartū oppoſitionis genus addiderunt,earum enuntiationum proprium, quas ſubalternas vocant;verbi gratia,vniuerſa aiens & particularis aiens ſubalternæ dicuntur:itemq; vniuerſa negans,& particularis negans. Sed quia in quartum hoc oppoſitionis genus non quadrat definitio oppoſitionis tradita,alia ab ipſis affertur. Oppoſitio,inquiunt,eſt repugnantia duarum enuntiationum eiuſdem ſubiecti & prædicati; ſiue in quantitate ſola,ſiue in qualitate, ſiue in vtroque etiam diſtinguantur. Quantitatem enuntiationis appellant,ratione cuius vniuerſa dicitur,aut particularis qualitatē verò,qua aiens,aūt negans vocatur. Igitur contrariæ ſola qualitate diſsident, quia vna eſt aiens,& altera negans;itemq; ſubcontrariæ: ſubalternæ verò duntaxat quan-

Oppoſitionis definitio, ac diuiſio.

Quid de quarto oppoſitionis genere noui Dialectici ſentiant.

titate

titate differunt, quippe cùm hæc ſit vniuerſa, & illa particularis: at contradicentes vtraque diſtinguuntur. Verùm ſi res probè conſideretur, ſubalternæ non oppoſitæ, ſed ſubordinatæ, vel conſentientes appellari debent; vt meliores Dialectici faciũt. De his omnibus oppoſitionibus habes hanc tabulam.



Aſsignantur autem à Dialecticis quatuor affectiones oppoſitionum. Prima. Contradicentes nec ſimul poſſunt eſſe veræ, nec ſimul falſæ; ſed ſi vna eſt vera, alteram oportet eſſe falſam: vt Omnis homo eſt albus eſt falſa; Aliquis homo non eſt albus, eſt vera. Secunda affectio. Contrariæ enuntiationes nunquam poſſunt eſſe ſimul veræ, nonnunquam tamen poterunt vnà eſſe falſæ; ut Omnis homo eſt albus, Nullus homo eſt albus. Tertia. Subcontrariæ pariter falſæ eſſe nequeunt, dari tamen poſſunt ambæ veræ, ut Aliquis homo eſt albus, Aliquis homo non eſt albus. Quarta. Subalternarum ſi ſuperior ſit vera, inferior quoque; vt Omnis homo eſt animal: Aliquis homo eſt animal: Non contra ſi ſuperior ſit falſa, inferior erit neceſſariò falſa; vt Omnis homo eſt albus, Aliquis homo eſt albus. Item inferiore exiſtente falſa, ſuperiorem quoque falſam eſſe oportet; ut Aliquis homo eſt lapis; eſt falſa enuntiatio: ergo hæc etiam falſa erit, Omnis homo eſt lapis. At ſi inferior ſit vera non ſtatim ſuperiorem ueram eſſe colligitur. Verum enim eſt, aliquem hominem eſſe doctum, & omnem hominem eſſe doctum, eſt falſum.

Leges oppoſitionis.

Reddenda eſt autem harum affectionum cauſa ſcire enim eſt, rei cauſam agnoſcere. Et prima quidem demonſtrari non poteſt, cùm apud Logicum primum & ſupremum principium ſit, de quauis re veram eſſe affirmationem, aut negationem. Itemq; de qnauis re propoſita alteram contradicentium falſam eſſe debere. Quod alijs uerbis proponitur à Metaphyſicis: nihil inquiunt ſimul eſt, & non eſt, & quæuis res eſt, aut non eſt. Vtcunque tamen probatur ab Ariſt. 4. Metaphyſ. tex. 10. 11. &c. contra proteruos. Secunda autem affectio ita probatur. Nam duobus contrarijs ſimul conceſsis, ſequeretur duas contradicentes eſſe veras, contra primam affectionem. Si enim hæc eſt uera, Omnis homo eſt albus, & præterea hæc, Nullus homo eſt albns, eſt etiam vera. profectò vera quoque erit hæc alia, Aliquis homo non eſt albus; & ita veræ erũt pariter, Oĩs homo eſt albus, & Aliqs homo nõ eſt alb. Tertia affectio ꝓbaẽ q a qui duas ſubcõtrarias tãq̃ falſas negat, ꝓtinus cõcedit, duas cõtradicẽ

Legũ cauſæ redduntur.

Lex aduerſarũ probatur.

Lex ſubaduerſarum demõſtratur.

tes ſimul poſſe eſſe falſas. Si enim hæc eſt falſa, Aliquis homo nō eſt albus, inſuperq́; hæc alia, Aliquis homo eſt albus, cum hac poſteriori exiſtēte falſa, etiam enuntiatio quæ dicit omnem hominē eſſe albū, ſit falſa, profectò duæ contradictoriæ erunt ſimul falſę; ſcilicet, Omnis homo eſt albus, & Aliquis homo non eſt albus. Deniq; probatur quarta affectio. Equidē ſi ex ſubalternis ſuperior poteſt eſſe vera, & inferior falſa, duæ contradicētes poſſunt eſſe ſimul veræ. Etenim ſi hæc eſt vera, Omnis homo eſt albus, & ſimul hęc eſt falſa, Aliquis homo eſt albus, cùm duę ſubcontrarię nequeant pariter eſſe falſæ, hæc erit vera; Aliquis homo non eſt albus; quæ eſt contradicens illius enuntiationis iam conceſſæ, Omnis homo eſt albus.

I ex ſubalternarum oſtēditur.

Legum ad diuerſas materia applicatio.

Veruntamē circa tres poſteriores affectiones, notādū eſt, enūtiationes alias eſſe in materia neceſſaria, quarum prædicatū neceſſariò de ſubiecto effertur, vt Homo eſt animal; alias in materia impoſsibili, quarum prædicatum omninò repugnat ſubiecto, vt homo eſt lapis; alias tandem in materia contingenti, quarum prædicatum poteſt alicui conuenire, & ab eodem etiam remoueri, vt Homo eſt albus. Igitur in materia contingente affectiones propoſitæ erunt intelligēdæ. Nam in neceſſaria, aut impoſsibili contrariæ non poſſunt eſſe ſimul falſæ, nec ſubcontrariæ ſimul veræ: at ſubalternæ ſemper in veritate, aut mendacio inter ſe conuenire debent, maximè cùm ſunt directæ. Quamuis diſcrimen ſit, quòd in materia neceſſaria, affirmationes ſunt veræ, & negationes falſæ: in materia verò impoſsibili, aut repugnāte negationes ſunt veræ, & affirmationes falſæ. Iſtæ ſunt veræ, Omnis homo eſt animal, Aliquis homo eſt animal; item, Nullus homo eſt lapis, Aliquis homo non eſt lapis; iſtę autem falſæ, Omnis homo eſt lapis, Aliquis homo eſt lapis; Nullus homo eſt animal, Aliquis homo non eſt animal. Hæc de illis enuntiationibus intelligantur, quæ vſitato, vulgarique loquendi more proponuntur; nam ſi conſtent voce excludente, vel aliquo ſigno ex parte prædicati, poterunt in materia neceſſaria falſæ eſſe aientes, & verę negantes: vt, Tantùm homo eſt animal, & Omnis homo eſt omne animal. Idem patet in hac enuntiatione, Homo quatenus homo eſt ſenſibilis; quæ cùm ſit aiens, & in materia neceſſaria, eſt falſa: nam eſſe ſenſibile, non tribuitur homini quatenus homo, ſed quatenus animal; vt conſtat ex 1. Poſter. Hinc colligēdum eſt, ad cognoſcendum, an aliqua enuntiatio ſit in materia neceſſaria, contingente, vel impoſsibili, non eſſe conſiderandum, an id quod ſignificat, ſit neceſſarium, aut impoſsibile, ſed an prædicatum illius enuntiationis neceſſariò competat ſubiecto, an potiùs ei repugnet. Quocirca hæc propoſitio eſt impoſsibilis, Nullus homo eſt animal, & eſt in materia neceſſaria: nam ob eam cauſam falſa eſt, quia eſt negans in materia neceſſaria, Quare dixit Ariſtoteles 2. Periher. quod neceſſe eſt eſſe, impoſsibile eſt non eſſe.

Exceptio.

Quæ retinēdæ ſint cautiones in varijs oppoſitorū generibus ac primò in Contrarijs.

Sed ne vnquam accidat, ſuperiores affectiones falſas deprehendi, ſtabiliendæ ſunt regulæ, quibus omne erroris periculum depellamus. Principiò in enuntiationibus contrarijs cauendum eſt, ne vlla vox quæ in vna ſumitur in particulari, in altera ad eundem modum accipiatur. Quanquam enim minimè oporteat, eam vocem, quę in vna ponitur in vniuerſum, collocari in altera in particulari (alioquin nō poſſet in ambabus cōtrarijs, ſubiectum accipi in vniuerſum) tamē ſi in vna cōtrariarū aliqua vox in particulari ſumitur, neceſſe eſt, illam in altera accipi vniuerſim. Quare hæ enuntiationes, Omnis homo eſt animal, Nullus homo eſt omne animal, non ſunt cōtrariæ; poſtquam aliquod nomē, ſcilicet Animal, in ambabus ſpeciatim ponitur. In aiente certum eſt, tum quia ut hæc ſit uera, Omnis homo eſt animal, ſufficit, quemuis hominem

minem eſſe aliquod animal: tum etiam quia hoc pronunciatum, Omnis homo eſt animal, conuertitur in iſtud, Aliquod animal eſt homo. Cæterùm vt oſtendamus, in hac enunciatione, Nullus homo eſt omne animal, illud vocabulum Animal ſumi ſpecialiter, ſtatuendum eſt diſcrimen inter ſignum negãs, & aiens. Signum quippè vniuerſum aiens, vt omnis, ſolum afficit vniuerſalitate illud nomen, cui immediatè iungitur; vt in hac propoſitione, Omnis homo eſt animal, ſola vox homo ſumitur vniuerſim; vox autem animal ſpeciatim: vt oſtenſum eſt. Signa autem negantia, ut nullus, nemo, & non, afficiunt non modò illa, quibus immediatè iunguntur, ſed reliqua etiam conſequentia. Et ratio eſt, quia negatio deſtruit quicquid poſt ſe inuenit, cùm ſit cuiuſdam peſsimæ & malignæ naturæ; ſi inuenit affirmationem, conſtituit negationem; ſi aliquid reperit negatum, affirmat: quia duæ negationes uerbo præpoſitę affirmationem efficiunt. Itaque contra Terentiani Gnatonis pręceptum, ſi negat; ait; ſi aiunt, ipſa contra negat. Item ſi uoces ſumuntur in particulari, facit eas accipi uniuerſim; ſi uniuerſim, in particulari, eas intelligi cogit. Verbi gratia: Quia in hac enuntiatione uerbum Eſt affirmatur, & ſubiectum & prædicatum ſumuntur in particulari, ideò ſi toti illi pręponatur negatio, non aut nemo, ſeu etiam nullus, non modò fiet enuntiatio negans, ſed ſubiectum præterea ac prædicatum ſumentur in uniuerſum. Id ſi minùs creditur, hoc ſigno percipi poterit: nam hęc enuntiatio, Nullus homo eſt animal, conuertitur in hanc, Nullum animal eſt homo; quod profectò minimè fieret, ſi animal in priori enuntiatione, ſumptum in particulari, fuiſſet. Item probatur, quia ut hæc enuntiatio, Nullus homo eſt lapis, ſit uera, oportet, omnem hominem nullum eſſe lapidem. Cùm itaque in hac enũtiatione; Homo eſt omne animal, ipſum animal ſumatur in uniuerſum, profectò ſi præponatur negatio toti enũtiationi, ſumetur in particulari. Hinc colligitur, has enũtiationes, Omnis homo eſt animal. Nullus homo eſt animal, eſſe uerè cõtrarias; nec poſſe ambas eſſe ueras.

De vi, ac poteſtate ſigni negantis

Lex autem ſubcontrariarum eſt, ut ſi fortè aliquod uerbum in una earum ſumatur uniuerſim, in altera ſpeciatim accipiatur. Ex quo efficitur, has enunciationes, Aliquis homo eſt omne animal, Aliquis homo non eſt animal; non eſſe ſubcontrarias, & ambas poſſe ſimul eſſe falſas; quia uerbum animal in utraque earum ſumitur vniuerſe. Nam in aiente dicitur omne animal, in negante verò licet non dicatur niſi animal; tamen ratione negationis præcedentis ſumitur in vniuerſum. Lex prętereà contradicentiũ eſt, ut ſi in altera vox aliqua intelligitur ſpeciatim, in altera accipiatur in vniuerſum. Quamobrem iſtæ non ſunt contradicentes, Nullus homo eſt omne animal, Aliquis homo eſt animal; & ambæ ſunt veræ. Quare in hac lege conueniunt contradicentes, atque contrarię. Item eſt aliud præceptum in ipſis obſeruandum, vt quum aliquod nomen in una ponitur vniuersè, in altera ſpeciatim intelligatur. Itaq; iſtę non ſunt contradicentes, Omnis homo eſt omne animal, Aliquis homo non eſt animal: nam animal in vtraque ſumitur generaliter, & ambę ſunt falſę. In hac igitur pręceptione conueniunt contradicentes & ſubcontrarię. Subalternarum denique regula eſt, ne quum in ſuperiori aliqua uox non ſumitur in uniuerſum, in inferiori uniuersè accipiatur. Iſtę igitur minimè ſunt ſubalternę, Omnis homo eſt animal, Aliquis homo eſt omne animal, & ita ſuperior eſt uera, & inferior falſa.

Cautio in ſubcontrariis obſeruanda.

Contradicentiũ obſeruatione.

In ſubalternis cautio.

Et quidem, ut ante nos uiri doctiſsimi annotarunt, harum cautionum una ferè eſt ratio, quia ſi in utraque contrariarum, aliquod nomen in particulari collocętur, ex parte illius habebunt ſe ut ſubcontrarię; ac ſubinde ambę ſimul uerę eſſe poterunt. Pręterea ſi in utraque ſubcontrariorum aliquod nomen uniuerſi intelligere-

tur,ex parte illius eſſent quaſi contrariæ,& poſſent ſimul à veritate aberrare. Inſuper ſi in ambabus contradicentibus aliqua vox vniuerſe ponatur,erunt tanquam cõtrariæ,poteruntq; vnà eſſe falſæ. Si verò contradicentium vtraque aliquo vocabulo particulariter ſumpto conſtet,erunt quaſi ſubcontrariæ,ac nihil impediet,quòminus veritatem ſimul enuntient. Demum ſi in ſubalternarum ſuperiore aliqua vox ponatur ſpeciatim,& in inferiore vniuerſim,certè quod ad eam vocem attinet inferior,eſt reuera ſuperior;& ſuperior fit inferior. Quare nihil mirum eſt,ſi ea quæ videtur ſuperior,poſsit eſſe vera,& inferior falſa.

In ea quæ diximus argumenta.

Alterius. neutriſq; ſignificatio.

EX his quæ diximus varia dubia aperiuntur. Primum eſt contra legem contrariarum,quomodo ſcilicet iſtę enũtiationes,Cuiuſuis hominis alter oculus eſt dexter,Cuiuſuis hominis alter oculus non eſt dexter,quæ videntur cõtrariæ,ſint ſimul veræ,ſi omnes homines duos oculos habeant: & in enunciatione aiente nomine alterius oculi intelligatur dexter,& in negante ſiniſter. Reſpondendum eſt enim,illas non eſſe contrarias ex defectu legis contrariarum,quia aliqua vox,nempe oculus,in vtraque ſumitur in particulari; nam Alter eſt ſignum particulare,ſicut Neuter vniuerſale,reſpectu duorum. Itaque vt illæ eſſent contrariæ,ſic erant proferendæ.Cuiuſque hominis alter oculus eſt dexter, Cuiuſque hominis neuter oculus eſt dexter:aut hac alia forma. Cuiuſlibet hominis alter oculus eſt dexter, & Nullius hominis alter oculus eſt dexter,tunc enim in negante oculus ſumeretur in vniuerſum, ratione negationis præcedentis, quæ quicquid ſumebatur in particulari,erigit in ſtatum vniuerſum,quare non fuiſſent ambæ veræ.

Alterum etiam dubium facilè ſoluitur: Quomodo ſcilicet iſtæ duæ enuntiationes,Aliquis homo eſt omne animal,Aliquis homo non eſt animal,ſint falſę,cùm ſint ſubcontrarię. Reſpondendum eſt nanq; haud eſſe ſubcontrarias,licet eſſe videantur, quoniam verbum animal in vtraq; ſumitur vniuerſè: Quò fit,ut huiuſmodi enũtiationes ex parte prædicati ſint, tanquam contrariæ,ac ſubinde ſimul falſæ eſſe queãt.

Bona certè obiectio.

Verùm ſi quiſpiam in nos argumẽtetur,cùm dicamus,enuntiationes propoſitas eſſe ſimul falſas,quia ex parte prædicati habent ſe ut contrariæ: eodem modo dicendum eſſe,eas poſſe eſſe ſimul ueras;quia ex parte ſubiecti ſubcontrarię ſunt.Reſpondetur, non oportere iſtasmet eſſe ſimul ueras,ſed ſat eſſe,ſi in ſimili forma ſimul ueræ dentur. Iſta enim pronuntiata, Aliquis homo eſt omne album,Aliquis homo non eſt albus,ſimul erunt uera;ſi ex Hypotheſi tantùm ſit in mundo una res alba, illaque ſit homo;reliquæ uerò, etiam homines,atræ;tunc enim aliquis homo non eſſet albus, & præterea aliquis alius homo eſſet omne album: nullum enim album daretur præter ipſum. Nec mirum cuipiam, uideatur, ſi nos huius generis enunciationes per Hypotheſim comprobemus,cùm etiam Porphyrius in Iſagoge c.7.Cõmunitatum probet ſuam ſententiam ex hac Hypotheſi, Si nullum animal eſſet in rerum natura:quæ profectò multò eſt difficilior, atque durior ea,quam nos poſtulamus. Et planè ſi Hypotheſis non inuoluit contradictionem,à uiro docto non eſt repellenda: nam(ut aiunt)poſsibili dato nullum ſequi debet incommodum. Lege lib.3.Ciceronis de offici;s. Ibi enim probat ſententiam ſuam quadam Hypotheſi commentitia:

ac eos qui non alia ratione argumenta ſoluunt, quàm negando Hypotheſes, ruſticè ait urgere.

Nõ oẽs enuntiationes eſſe ꝓpriè ſub aliquo genere oppoſitionis.

Ex his colligitur primum, non omnes enuntiationes oppoſitas eſſe propriè ſubcontrarias, contrarias, contradicentes, aut ſubalternas, ſed interdum ad aliquam iſtarum oppoſitionum referri; & aliquando etiam ex parte unius extremi ad contrarias pertinere; ex parteque alterius ad ſubcontrarias. Perſpicuum fit ſecundo, quum in ſuperioribus dictum eſt, illas enũtiationes eſſe cõtrarias, quæ cùm ſint uniuerſę, una eſt aiens, & altera negant, ſubintelligendum eſſe, ſi nùlla uox in utraque ſit particularis. Idem de ſubcontrarijs, ſubalternis, & cõtradicentibus intellige; oportere ſcilicet ut ſeruent leges ſibi accommodatas: alioquin uideri poterunt contradicentes, ſubalternę, aut ſübcontrarię; re quidem uera non erunt.

De ſigno, aut nota Omnis.


Tertiùm porrò ſoluitur argumentum circa contradicentes, ſi memoria retineantur ſuperiora. Etenìm iſtæ enuntiationes, Omne animal fuit in arca Noë, Aliquod animal non fuit in arca Noë, vidẽtur cõtradicentes; & tamẽ ambæ ſunt veræ. Enimuero de aientẽ vniuerſa nulla eſt cõtrouerſia: ſed particularis negans probatur, quia animal quod ſubmerſum eſt, non fuit in arca Noë. Antequam huic argumento reſpondeamus, nõnulla ſunt pręnotanda. Primũ eſt, enuntiationes duobus modis poſſe affici ſigno Omnis; vel enim ſumitur vt colligens, vel diſtribuens; ſi placet, collectiuè, aut diſtributiuè. Sumitur vt colligens, quum multitudinem quandam colligit, eique prædicatũ aliquod tribuit, quod toti multitudini competit; non ſingulis eius partibus ſigillatim. Verbi gratia. In hac enuntiatione, Omnes ſenſus externi ſunt quinque numerus quinarius tribuitur toti multitudini ſenſuum, non cuique per ſe. Sumitur verò vt diuidens, quum prædicatum cuilibet parti illius multitudinis ſigillatim conuenit. Verbi gratia. In hac enuntiatione, Omnis homo eſt coloratus, eſſe coloratum tribuitur cuique homini. Secundum eſt, ſignum Omnis, etiam ſumptum ut diſtribuens, interdum diuidere illud extremum enuntiationis, cui additur in omnia eius indiuidua, vt in illo pronuntiato, Omnis homo eſt coloratus: interdũ in omnia eius genera, non in omnia indiuidua. Quo pacto explicat diuus Thomas 1. par. quæſt. 19. ar. 2. ad 1. illam ſententiam, Deus vult omnes homines ſaluas fieri. Si enim loquamur de uolũtate penitus determinata, quam ipſe dicit conſequentem, non vult Deus quenuis hominem in ſceleribus uſq; ad ipſam etiã animæ à corpore abſolutionẽ permanẽtẽ, ſaluari: ſed dicitur eadẽ volũtate penitus determinata (nam de ea, quã dicũt antecedentem, non eſt dubitatio) uelle omnem hominẽ ſaluum fieri, quia vult ex quauis hominum arte, ætate, ac genere quoſdam ſaluari. Quamuis enim frequẽtiùs illi ſalutem æterna conſequantur, qui iuſtiores viuendi ſemitas eligunt; tamen ex ſumma Dei miſericordia; nonnunquam accidit, vt ex latronibus, meretricibus, atq; leonibus quidam etiam ad æternam beatitudinem admittãtur: modò ut par eſt, ſcelerum pœnitẽtiam egerint. Ita quoq; explicat diuus Auguſtinus locum illum pſalmi 64. Ad te omnis caro ueniet. Sic itaq; intelligẽdum eſt quod diuus Thomas ait, hoc nomen Omnis aliquando diſtribuere pro ſingulis generum, aliquando pro generibus ſingulorũ. His poſitis ſit prima aſſertio. Quando ſignum Omnis accipitur ut colligens, conſtituit enuntiationẽ potius ſingularem, quàm uniuerſam. Relege quæ diximus cap. 5. Secũda aſſertio. Quando ſignum Omnis ſumitur ut diuidens in omnia genera, & nõ in oĩa indiuidua, nõ cõſtituit enũtiationẽ undiq; uniuersã, ſed partim uniuerſam & partim ſpecialẽ: ut hęc enũtiatio, Omne animal fuit in arca Noë, ita explicatur. Cuiuſlibet generis aĩaliũ aliquod animal fuit in arca Noë; in qua explicatio

ne

ne clauditur illa vox particularis Aliquod animal. Tertia aſſertio. Si vox Omnis diſtribuat in omnia indiuidua, enunciatio eſt(niſi aliud impediat)ſimpliciter vniuerſa, ut Omnis homo eſt coloratus. Conſtat igitur, iam has enuntiationes, Omne animal fuit arca Noë,& Aliquod animal non fuit in arca Noë, nõ eſſe contradicentes; quippè cum aliqua vox, nempe animal, in vtraq; particulariter accipiatur; quamuis in altera palàm, in altera verò obſcuriùs.

De ſingularium enũciationum oppoſitione.

Nunc alia proponenda ſunt argumenta, quæ proprias deſiderant ſolutiones, nec ita facilè ex ante dictis ſoluuntur. Quartum itaque dubium eſt. Iſtæ enunciationes, Socrates eſt albus,& Socrates non eſt albus, ſunt contradicentes apud Ariſtotelem 1. Periherm. cap. 5. ſed non eſt vna earum vniuerſa, & altera particularis: ergo malè definita eſt à nobis oppoſitio contradictoria. Reſpondetur, definitionem non eſſe intelligendam de oppoſitione enunciationum ſingularium. Quare circa enunciationes ſingulares notandum eſt, quaſdam eſſe tamen ex parte ſubiecti, quàm ex parte prædicati ſingulares; in his ſola contradictoria oppoſitio cernitur, vt Petrus eſt hic homo, Petrus non eſt hic homo: Quaſdam verò eſſe, quæ ſolo vno extremo ſingulari conſtat; in quibus exponendum eſt, quot genera poſsint inueniri oppoſitorum. Igitur ſi conſtat terminis ſingularibus ſol:um ex parte prædicati, quatuor genera oppoſitionum in ipſis reperiuntur, ut hęc tabula indicat.



Cęterùm obſeruandum eſt, ut demptis uocibus ſingularibus, aliæ ſeruent leges à nobis perſcriptas, ſcilicet vt in contrarijs vtraque enunciatio ſit vniuerſa, etſi aliqua vox in vna ſumitur ſpeciatim, in alia vniuersè ponatur. Quòd etiam de reliquis oppoſitionum generibus dictum exiſtimato. Si autem ſolo prædicato ſingulari conſtet, poſſunt in ipſis omnia genera oppoſitionum reperiri no propriè, ſed impropriè; ut hęc tabula indicabit.

Petrus

Petrus eſt omnis homo.	Contrariæ.	Petrus nullus homo eſt.
Subalternæ.	Contra dicentes. Contra dicentes.	Subalternæ.
Petrus eſt aliquis homo.	Subcontrariæ.	Petrus aliquis homo non eſt.

Non enim eas verè contrarias, aut ſubcontrarias dico, quia earum nulla eſt vniuerſa, nulla particularis, ſed omnes ſingulares ſunt; veruntamen ex ipſis, quæ ſuperiorem locum occupant, ſunt quaſi contrariæ, quia ſunt vniuerſæ ex parte prædicati; & poſſunt ſimul eſſe falſæ, veræ nequaquam. Inferiores quoque habent ſe ut ſubcontrariæ, quia ambæ poſſunt eſſe veræ, non falſæ; & quia ſaltem ex parte prædicati ſunt particulares. Quod dicimus in promptu, eſt de aiente, de negante verò probatur; quia quum dicitur, Petrus aliquis homo non eſt, illa vox aliquis homo, ſumitur in particulari, cùm nulla ei præponatur negatio (ſecus autem eſſet, ſi ante collocaretur negatio, dicendo, Petrus non eſt aliquis homo), & ita eſt vera, quia Petrus non eſt Paulus, qui quidem Paulus eſt aliquis homo. Nec mireris, ſi prædicatum ante verbum poſui, id enim etiam diuus Thom. 1. Periherm. lect. 10. facit. Quare autem id aliquãdo neceſſarium ſit, aliàs exponetur.

Quintum dubium eſt, an iſtæ enunciationes, Omnis homo eſt albus, Aliquis homo non eſt albus, ſint contradicentes. Etenim Ariſt. 2. Elenchorum capit. 5. ita definit contradictionem; Contradictio eſt affirmatio eiuſdem, de eodem, ſimiliter, & in eodem tempore: at in iſtis homo non accipitur ſimiliter, cùm in priori in vniuerſum, in poſteriori autem ſumuntur ex parte: ergo non ſunt contradicentes. Reſpondetur primò, ſimilitudinem, quam Ariſtoteles exigit in contradictorijs, non intelligi quantùm ad notas, & ſigna enuntiationum; nam quoad iſta ſemper debent eſſe diſſimiles; ſed quantùm ad alia: ut uerbi gratia, non dicamus, Aethiopem eſſe album dẽtibus, & non eſſe album capillis. Secundò reſpondetur, hoc pronuntiatum, Aliquis homo non eſt albus; æquiualere huic, Non omnis homo eſt albus; ut poſtea dicemus. Quare hæc propoſitio, Aliquis homo nõ eſt albus, negat hominem in vniuerſum eſſe album; licet non dicat, nullum hominem eſſe album. Itaque eundem modũ quem una affirmat, altera negat. Contradictionis definitio explicatur.

Sextum dubium circa enunciationes ſubcontrarias, quas diximus, poſſe eſſe ſimul veras. In his enunciationibus, Aliquis homo eſt albus, Aliquis homo non eſt albus, uel loquimur de eodem homine, uel de diuerſis: ſi de eodem, incredibile eſt, ambas eſſe veras, ut conſtat. ſi de diuerſis, iam non erunt eiuſdem ſubiecti & prædicati: niſi fortè quoad nomen & vocem Id autem non ſufficit, ut enunciationes dicãtur An in ſubcontrarijs idẽ ſit ſubiectum.

tur oppoſitæ, alioquin iſtæ eſſent oppoſitæ, Omnis canis latrat, Aliquis canis nō latrat, tametſi in vniuerſa de Cane terreſtri loqueremur, & in altera de Cæleſti. Hoc argumento quidam Neotericorum conuincti, docuerunt, enunciationes ſubcontrarias non eſſe oppoſitas. Sed profectò Ariſtoteles. 1. Periher. cap. 5. totus eſt ab ipſis diuerſus. Quare dicendum eſt, enunciationes eſſe oppoſitas: & licet intelligantur de diuerſis hominibus, habere tamen idem ſubiectum, non voce duntaxat, ſed ratione quoque, ac definitione. Nam aliquis homo non ſolum dicitur de Petro & Paulo eodem nomine, ſed eadem etiam ratione, ut lib. 2. quum de indiuiduo vago diſputaremus, conati ſumus oſtendere. Vt autem aliquæ enunciationes eiuſdem ſubiecti eſſe dicantur, ſat eſt, ſi idem ſubiectum quoad nomen & rationem habeant. Quæ diligētiſsimè annotanda ſunt, ad probandum, indiuiduum vagū eſſe commune multis nomine & ratione, ac proinde eſſe vniuerſum; compoſitum tamen.

Quomodo vni affirmationi vnica opponatur negatio.

Septimum dubium. Ex his quæ dicta ſunt uidetur ſequi huic enunciationi, Omnis homo eſt albus, opponi duas negationes, unam contrariè, ut Nullus homo eſt albus alteram contradictoriè, ut Aliquis homo non eſt albus; cùm tamen Ariſtoteles 1. Periher. cap. 5. doceat, vni affirmationi vnicam negationem opponi. Reſpondetur, mentem Ariſtotelis eſſe, vni affirmationi vnicam negationem opponi contradictoriè. Dicens, Nōnne illi enunciationi, Omnis homo eſt albus, opponitur contradictoriè duplex negatio, ſcilicet Aliquis homo non eſt albus, & Petrus non eſt albus? Nam de priore cōſtat, de poſteriore probatur. Etenim fieri nequit, ut iſtæ duæ enūciationes, Omnis homo eſt albus, & Petrus non eſt albus, una ueræ ſint, aut falſæ: ergo opponuntur contradictoriè. Nec dici poteſt, illas duas negationes eſſe eandem enunciationem, nam ſi Petrus ſit albus, ſecunda eſt falſa; & prior poteſt eſſe vera, ſi alter homo ſit, qui non ſit albus: ergo ſunt diuerſæ enūciationes. Reſpondetur igitur, ſecundi non poni contradictoriè illi enunciationi aienti, quia non eſt eiuſdem ſubiecti & prædicati: & ita licet opponantur contradictoriè ratione materiæ; non ſanè ex forma repugnant; ſicut neque iſtæ, Omnis homo eſt animal, Aliquis homo eſt inſenſibilis, ſunt contradictoriè ſecundùm formam; cùm alioquin nec poſsint eſſe ſimul veræ, nec vna falſę. Ariſtoteles autem quum negat, plures enunciationes opponi vni, loquitur de contradictoria oppoſitione; & quidem ex forma. Item aſſero, enunciationem vniuerſam & ſingularem non eſſe contradicentes, quia interdum poſſunt eſſe ſimul falſę; ut iſtæ duę, Omnis homo eſt albus, & Socrates non eſt albus, erunt pariter falſę, ſi in orbe tantùm ſint decem homines, ex eiſq; ſolus Socrates albus ſit: tunc enim nec verum eſt, omnem hominem eſſe album; nec prĉterea Socratem non eſſe album.

Ad duę contrariæ in materia neceſſaria poſsint ſimul eſſe falſæ.

Octauū argumentum in illud quod dictum eſt, duas enunciationes contrarias nō poſſe eſſe ſimul falſas in materia neceſſaria. Iſtę duę, Omne animal eſt rationale, Nullum animal eſt rationale, ſunt contrarię in materia neceſſaria; & prĉterea ambę ſunt falſę: ergo ſententia noſtra eſt falſa. Huic argumento bifariam reſpondetur, Primùm dicitur, illas enunciationes non eſſe in materia neceſſaria, ſed in materia impoſsibilis ſecundò aſſeritur eas non eſſe directas; & regulam ſuperiorem de directis eſſe intelligendam. Sed prior ſolutio impugnabitur à nobis cap. 13. in vltima parte capitis. Item, quia ſi ſunt in materia impoſsibili, non poſſunt eſſe ſimul falſę; ſicut nec iſtę, Omnis homo eſt lapis, Nullus homo eſt lapis. Secunda verò ſolutio manifeſtè refellitur ex his quę dicta ſunt lib. 2. cap. 10. ubi docuimus, hāc enunciationem, Animal eſt rationale, eſſe directa; quāuis hęc ſit indirecta, Animal eſt homo. Reſpondetur,

tur, igitur regulam eſſe intelligendam in enuntiationibus, quarum ſubiectum non latiùs patet prædicato, ſiue directę ſint, ſiue indirectę. Et quia animal latiùs patet, quàm rationale, ideo poſſunt eſſe ſimul falſę. Latiùs inquam patet, cum ſub ſe non modò hominem, ſed brutas etiam animantes contineat.

De Enuntiationum Aequipollentia, aut Iſodynamia. Cap. 7.

Quid ſit Aequipollentia.

SEcunda affectio enunciationum eſt Iſodinamia. Poſtquam enim de oppoſitione enunciationum egimus, explicare oportet, quo pacto diſsidentes enuntiationum egimus, explicare oportet, quo pacto diſsidentes enunciationes ad concordiã, conſenſionemq́ue reuocentur. Iſodynamia enim (uel ſi hoc uerbum minùs intelligitur, æquipollentiam appellemus licet) eſt duarum enunciationum eiuſdem ſubiecti & prędicati tanta concordia, ut nec quantitate, nec qualitate differant; id eſt, ſi vna aiens fuerit, altera aiat; & vna ſi neget, neget & reliqua: ac præterea ita ſint poteſtate pares, ut utraq; vniuerſa ſit, aut particularis vtraque. Quod ſanè fieri debet alicuius negationis beneficio. Nanque negatio (ut diximus capite 6.) eſt peſsimæ, intractabiliſque naturæ, & ſi poſt ſe inuenit negationem, efficit affirmationem; ſi offendit quidpiam generale, conſtituit illud particulare; ſi autem particulare reperiat, conſtituit vniuerſale. Et (ut ſummatim dicam) negatio quicquid poſt ſe inuenit, deſtruit; quod autem ante ſe poſitum eſt, intactum relinquit. Exemplum. In hac enunciatione, Omnis homo non eſt animal, illa negatio efficit ut verbum ſit negatum, at verò ſubiectum remanet vniuerſum, quia negatio poſtponitur illi, & non præponitur. In hac autem alia enunciatione, Non omnis homo eſt animal, homo ſumitur in particulari, quia licet prænotetur hoc ſigno Omnis; tamen tota eius vis, atque poteſtas per negationem præcedentem euertitur.

Negationis poteſtas.

Præcepta Iſodynamiæ.

Progrediamur igitur ab hoc principio ad ea quæ ex ipſo ſequuntur præcepta. Primum. Enunciationes contradicentes vt fiant concordes, alterutri earum præponatur negatio. Iſtæ duæ enunciationes, Omnis homo eſt albus, Aliquis homo non eſt albus, fiunt pares, ſi dicamus, Non omnis homo eſt albus, Aliquis homo non eſt albus; aut alio modo, Omnis homo eſt albus, Non aliquis homo non eſt albus. Huius præcepti ſtatim ſe offert probatio. Nam hæc enunciatio, Omnis homo eſt albus, eſt vniuerſa aientes: ergo ſi præponatur ei negatio, fiet particularis negans. Alterum præceptum. Si contrarias volueris ad conſenſionem reducere, alterutri earum eſt tibi poſtponenda negatio, ut iſtæ, Omnis homo eſt albus, Nullus homo eſt albus, æquipollent dicendo, Omnis homo non eſt albus, & Nullus homo eſt albus: uel dicendo, Omnis homo eſt albus, Nullus homo non eſt albus. Etenim hæc propoſitio, Omnis homo non eſt albus, quia eſt affecta ſigno vniuerſo, nempe Omnis, eſt vniuerſa; quia verò negatio ponitur ante verbum, eſt negans, & ita æquipollet vniuerſæ neganti. In his autem exemplis vnicam tantùm partem probamus, quia eadem ratione poteſt reliqua demonſtrari. Tertium. Enunciationes ſubalternæ prępoſita & poſtpoſita negatione debent ęquipollere. Exemplum. Iſtę enunciationes, Omnis homo eſt albus, Aliquis homo eſt albus, ęquiualent dicendo, Non Omnis homo non eſt albus, & aliquis homo eſt albus; ſeu aliter, Non aliquis homo non eſt albus; & Omnis homo eſt albus. Quartũ pręceptũ adhibetur ab omnibus Dialecticis. Subcontrarię

Peruulgata Dialecticorum opinio.

trariæ nullo modo poſſunt æquipollere, quia aut æquipollerent negatione alterutri earum præpoſita, aut poſtpoſita: aut & præpoſita & poſtpoſita; ſed horum nihil dici poteſt: ergo non poſſunt æquipollere. Propoſitio manifeſta eſt. Probatur aſſumptio. Primum ſi alterutri ſubcontrariarum præponatur negatio, æquipollebit ſuæ contradictoriæ uniuerſali, iuxta primam regulam; non igitur æquabitur ſubcontrariæ particulari. Iam ſi poſtponatur aienti, non æquipollebit neganti, ſed erit eadem penitus; non ſignificatione tantùm, ſed etiam voce. Si enim huic orationi, Aliquis homo eſt albus poſtponans negationem, fiet hæc alia oratio, Aliquis homo non eſt albus; quæ prorſus eadem eſt cum ſubcontraria negante. Quin etiam ſi relinquas intactam particularem aientem, & neganti poſtponans negationem, & dicas, Aliquis homo non eſt albus, committis nugationem, id eſt, eiuſdem uocis inutilem repetitionem. Tertiò ſi vni ex ſubcontrarijs præponas, & poſtponas negationem, æquipollebit ſubalternæ vniuerſali: non ergo ſuæ ſubcontrariæ. Vt ſi huic axiomati, Aliquis homo eſt albus, præponans & poſtponans negationem, dicendo, Non aliquis homo nõ eſt albus, æquipollebit huic alteri, Omnis homo eſt albus, quæ eſt vniuerſa aiens, & non ſuæ ſubcontrariæ particulari neganti: alioquin vna, eademque enuntiatio duabus contradicentibus æquipolleret. Hoc illorum præiudicium eſt, nunc ſequitur noſtra ſententia. Enuntiationes ſubcontrariæ poſtpoſita negatione æquipollebũt: principiò quidem ex parte aientis. Exemplum. Si huic pronuntiato, Aliquis homo eſt animal, poſtponatur hæc negatio, Nullum dicendo, Aliquis homo nullum eſt animal, fiet æquale huic, Aliquis homo non eſt animal. Quòd ſi falſum videtur alicui, dicat, quare non ſit ei æquipollens. Deinde verò poſſunt æquipollere neganti, poſtponendo negationem, idque bifariam. Primò abſque eiuſdem vocis repetitione; nam huic, Aliquis homo eſt animal, æquipollet hæc, Aliquis homo nonnullum eſt animal. Secundò repetendo eandem vocem. Huic enim pronuntiato, Aliquis homo eſt animal, hoc aliud, Aliquis homo non non eſt animal, omnino eſt æquale. Nec arbitreris cõmitti nugationem, quamuis eadem vox repetatur: nugatio enim eſt eiuſdem vocis inutilis repetitio; hæc autem non eſt inutilis, ſed vtilis ad Iſodynamiam. Denique vt eorum ſententiam, quibus ita eſt inuiſa repetitio negationis, funditùs euertamus, eſt argumentum. Nam ipſimet in tertia regula docent, duas ſubalternas æquipollere, ſi alterutri earum præponatur, & poſtponatur negatio. Sumo ergo duas ſubalternas negantes, & particulari præpono, & poſtpono negationem, tum certè ſic dicam, Non aliquis homo non eſt animal, quæ æquipollet huic, Nullus homo eſt animal. Quòd ſi dicas, id non eſſe magnopere neceſſarium, nam, poteſt dici, Aliquis homo nonnullum eſt animal, nec ipſe etiam tibi valde reſiſtam, dummodo hac negationum varietate, in ſubcontrarijs me vti poſſe, intelligas.

Peculiaris ac priuata ſententia.

Quæ ſigna paria iudicentur.

Ex his nonnulla cõſectaria inferamus. Primum eſt, has voces Non omnis, & Aliquis non; item Non aliquis non, & Omnis; inſuper Nonnullus, & Aliquis; deniq; Nõ aliquis, & Nullus, ex prima regula æquipollere. Ex ſecunda uerò iſtas Nullus non, & Omnis; ſimiliterq; Omnis non, & Nullus. Ex tertia tandem iſtas, Non omnis non, & Aliquis: ſicut etiam Nonnullus non, & Aliquis non. Secundum eſt, facillimum eſſe quauis enuntiatione propoſita, eius contradicentem aſſignare, ſi ei præponamus negationem. Verbi gratia. Petit aliquis contradicentem huius enuntiationis, Omnis homo qui eſt præditus virtute, eſt albus. Si ego dem ei hanc, Aliquis homo qui eſt præditus virtute, non eſt albus, facilè poterit meam ſententiam reprobare, dicens, illas non eſſe contradicentes, cùm poſſint eſſe ſimul falſæ. Nam ſi omnes homines

De cõtradicẽte enũtiatione tradenda.

ſint

ſint Aethiopes & iniuſti,falſum erit omnem hominem, qui prǣditus eſt virtute, eſſe albuم;cùm nullus homo ſit albus:falſum & illud erit,aliquem hominem qui prǣditus eſt uirtute,non eſſe album,cùm ſtatuamus, nullum eſſe virtute prǣditum hominem. At ſi prǣponam negationem illi met enuntiationi,quæ mihi propoſita fuerat,& dicam, Non omnem hominem qui prǣditus eſt virtute,eſſe album,non poterit contra me argumentari; quia prǣpoſui negationem toti enunciationi. Et ita nec aſſero, aliquem hominem virtute prǣditum dari, neque id nego; niſi reſpectu prǣdicati ſequentis. Cauſam autem huius conſectarij breuiter accipe. Duæ contradicentes ǣquipollent prǣpoſita alterutri earum negatione: igitur quæuis enuntiatio contradicet ſibi,ſi ipſi præponatur negatio. Iam experientia idem oſtenditur. Nam ſi te quiduis narrante, aliquis diceret,non eſſe ita vt dicis, cumulatiſsimè tibi contradictum putares. Nec poſſet vlla ratio fieri,ut tua,illiuſque ſententia aut ſimul eſſent veræ,aut vnà falſæ. Qui autem alicui enuntiationi negationē prǣponit, nihil aliud)meo iudicio)agit,quàm ille tuus,de quo agimus,cōtradictor Vellem hǣc diligentiſsimè annotari, quia nonnunquam proponuntur enuntiationes ita prolixæ, &(ut ſic dicam)ſuffarcinatæ,vt laborioſum ſit, alia ratione contradicere. Tertium conſectarium eſt,huic enuntiationi, Nullus homo nullum eſt animal,hanc ǣquiualere,Omnis homo eſt animal,quia illa idem valet atque hǣc, Nullus homo non eſt animal. Quòd ideò à me commemoratum eſt, ut intelligatur, quid in ſimilibus orationibus ſentire oporteat.

Obiectiones.

PRima in id quod dictum eſt, negationem deſtruere quicquid poſt ſe inuenit. Nam hǣc enuntiatio, Homo qui non erat albus, eſt albus, proculdubio eſt aiens;ſed ante omnia verba ponitur in ea negatio,ergo ſententia noſtra falſa. Reſpondetur,illud intelligendum eſſe, ſi negatio non ſit pars ſubiecti;cumque in enūtiatione propoſita negatio ſit pars ſubiecti, quippe cùm id totum, Homo qui non erat albus,ſit ſubiectum enuntiationis, nihil mirum eſt,ſi haud neget quicquid poſt ſe inuenit. Alij dicunt,eam doctrinam non eſſe intelligendam,quando negatio ponitur intra copulam implicationis. Verba diuerſa quidem ſunt, ſed idem omninò ſenſus. Addo prǣterea,quod de negatiōe ſcripſimus, non eſſe verum in enuntiationibus Hypotheticis. Quòcirca in hac enuntiatione, Petrus vel non eſt Leo,vel eſt Leo,negatio non negat quicquid poſt ſe inuenit. Num in omnia ſequētia uis negationis feratur.

Altera. Ex his quæ ſupra diximus ſequitur, has enūtiationes, Non homo eſt albus,& Nullus homo eſt albus,eſſe ǣquipollentes: quod expreſsè negat Ariſt. 1. Periherm.cap.5.in Boëthio, & 4.in Perionio. Reſpondetur, uerè eſſe ǣquales,quia vtraque eſt vniuerſa negans; Ariſt.autem eo in loco non diſſerebat ex profeſſo de vi,ac poteſtate negationum,ac proinde hac oratione,Non homo eſt albus,vſus eſt pro hac alia,Homo non eſt albus;quǣ re uera ſpecialis eſt,non vniuerſa.Sed ex eius prǣterea verbis in eodem capite noſtra confirmatur opinio: ait enim, has enuntiationes, Homo eſt albus, Nō homo eſt albus, eſſe contradicentes:ergo una eſt uniuerſa,& altera particularis.

De

De reciprocatione, vel conuerſione Enunciationum. Cap. 8.

Quid ſit reciprocatio & quotuplex.

POſtrema enũtiationũ affectio eſt reciprocatio,quę ſic definitur. Mutatio vnius enunciationis in aliam,inuerſo ordine extremorum. Verbi gratia. Hæc enũtiatio,Aliquod animal eſt homo,cõuertitur in hãc,Aliquis homo eſt animal: in qua extremũ, quod erat ſubiectum,fit prædicatum. Eſt autem duplex conuerſionis, vel reciprocationis genus ex Ariſtotele 1.Priorũ cap.2. vnum ſimplex alterum per accidens. Conuerſio ſimplex eſt,mutatio vnius enuntiationis in aliam ex terminorũ inuerſione, eadem tamen & quantitatę & qualitate ſeruata. Quantitate in quanſ retenta,vt ſi prior vniuerſa fuerit,ea quoq; in quã conuertitur,ſit vniuerſa; & ſi illa particularis,hæc quoque.Seruata qualitate,vt ſi vna ſit aiens,alte ra affirmet;ſi vna ſit negans,altera neget. Hoc autem genere conuerſionis poteſt recipro cari particularis aiens, vt Aliquis homo eſt animal, Aliquod animal eſt homo inſuperq́; vniuerſa negans,vt Nullus homo eſt lapis Nullus lapis:eſt homo;non tamen vniuerſa aiens & particularis negans,ſæpe enim daretur antecedens verum, & conſequens falſum. Vt omnis homo eſt animal, ergo omne animal eſt homo; itemq́;, Aliquod animal non eſt homo,ergo aliquis homo non eſt animal.Cõuerſio autem per accidens,quã alij Ex parte vocant, eſt,in qua eadem qualitas,non tamen quantitas,retinetur. Sed hoc genere conuerſionis reciprocatur primùm vniuerſa aiens, vt Omnis homo eſt animal,ergo aliquod animal eſt homo: deinde vniuerſa negans, vt nullus homo eſt lapis,ergo aliquis lapis non eſt homo. Enuntiationes autem particulares aiẽtes,aut negãtes hoc modo conuerti non debent,quoniam ex antecedente vero frequenter conſequens falſum colligeretur: vt Aliquis homo eſt animal, ergo omne animal eſt homo:item aliquod animal non eſt homo,ergo nullus homo eſt animal.Tertiũ cõuerſionis genus inuenerũt Dialectici Ariſt. poſteriores,quod per contrapoſitionẽ, vel contradictionẽ vocarunt.Eſt autem cõuerſio per cõtrapoſitionẽ,inuerſio extremorum enuntiationis, eandem quantitatem & qualitatem ſeruans;ſic tamen vt voces finitę in infinitas commutentur. Quo genere conuerſionis reflectitur vniuerſa aiens,vt Omnis homo eſt animal,ergo omne non animal eſt non homo, & particularis negans, vt Aliquod animal non eſt homo, ergo aliquod non homo non eſt nõ animal;quia videlicet Leo qui eſt non homo,non eſt nõ animal, cum ſit animal.

Cõuerſio ſimplex.

Cõuerſio p accidẽs.

Cõuerſio per cõtradictionẽ.

Hæc magna conſenſione à Dialecticis afferuntur,ſed nobis dicẽdum videtur,cõuerſionem eſſe duplicem, aliam extremorum eorũdem,aliam contradicentium, quæ per contrapoſitionem dicitur. Rurſum quemadmodum conuerſio eorũdem extremorum duplex ab omnibus ponitur, ſimplex & per accidens: ita nos dicimus,conuerſionem per contrapoſitionem eſſe duplicem, aliã ſimplicẽ,in qua eadem quantitas & qualitas retinetur,vt in ſuperioribus exemplis apparet;aliam per accidẽs,aut ex parte,quando ſeruatur eadẽ qualitas;ſed nõ quantitas: vt Omnis homo eſt animal: Ergo aliquod nõ animal eſt non homo. Et his perſpicuum fit,vniuerſam aientẽ tribus modis conuerti,ſcilicet conuerſione per accidens eorundẽ extremorum,& conuerſione tum ſimplici,tum per accidẽs terminorum contradicentium;particularem uerò aientem reciprocari conuerſione ſimplici, tam eorundem extremorum, quàm contradicentium;vniuerſam autem negantem conuerti reciprocatione ſimplici, ac per accidens eorundem extremorum:denique enuntiationẽ particularem negantem ſo-

ſolùm reflecti conuerſione ſimplici terminorum contradicentium. Perſpicuum ēt eſt, ab enuntiatione conuerſa ad conuertentem ſemper effici validum argumentum, vt Omnis homo eſt animal; ergo aliquod animal eſt homo: non tamen à conuertente ad conuerſam viciſsim commeare, atque reflecti conſequentiam, niſi in illis enuntiationibus, quæ ſimplici conuerſione reciprocantur. Cæterùm hæc intelligenda ſunt ex forma conuerſionis; nam ex materia cui applicatur conuerſio, non ſemel cōtrarium accidet; præſertim cùm ea, ex quibus enuntiatio conſtat, ſe inuicem conſequuntur. Bene enim ſequitur, Omnis homo eſt riſus particeps; ergo omne riſus particeps eſt homo.

Quomodo ſe habent enunciatio conuerſa, & ea in quā conuertitur.

Sed quoniam nemo eſt, qui non ſuis vtilitatibus accendatur, tenetq; omnes ſemper commoditatis occulta quædam titillatio, non erit ab inſtituto noſtro alienum, ſi breuiter, quas ad res harum affectionum comprehenſio inſeruire lectori poſsit, dicamus. Sanè horum cognitione nihil commodius eſſe poteſt, nec ſi tecum res tractes, nec ſi cum alio diſputes. Inuenta enim obſcura ſententia, de cuius veritate ambigatur, facilè intelligi poterit, veràne ſit, an falſa, ſi cum enuntiatione ei oppoſita, ſi cū æquipollente, ſi denique cum ea, in quam conuertitur, conferatur. Nam ſi eius contradicens eſt falſa, ipſa eſt vera; ſi vera, ipſa eſt falſa. Itē ſi eius ſubcōtraria eſt falſa, illa neceſſariò eſt vera; & ſi cōtraria eſt vera, neceſſariò ipſa erit falſa eius. Præterea qualis eſt eius æquipollens, talis eſt & ipſa: nā ſe mutuò in uero & falſo comitantur: vnaq; alteri perpetuò aſſentitur. Denique ſi enuntiatio in quam conuertitur, falſa eſt, nō poterit ipſa eſſe vera, quamuis interdum poſsit eſſe falſa, conuertente exiſtente vera; quum ſcilicet conuerſio non eſt ſimplex. Hoc quidem veri, aut falſi iudicium ad cōmunem oppoſitionis, æquipollentiæ, & conuerſionis vtilitatem pertinet; ſed oppoſitionis, & conuerſionis cognitio eſt præterea ad ſyllogiſmos imperfectos perficiēdos, abſoluendosque neceſſaria. Enimuero ſi ſecundæ aut tertiæ figuræ ſyllogiſmus ad primam ſit referendus reductione ad incommodum, uel impoſsibile, ignorata vi contradicentium id fieri nequit: ſi autem reductione, quæ dicitur recta, aut directa, vtendum eſt omninò reciprocatione. Quæ ergo ita ſunt vtilia, non ſunt iudicāda prolixa.

Vtilitates huius tractationis.

Quæſtiones.

PRima. Quare Ariſtoteles non meminit conuerſionis per contrapoſitionem j. Prior cap. 2? Reſpondetur. Quia de ea conuerſione diſſerebat, quæ inſeruire poſſet reductioni ſyllogiſmorum imperfectorum ad perfectos. At conuerſio per contrapoſitionem vix quicquam emolumenti ad huiuſmodi negotium affert.

Secunda. Quomodo dictum eſt, particularem aientem non poſſe ex forma conuerti in vniuerſam, cùm id fiat in reductione modi Baraliptō ad Barbara? Sed huic dubio reſpondebimus libro ſeq. cap. 9.

Tertia. Hæc enuntiatio, Aliqua arbor eſt in agro, in quam conuertitur? An fortè in hanc, Aliquis ager eſt in arbore? Conuerſa enim eſſet vera, & conuertens falſa, cōtra quàm diximus. Reſpondetur, enuntiationes, quarum prædicatum ponitur in obliquo, non priùs conuerti, quàm reſoluātur in enuntiationes prędicati recti, ideſt, caſus nominandi. Itaq; illa priùs erat diſſoluenda in iſtam, Aliqua arbor eſt exiſtens in agro: tumq; poſſet conuerti in iſtam, Aliquid exiſtens in agro, eſt arbor: Eodem mō hæc oratio, Plato videt cæcum, non eſt conuertenda in hanc, Cæcus videt Platonem,

Aliqua arbor eſt in agro quō conuertatur.

ſed in iſtam, Aliquis videns Cæcum, eſt Plato.

De enũtiationib.futuri,ac p̃teriti temporis.

Quarta quæſtio. Hæc enuntiatio, Senex fuit puer, conuerti turne in hanc, Puer fuit ſenex? Nam ſi ita fiat, ex antecedente verò conſequens falſum colligetur. Reſpondetur, non conuerti in illam, ſed in hanc, Is qui fuit puer, eſt ſenex. Etenim hmõi enuntiationes, quæ conſtant tempore præterito, aut futuro, quæ ab alijs appellantur extrinſeci, uel obliqui temporis, non priùs debent conuerti, quàm reſoluātur in alias, in quibus ponatur verbum præſentis. Exemplum. Hoc pronuntiatum, Senex fuit puer, primùm quidem reſoluendum eſt in iſtud, Aliquis qui eſt ſenex, fuit puer; & tũc facilè reciprocabitur, dicẽdo, Aliquis qui fuit puer, eſt ſenex. Nõ aliter hoc axioma, Puer erit ſenex, ſi priùs diſſoluatur in iſtud, Aliquis qui eſt puer, erit ſenex; facilè conuertetur, dicendo, Aliquis qui erit ſenex, eſt puer. Non tamen carent dubitatione ea, quæ diximus, cùm etiam ſeruata hac methodo, detur antecedens verum, & conſequẽs falſum. Etenim ſi de Platone olim ſene iam mortuo diſputemus, hæc enũtiatio eſt vera, Aliquis ſenex fuit puer; & tamen de ipſo hæc eſt falſa, Aliquis qui fuit puer, eſt ſenex. Si enim iam mortuus eſt, quomodo eſt ſenex? Proinde annotandum eſt, in enunciationibus quæ conſtant temporis præteriti verbo, magnum eſſe diſcrimen inter ea, quæ præcedunt verbum, & quæ ſequuntur; quòd eorum quæ præcedunt, ſignificatio dilatetur ad ea, quæ ſunt, vel fuerunt: eorum autem quæ ſequuntur, coarctetur ad tempus præteritum. Exemplis fiet res inſignis, atque perſpicua. Vt hæc enuntiatio, ſenex fuit puer, vera ſit, ſufficit, aliquem, qui nũc eſt ſenex, fuiſſe puerum, vel etiam aliquem, qui etſi nunc iam non eſt, fuit tamen ſenex, fuiſſe puerum. Vnde patet, ſignificationem illius vocis Senex, dilatari ad rem, quæ eſt, vel fuit: at verò ſignificationem illius vocis Puer, quoniam ſequitur præteritum verbum, neceſſariò comprimi in eum, qui fuit puer. Quamobrem hęc propoſitio, ſenex fuit puer, antequam conuertatur, reſoluẽda eſt in hanc, Aliquis qui eſt, vel fuit ſenex, fuit puer: & tunc conuerti debet in hanc, Aliquis qui fuit puer, eſt, vel fuit ſenex. At hæc enuntiatio vera eſt etiam de Platone ſene iam mortuo. Eadem analogia explicandæ ſunt enuntiationes futuri temporis; nam voces quæ ponuntur ante verbum, dilatantur quodammodo ad tempus futurum, & præſens. Quocirca hoc pronuntiatum, Puer erit ſenex, æquiualet huic, Is qui eſt, uel erit puer, erit ſenex: conuertiturq; in iſtud, Is qui erit ſenex, eſt, uel erit puer. Hi qui diſcipulorum tantùm laudes & admirationem quærunt, quoniam hæc in aliquo Grammatico non reperient, iudicabunt eſſe figmenta. Hic eſt enim eorum mos. At quibus veritas ſola ſcopus eſt, non inanes tantùm voces aliter ſentire debebunt. Nam iſta non eſſe figmenta, probatur. Tempore enim Apoſtolorum hæc erat uera, Antichriſtus erit malus, tametſi nondũ Antichriſtus exiſteret. Sed quia verè dici poterat, Is qui eſt, uel erit Antichriſtus erit malus, ideò verè etiam dicebatur, Antichriſtus erit malus. Præterea quum erit Antichriſtus infantulus, iure optimo dici poterit, Antichriſtus erit malus; quia is qui eſt Antichriſtus, erit malus. Ergo ſignificatio nominis Antichriſti, quoniam uerbũ futuri temporis antecedit, ita fertur in rem quæ erit, ſicut in rem quæ exiſtit. Deniq; Chriſtiani quum loquimur de beato illo Symeone, qui CHRISTVM Redemptorem adhuc puerum eſt complexus, verè dicere poſſumus, ſenex puerum portauit: at ille iam non eſt ſenex, cùm obierit; nec quando reſurget erit ſenex: Ergo illa vox ſenex, quoniam præponitur verbo præteriti temporis, ita accipitur pro eo qui olim fuit ſenex, ſicut pro eo qui eſt actu ſenex. Nam etiam antequam Symeon moreretur, eratq; actu ſenex, poterat de eo dici, Hic ſenex puerum portauit.

Verba pręteriti tẽporis quid in enũtiatione efficiãt.

Quã vim habeant verba futuri temporis.

Quinta

Quinta quæſtio. Hæc enuntiatio, Aliqua ſpecies eſt homo, quæ profectò de ſpecie humana eſt vera, conuerti turne in hanc, Aliquis homo eſt ſpecies? Nam hæc falſa eſt, Quippe cùm aliquis homo indiuiduum ſit vagum, non ſpecies. Non igitur particularis aiens in particularem aientem ſemper conuertitur. Reſpondetur, regulam ſuperiorem intelligi, quando & ſubiectum & attributum ſunt entia rei. Quum autem ſubiectum eſt ens rei, & prædicatum pertinet ad ſecundas notiones, non põt certa regula adhiberi: niſi fortè dicamus, illam enuntiationem ita eſſe conuertendam, Aliquid quod eſt homo, eſt ſpecies. Maiora dubia poterant hoc loco proponi, ſed quum de Modificatarum enuntiationum reciprocatione agemus, expedientur: illa enim quoniam obſcura ſunt, longiora eſſe debebunt: hæc contra cùm ſint perſpicua, longa eſſe non debent. Aliqua ſpecies eſt homo.

Quid ſit Modificata, ſeu Modalis enuntiatio. Cap. 9.

ANtequam ad enuntiationes Hypotheticas accedamus, oportet de Modificatis agere, quoniam Categoricæ ſunt, ſicut & ſimplices, de quibus hucuſq; tractauimus. Peculiarem autem exigunt diſputationem, q̃m ingentes habent difficultates, & in eis antiqui Philoſophi grauiter errauerunt. Ac tria quidem explicanda ſunt nobis: primùm quid ſit enuntiatio modificata; alterum, quotnam ſint modi qui huius generis enuntiationes conſtituunt: poſtremò quomodo ipſe inter ſe opponãtur, qui reciprocentur, & æquipolleant.

Modalis enuntiatio eſt, quæ non ſolùm aliquid de aliquo enuntiat, ſed præterea modum quo illi conuenit, explicat. Hæc enuntiatio, Ariſt. ambulat, oſtendit motum ambulationis Ariſt. conuenire: hæc tamen alia, Ariſt. ambulat contingenter, explicat etiam modum, quo ambulatio ei competit. Stomachum mihi profectò mouent hoc loco quidam Dialectici, qui uel Philoſophia repugnante, de verbis magis, quàm de rebus ipſis laborant. Nos enim miris modis lacerant, & quaſi Barbaros rident, q̃ huiuſmodi enuntiationes Modales appellemus. Cicero libro de Fato, ſtatim in principio, quia pertinet, inquit, ad Mores; nos eam partem Philoſophiæ de moribus appellare ſolemus; ſed decet, augentem linguam Latinam, nominare Moralem. Hæc quidem ille. Si quia de moribus tractat, eleganter Moralis dicitur, idq; à Cicerone; cur obſecro ea de quibus nunc agimus pronuntiata, quandoquidem modis conſtãt, ac diſtinguuntur, non dicentur Modalia? Audi præterea lector Ciceronem, de bonorum, malorumq; Finibus lib. 3. ita ſcribentem. Si Zenoni (ait) licuit quum rem aliquam inueniſſet inuſitatam, inauditum quoque ei rei nomen imponere, cur non liceat & Catoni? Adde. Cur non Boëthio, ac diuo Thomæ, & Cardinali etiam Caietano? An reuocandus eſt ab inferis Cicero, vt tanquam ſeruus aliquis nomenclator noua rerum nomina faciat? At neque iſtud hi cupiunt, ſed huiuſmodi cauſam ad ſuum, ideſt Grammaticorum, tribunal referri volunt. Modificatæ inquiunt appellentur. Quaſi verè Cicero modificata vocet ea, quæ his modis conſtant, & non potiùs ea quæ ſuæ naturæ conſentaneam menſuram ac modum retinent. Hos igitur nobis ſeueros, ſuis autem corruptiſsimos iudices relinquamus, & eas, de quibus nunc agimus, enuntiationes vocemus Modales, & interdum etiam, ne omninò ſumus inexorabiles, Modificatas. Ignoſcat lector, ſi in eos digredimur, quos Latinæ linguæ prætextu ſcimus, nobis hoſtes futuros. Ad rem igitur redeamus.

Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiã ſuã, ne ſapiẽs ſibi videatur.

Notanda Ciceronis ſententia.

Tria in uerbo latentia.

In verbis tria inueniuntur, res ſignificata, tempus ad ſignificatum, & coniunctio prædicati cum ſubiecto. Vt in hac enuntiatione, Petrus ſedet, verbum ſedet primò ſignificat ſeſsionem, ideſt, ſitum quendam corporis: ſecundò adſignificat tempus præſens; denique ſeſsionē conuenire Petro, deſignat. Quare tribus etiam modis verbum poterit in enuntiatione modificari, primùm ex parte rei ſignificatæ, vt quum dicimus, Petrus ſedet inurbanè, ſignificatur modus ſedendi agreſtis & incultus. Deinde ratione temporis, ut quum dico, Petrus ſedebat heri, coarctatur tempus præteritum ad diem heſternum. Demum gratia connexionis prædicati cum ſubiecto, vt quum dico, Petrus ſedet contingenter, explico modum, quo ſeſsio conuenit Petro. Non enim ſignifico modum ſeſsionis, ſed modum, quo ſeſsio, qualiſcunque ea ſit, Petro connectitur. Primus & ſecundus modus enuntiationum modificatarum, quoniam priuatas difficultates non habent, à præſenti diſputatione reijciuntur; ſoluſq; tertius tractandus aſſumitur. Itaque modalis enuntiatio eſt, quæ non tantùm ſignificat, prædicatum conuenire ſubiecto, ſed modum etiam connexionis, prædicati cum ſubiecto, enuntiat.

Triplex Modificatarum enũtiationum genus.

De modis conſtituentibus Enuntiationes Modificatas. Cap. 10.

Octo modi in quatuor reſol uuntur.

QVanquam autem octo ſint modi, quibus ita reddi poteſt enuntiatio Modificata, ſcilicet, Neceſſe, Contingens, Impoſsibile, Poſsibile, Per ſe, Per accidens, Verum, & Falſum: vt quum dicimus, Petrum currere eſt neceſſe, aut contingens, aut poſsibile, aut impoſsibile, aut verum, aut falſum; aut dicimus, Petrus currit per ſe, aut per accidens: tamen ſolùm hi quatuor modi ſunt tractandi Poſsibile, Impoſsibile, Neceſſe, & Contingens; nam Verum & Falſum nulla propria difficultate conſtant: & Per ſe reducitur ad Neceſſarium, Per Accidens uerò ad Contingens. Quòd ſi aliqua ſe offerunt peculiaria dubia circa Per ſe, & Per accidens, in libris Poſteriorum Analyticorum, & in Metaphyſica pertractantur. Denique dicere poſſumus, ad noſtram tractationem ſolùm pertinere tres modos, ſcilicet Neceſſe, Impoſsibile, & Poſsibile, quoniam, vt poſtea demonſtrabimus, poſsibile & contingens ſola voce differunt.

Variæ rationes col locādi mo dos.

Cæterùm hic nonnulla ſunt obſeruanda. Primum eſt, modos poſſe collocari in enuntiatione quaſi aduerbia, & quaſi nomina. Quando ponuntur vt nomina, illa ſñía, cui iunguntur, Infiniti modi eſſe debet; vt Contingens eſt Petrum ſedere: quum autem vt aduerbia, erit Indicantis modi; vt Petrus neceſſariò ſedet. Nos tamen, ut faciliùs procedamus, ſemper vtemur ipſis ut nomina ſunt. Alterum eſt, enuntiationes in quibus ponitur Modus vt nomen, conſtare tribus partibus, dicto, modo, & copula. Vt in hac enũtiatione, Petrum currere eſt neceſſe, Dictũ eſt, Petrum currere; Modus eſt neceſſe; Copula autem eſt ipſum verbum Eſt, quod modum nectit cum dicto. Tertium eſt, duobus in locis poſſe collocari modum in enuntiatione modificata: primùm extra dictum, idq; aut ante, aut poſt, ut Neceſſe eſt Petrum currere, & Petrum currere eſt neceſſe: ſecundò intra partes dicti, ut Petrum neceſſe eſt currere. Differunt autem hæ collocationes; nam quando modus ponitur extra dictum, appellatur modalis compoſita; quando intra dictum, uocatur diuiſa. Quare hæc enuntiatio, Album eſſe nigrum, eſt contingens; reddit hunc ſenſum, res ſimul poteſt candorem & atrorem recipere; uel album manens, album poteſt eſſe nigrum.

Modalis compoſita & diuiſa.

Hæc

Hæc uerò, Album poſsibile eſt eſſe nigrum, ita exponitur, res quæ eſt alba, poteſt eſſe nigra: at non eſt neceſſe, ut ſimul ſit alba & atra. Quamobrem modalis compoſita, ſi eius Dictum conſtet ex ſubiecto & prædicato repugnantibus, & ſit aiens modi poſsibilis, contingentis, aut neceſſarij, ſemper eſt falſa: ſi autem ſit diuiſa, nequaquam. Sanè hoc diſcrimen inter modificatas compoſitas, ac diuiſas memoriæ eſt commendandum; eo enim vtuntur Theologi ſcholaſtici, quum de prædeſtinatione diſputant. In alijs verò, quæ ad Iſodynamiam oppoſitionem, & reciprocationem harum enuntiationum pertinent, nullum eſt diſcrimen inter compoſitas & diuiſas. Ceterùm claritatis gratia ſemper agemus de ipſis in ſenſu compoſito, ne modus poſitus intra partes dicti rem obſcuram obſcuriorem efficiat.

De Iſodynamia, vel Aequipollentia harum enuntiationum. Cap. 11.

NVlla propoſita ſunt dubia in ſuperioribus capitibus, quia genus hoc enuntiationum multis inuoluitur difficultatibus; ſaltemque eius initia debent eſſe perſpicua. Accedamus igitur ad id quod nobis extremum propoſuimus, & de oppoſitione, Iſodynamia, & reciprocatione modalium diſſeramus: ſed primùm de iſodynamia, quia ea expoſita, facilè erit oppoſitione agere. Optimè de omnibus Dialecticis meritus Doctor Frater Petrus Hiſpanus quædam vocabula reperit, quibus iſodynamia modificatarum enuntiationum & intelligi facilè, & intellecta diutius retineri poſſet; nempe Amabimus, Edentuli, Illiace, & Purpurea. Quodlibet autem vocabulum quatuor ſyllabis conſtat, quarum cuique ſua reſpondet enuntiatio; ea tamen lege, ut enuntiationum prima conſtet modo poſsibili, ſecunda contingenti, tertia impoſsibili, quarta neceſſario. Vnde conſurgunt ſexdecim enuntiationes modificat. Nec quidem inaniter quatuor vocales in illis nominibus collocãtur, A nimirum, E, I, & V. Nam A, deſignat enuntiationem ſibi coniungendam futuram eſſe aientem dicti & modi; E, verò poſtulat enuntiationem dicti negati, & modi affirmati: I, contrario modo ſe habentē: V, denique dicti, & modi negati. Exempli gratia ſumamus vocabulum Amabimus, cuius prima vocalis, quæ eſt A, denotat enuntiationem poſsibilis futuram eſſe aientem dicti & modi; ut Socratem currere eſt poſſibile. Secunda eſt etiam A, & deſignat enuntiationem modi contingentis huic ſimilem eſſe debere, vt Socratem currere eſt contingens. In quouis enim vocabulo duæ priores ſimiles ſunt, quia enuntiationes poſsibilis, & contingentis nulla re differunt. Tertia vocalis eſt I, indicat autem enuntiationem modi impoſſibilis eſſe negantem quoad modum, non quoad dictum, vt Socratem currere non eſt impoſsibile. Sed poſtrema vocalis eſt V, quę enuntiationem modi neceſſarij negantem dicti & modi requirit, vt Socratem non currere non eſt neceſſe.

Artis vocabula modalibus enuntiationibus explicandis vtilia.

Facilè eſt nunc pręſcribere regulas ęquipollentię. Prima. Cuicunq; dicto affirmato tribuitur poſsibile, eidem & contingens, ab eodem remouetur impoſsibile, & ab eius contradictorio remouetur neceſſe. Secunda. Cuicunque dicto negato tribuitur poſsibile, eidem & contingens, ab eodem remouetur impoſsibile, & ab eius contradictorio remouetur neceſſe. Et inſeruit huic regulę vocabulum Edentuli, non aliter quàm ſuperiori amabimus. Tertia. A quocunque dicto affirmato remouetur poſsibile, ab eodem contingens, eidem tri-

Leges æquipollentiæ.

buitur impoſsibile, & in eius contradictorium quadrat neceſſe. In vſum autem huius regulæ inuentum eſt nomen Illiace. Extrema. A quocunque dicto negato remouetur impoſsibile, ab eodem & contingens, eidem tribuitur impoſsibile, & eis contradictorio accommodatur neceſſe. Cui regulæ vocabulum Purpurea eſt coniunctum.

Exemplum commune.

Amabimus.
- Petrum non loqui eſt poſsibile
- Petrum loqui eſt contingens.
- Petrũ nõ loqui nõ eſt impoſsibile.
- Petrũ non loqui non eſt neceſſe.

Edentuli.
- Petrum non loqui eſt poſsibile.
- Petrũ non loqui eſt contingens.
- Petrũ non loqui non eſt impoſsi.
- Petrum loqui non eſt neceſſe.

Illiace.
- Petrum loqui non eſt poſsibile.
- Petrũ loqui non eſt contingens.
- Petrum loqui eſt impoſsibile.
- Petrum non loqui eſt neceſſe.

Purpurea.
- Petrũ non loqui nõ eſt poſsibile.
- Petrũ non loqui nõ eſt cõtingẽs.
- Petrũ non loqui eſt impoſsibile.
- Petrum loqui eſt neceſſe.

In pauciora præcepta, ſupiores leges redigũtur. Sed ſuperiores leges poſſunt in duas redigi; prima, quæ ſua viduas priores continet, eſt huiuſmodi. Cuicunque dicto (ſiue aiens, ſiue negans ſit) poſsibile & contingens accomodantur, ab eodem negatur impoſsibile, & ab eius contradictorio remouetur neceſſe. Secunda regula, in qua duæ poſteriores colliguntur, ad hunc modũ proponitur. A quocunque dicto remouetur poſsibile & contingens, eidem tribuitur impoſsibile, & eius contradictorio applicatur neceſſe. Quamobrem omnes enũtiationes poſitæ in Amabimus, æquipollent inter ſe ipſas; & poſitæ in Edentuli, inter ſe; & poſitæ in Illiace, inter ſe; & deniq; omnes quatuor poſitæ in Purpurea æquipollent inter ſe ipſas. Ex his perſpicuum fit, tres priores enuntiationes cuiuſque vocabuli eſſe ita ſimiles quoad dictum, vt ſi dictum prioris ſit aiens, dictum ſecundæ & tertiæ ſit aiens; ſi negans, ſimiliter: at dictum quartæ ſemper eſſe diſsimile præcedentibus. Perſpicuum etiam fit, quòd attinet ad Modum, primam & ſecundam enuntiationem cuiuſque vocabuli eſſe ſimiles inter ſe, & tertiam & quartam etiam inter ſe: ſemper tamen Modum duarum ſuperiorum eſſe diſsimilem modo inferiorum, quòd attinet ad affirmationem & negationem.

Tres regulæ aliorũ. Alij has æquipollentias explicant tribus regulis. Prima eſt. Enuntiationes modi Poſsibilis & Impoſsibilis æquipollent, dicto ſimiliter ſe habente, modò autem diſsimiliter: id eſt, ſi vtriuſque Dictum ſit aiens, aut utriuſque negans: Modus verò vnius affirmetur, & alterius negetur.

Ecce tabulam.

Petrum ſtare eſt poſsibile.	Petrum ſtare non eſt impoſsibile.
Petrum non ſtare eſt poſsibile.	Petrum non ſtare non eſt impoſsibil.
Petrum ſtare non eſt poſsibile.	Petrum ſtare eſt impoſsibile.
Petrum non ſtare non eſt poſsibile.	Petrum non ſtare eſt impoſsibile.

Se-

Secunda regula. Enunciationes impoſsibilis, ac neceſſarij idem omninò valent, dicto diſsimiliter,& modo ſimiliter ſe habente.

Exemplar.

Petrum ſtare eſt impoſsibile.	Petrum non ſtare eſt neceſſe.
Petrum non ſtare eſt impoſsibile.	Petrum ſtare eſt neceſſe.
Petrum ſtare non eſt impoſsibile.	Petrum non ſtare non eſt neceſſe.
Petrum non ſtare non eſt impoſsibile.	Petrum ſtare non eſt neceſſe.

Tertia regula. Enuntiationes Poſsibilis & Neceſſarijs erunt pares, ſi tam dicto, quàm modo diſcrepent, hac ratione.

Petrum ſtare eſt poſsibile.	Petrum non ſtare non eſt neceſſe.
Petrum non ſtare eſt poſsibile.	Petrum non ſtare eſt neceſſe.
Petrum ſtare non eſt poſsibile.	Petrum non ſtare eſt neceſſe.
Petrum non ſtare non eſt poſsibile.	Petrum ſtare eſt neceſſe.

Quoniam autem in tradendis his regulis ſemper exempla dicti ſingularis poſuimus, accipienda eſt alia regula, quæ verius eſt conſectarium præcedentium, circa enuntiationes dicti non ſingularis. Quotieſcunque dictum in tribus prioribus fuerit, vniuerſale in quarta enuntiatione modi neceſſarij debet eſſe particulare;&ſi in tribus prioribus fuerit particulare, in quarta ſumendum eſt vniuerſale. Niſi enim id obſeruetur nonnunquam, fiet, vt vnius, eiuſdemque vocabuli enuntiationes non æquipolleant inter ſe. Verbi gratia. Iſtæ ennntiationes ſunt in De enūtiationibus dicti communis.

Purpurea:
- Nullum animal eſſe hominem non eſt poſsibile.
- Nullum animal eſſe hominem non eſt contingens.
- Nullum animal eſſe hominem eſt impoſsibile.
- Omne animal eſſe hominem eſt neceſſe.

& tamen quarta eſt falſa;quæ fuiſſet vera;ſicut tres priores, ſi dictũ fuiſſet particulare;ſcilicet, Aliquod animal eſſe hominem eſt neceſſe. Præterea in quauis regula earum, quæ poſitæ ſunt in hoc capite, aſſeruimus, dictum enuntiationis neceſſarij debere eſſe contradictorium dicti aliarum enuntiationum, ſed dictum vniuerſale eſt contradictorium dicti particularis;& è diuerſo:Ergo uerum eſt etiam, quod nunc cõſectarij, appendicisque loco diximus. Sed id quidem verum eſt ad ſeruandas æquipollentias; an autem ſufficiat ad explicandam contrarietatem, cap. 12. dubio 2. videbis.

Controuerſia.

HAec quatuor enuntiationes, Aliquem hominem eſſe animal eſt poſsibile, Aliquem hominem eſſe animal eſt contingens, Aliquem hominem eſſe animal non eſt impoſsibile, Nullum hominem eſſe animal non eſt neceſſe, ſunt in Amabi- Quomodo ſumatur poſsibile in his

enũtiatio-nibus. nus;ſed non ſunt æquipollentes,aut pares:ergo male docuimus,omnes enuntiationes,quæ ad idem vocabulum pertinent, eſſe concordes. Propoſitio eſt apertiſsima. Probatur aſſumptio. Poſteriores ſunt veræ,& priores falſæ, cùm aliquem hominẽ eſſe animal,non ſit contingens, ſed neceſſarium & eſſentiale:ergo nõ ſunt æquipollẽtes. Qui enim fieri poteſt,vt idem omninò polleant,& duæ ſint veræ alijs exiſtentibus falſis? Idem argumentum contra Edentuli poteſt adduci. Nam iſtæ enuntiationes, Aliquem hominem non eſſe Leonem eſt poſsibile, Aliquem hominem non eſſe Leonem eſt contingens, Aliquem hominem non eſſe Leonem non eſt impoſsibile, Omnem hominem eſſe Leonem non eſt neceſſe, ſunt in Edentuli,& tamen poſteriores ſunt veræ, & priores falſæ;quia hominem non eſſe Leonem neceſſarium eſt,& non contingens.

Sed vt ea,quæ copioſiſsimè dici poſſunt,breuiter à me,ſtrictimq́ue dicantur,obſeruandum eſt primum, contingens accipi in his enuntiationibus, vt ſignificat idem quod poſsibile. Ob hanc enim cauſam enuntiationes poſsibilis & contingentis ſemper eodem modo ſe habent, quoad dictum,& quoad modum. Obſeruandum eſt ſecũdò, poſsibile interdum accipi pro eo quod poteſt eſſe,& non eſſe; vt Poſsibile eſt me ambulare,quia poſſum ambulare,& non ambulare. Diciturq́ue à nonnullis poſsibile Phyſicum, ab alijs verò poſsibile ſtrictum,vel propriũ. Interdum autem ſumi pro eo,quod poteſt eſſe, id eſt,pro eo quod non repugnat eſſe; ut Poſsibile eſt me eſſe animal,& ambulare quoque;quia nihil horũ mihi repugnat: appellaturq́ue à nõnullis poſsibile Logicum, ab alijs verò poſsibile altũ,vel latum. Diſcrimen autem eſt inter hæc duo poſsibilis genera,ꝙ primũ inueniatur ſolùm in rebus fortuitis,ſecundum verò & in ijs,& in rebus etiã neceſſarijs. Quæ fuit cauſa,vt illud prius à Chryſoſtomo Iauello ſtrictum,poſterius autem latum,aut altum,& eminens in Metaphyſicis quæſtionibus diceretur. Iam ergo reſpondeamus argumento,omnes enuntiationes poſitas in Amabimus in ſuperiori argumento eſſe veras;nec illas eſſe falſas, quę aſſerunt eſſe poſsibile, aut contingens,aliquem hominem eſſe animal: in eis enim cõtingens ſumitur pro eo, quod vſu venire poteſt,& quod eſt poſsibile. Poſsibile autẽ ſecundo modo accipitur, & ſanè conſtat, vnam & eandem enuntiationem poſſe eſſe poſsibilem & neceſſariam,ſumendo ita ipſum poſsibile. Ex quibus conſtat quid de Edentuli ſentiendum ſit.

Poſsibilis ambiguitas.

De hac tamen re eſt controuerſia inter Caietanum 2. Periher lect. 10.& Iauellum in Compẽdio Logicæ tractatu 3. capite 6. Iauellus enim vult ſumi illo priori modo, ſed Cardinalis Caietanus,cui ego uehementer aſſentior,docet,poſteriori accipiendũ eſſe. Quare autem Caietani ſententiam præferam,explicabo. Nam & ſuperius argumentum me omninò comprimit, & quæ ſequuntur,non uideo,qua ratione poſſint diſſolui. Omnium enim conſenſu Purpurea & Amabimus ſunt oppoſita ſubalterna,& Purpurea habet ſe ut ſuperior,Amabimus ut inferior; quod ſequenti capite exponemus:Ergo iuxta ſubalternarum legem ex qualibet enuntiatione, quæ eſt in Purpurea, inferri poterit quæuis earum quæ ſunt in Amabimus. Cùm igitur hęc enuntiatio, Omnem hominem eſſe animal eſt neceſſe,ſit in Purpurea, ex ea hęc alia colligetur, Aliquem hominem eſſe animal eſt poſsibile,quæ eſt in Amabimus. At ſi poſsibile accipiatur primo modo,non rectè ſequetur,Hoc eſt neceſſe; ergo hoc eſt poſsibile,Itaq; poſsibile ſecundo modo ſumitur. Sed quid in re manifeſta probationes accumulo? Nonne Ariſtoteles ipſa de Modalibus enuntiationibus diſputans,docet,ad neceſſe eſſe, ſequi poſsibile eſſe? Nonne ipſe ſub finẽ capitis modificatarum

Caietani, Iauelliq; controuerſia.

enun-

enuntiationum,poſtquam de earum iſodynamia diſſeruiſſet, tractat,an poſsibile ſumatur pro eo,quod poteſt eſſe;an vero pro eo quod poteſt eſſe & non eſſe:& docet accipi pro eo,quod poteſt eſſe? Explodenda eſt igitur Iauelli ſententia. Non deſunt tamen argumenta,quæ,virum alioqui eruditiſsimum,& Ariſtotelis fideliſsimũ ſectatorem, in eam opinationem inclinare potuerũt. Quare tametſi ille eis minimè vtatur,à nobis & proponentur,& diſſoluentur,ne quiſpiam decipiatur. Potiſsima antè probatio ſit,quia Ariſtoteles 1. Prior. docet,illud eſſe poſsibile, quod poteſt eſſe,& non eſſe. Reſpondetur Ariſtotelem eo in loco ſumpſiſſe poſsibile primo modo; non enim agebat tunc de iſodynamia & æquipollentia diuerſorum modorum inter ſe. Altera eſt. Ariſtoteles lib. 2. Periherm. agens de modificatis enuntiationibus,aſſerit, bene ſequi,Hoc eſt poſsibile eſſe; ergo hoc eſt poſsibile non eſſe: igitur etiam in hoc capite ſumitur poſsibile primo modo. Reſpondetur. In prima parte capitis,vbi non diſputatur de æquipollentia modi poſsibilis, & aliorum modorum; potuiſſe Ariſtotelem accipere poſsibile primo modo;at in ſecunda non ſumpſiſſe primo,ſed ſecundo modo. Nec quenquam moueat, illud,quod Ariſtoteles in ſecunda parte capitis tradit poſsibile in vtranque partem cadere poſſe; id eſt, poſſe eſſe, & non eſſe. Non enim vult docere, poſsibile vt pertinet ad iſodynamiam, accipi primo modo, ſed tantùm docet, id quod eſt poſsibile ſecundo modo, aliquando eſſe poſsibile primo. Sicut de ratione animalis non eſt eſſe particeps mentis, veruntamen animal aliquando eſt rationis compos. Vltima probatio: Si Ariſtoteles non diſputauit de iſodynamia poſsibilis ſumpti primo modo,ergo fuit in hac re diminutus; cùm etiam poſsibile primo modo conſtituat enuntiationes modificatas. Nec idonea eſſet reſponſio, ſi diceretur, Ariſtotelem diſputaſſe de poſsibili ſecundo modo,ſub quo continetur poſsibile primo modo,vt inferius ſub ſuperiori; nam eadem ratione non debuiſſet agere de modo neceſſario,cùm etiam neceſſarium contineatur ſub poſsibili ſecundo modo;vt ante diximus. Quæ cùm ita ſint, dicimus, Ariſtotelem multa vtilia reliquiſſe;alioqui inutilia eſſent omnium interpretum commentaria,vaneq́ue torquerentur in ſcholis magiſtri,in difficillimis quæſtionibus explicandis,quarum Ariſtoteles nec meminit quidem. Item dicimus,Ariſtotelem reliquiſſe(quod attinet ad iſodynamiam)poſsibile ſumptum primo modo,quia non poteſt explicari,quomodo æquipolleat alijs modis. Tertiò dicimus,Ariſtotelem agere de hoc poſsibili 1. Priorum,ſed in ſtudioſorum gratiam,antequam finem huic tractationi imponamus,de eo nos diſputaturos.


Argumenta quę Iauelli opinionẽ nõ nihil adiuuant.

Etiã aliorum ingenia ſunt.

De Modificatarum enuntiationum oppoſitione. Cap. 12.

IN tres partes hæc diſputatio diuidetur. Prima oppoſitionem modorum inter ſe explicabit,ſecunda repugnantiam enuntiationum eiuſdem modi aperiet,tertia demum illorum vocabulorum Amabimus,Edentuli,Illiace,& Purpurea,diſcrepantiam indicabit. Itaque ex his modis Neceſſe & Impoſsibile opponuntur contrariè; Poſsibile,& Poſsibile non; ſubcontrariè: Neceſſe & poſsibile non,contradictoriè: ſicut Impoſsibile & Poſsibile,vt patet in hac tabula.

Neceſ-



Ratio autem horum eſt,quia enuntiationes aientes, compoſitæ ex neceſſe & impoſsibili,poſſunt eſſe ſimul falſæ; ſimul autem veræ eſſe nequeunt. Quare meritò iudicantur contrariæ. Præterea enuntiationes modi poſsibilis, quarum vna conſtat dicto negato, alia verò aiente, poſſunt nonnunquam eſſe ſimul veræ;ideóque ſubcontrariæ appellantur. Qua probatione in reliquis etiam oppoſitionis generibus facilè vtemur. Quemadmodum igitur quum de enuntiationibus ſimplicibus ageremus,diximus,enuntiationes contrarias ęquipollere, ſi alterutri earum poſtponatur negatio:idem in duabus enuntiationibus prioribus eſt dicendum. Nam Neceſſe eſt eſſe,& Impoſsibile eſt non eſſe,ęquipollent. Et quod ibi ſcripſimus,contradicentes æquipollere præpoſita negatione,idem in iſtis comprobatur. Siquidem Nõ impoſsibile eſt eſſe,& Poſsibile eſt eſſe, æquipollent. Demũ quod aſſeruimus,ſubalternas æquipollere ꝓpoſita & poſtpoſita negatione,idem in iſtis ẽt obſeruari debet; quia Neceſſe eſt eſſe, & Non eſt impoſsibile non eſſe,ęquipollent. His conſentiũt, quę ſuperiori capite habes;nẽpe enuntiationes modi poſsibilis & impoſsibilis ęquipollere dicto,ſimiliter & modo,diſsimiliter ſe habentibus. Rurſumque enuntiationes modi neceſſarij & impoſsibilis idem omninò pollere modo, ſimiliter & dicto, diſsimiliter ſe habentibus:quia ſcilicet huic enuntiationi,Neceſſe eſt eſſe, ęquipollet hæc,Non eſt poſsibile non eſſe.

Nota de Modaliũ æquipollẽtia.

Enuntiationes autem eiuſdem modi qua ratione opponantur, his regulis explicatur. Prima. Inter enuntiationes modi neceſſarij illę in quibus modus eſt affirmatus,dictum verò diſsimiliter ſe habet,id eſt,unius eſt aiens, alterius negans,ſunt cõtrarię:illę verò in quibus modus eſt negatus,dictum verò ſe habet diſsimiliter,ſunt ſubcontrarię. Et ſi illa,quę habet dictum & modum affirmatum ſuperponatur illi,quę habet dictum & modum negatum,fient ſubalternę: ex quo patet,quęnam ſint contradicentes. Eadem autem regula ſeruanda eſt in enuntiationibus modi impoſsibilis,ut patet in his tabulis.

De oppoſitione enũtiationũ eiuſdem modi.

Tabula

Tabula Neceſſarij.

Neceſſe eſt Petrũ eſſe album.	Contrariæ.	Neceſſe eſt Petrũ non eſſe album.
Subalternæ.	Contra dicentes. Contra dicentes.	Subalternæ.
Nõ eſt neceſſe Petrũ nõ eſſe album.	Subcontrariæ.	Non neceſſe eſt Petrũ eſſe albũ.

Tabula Impoſsibilis.

Impoſsibile eſt Petrum eſſe album.	Contrariæ.	Impoſsibile eſt Petrũ non eſſe album.
Subalternæ.	Contra dicentes. Contra dicentes.	Subalternæ.
Nõ eſt impoſsibile Petrum non eſſe album.	Subcontrariæ.	Non eſt impoſsibile Petrum eſſe album.

Secunda regula, qua utendum eſt in enũtiationibus modi poſsibilis, eſt huiuſmodi. Illę in quibus modus affirmatur, dictum verò in una eſt aiens, & in altera negans, ſubcõtrariæ ſunt; & poſſunt ambæ eſſe veræ, illæ verò in quibus modus in vtraque negatur, dictum verò in una affirmatur, in altera autem negatur; ſunt contrariæ; & pariter falſę interdum inueniuntur. Denique ſi illa quæ eſt dicti & modi negati ſuperponatur illi, quæ eſt dicti & modi affirmati, erunt ſubalternæ; ac ſubinde facilè erit contradicentes agnoſcere. Cuius regulæ hoc eſt exemplar;

Non

Non eſt poſsibile Petrum eſſe album. — Contrariæ — Non eſt poſsibile Petrum non eſſe album.

Subalternæ. — Contra dicentes. — Contra dicentes. — Subalternæ.

Poſsibile eſt Petrũ non eſſe album. — Subcontrariæ. — Poſs ibile eſt petrũ e ſſe album.

De vocabulorũ repugnãtia.

Sed ut ad extremum illud veniamus, diximus, Purpureã & Illiace opponi contrariè, Amabimus & Edentuli ſubcontrariè, Purpurea & Amabimus ſubalternè, Purpurea, & Edentuli contradictoriè, itemque Illiace & Amabimus.

Purpurea {
Non eſt poſsibile Petrum non loqui.
Non eſt contingens Petrum non loqui.
Impoſsibile eſt Petrum non loqui.
Neceſſe eſt Petrum loqui.

Contrariæ.

Illiace {
Non eſt poſsibile Petrum loqui.
Non eſt contingens Petrum loqui.
Impoſsibile eſt Petrum loqui.
Neceſſe eſt Petrum non loqui.

Subalternæ. — Contra dicentes. — Contra dicentes. — Subalternæ.

Subcontrariæ.

Amabimus {
Poſsibile eſt Petrum loqui.
Contingens eſt Petrum loqui.
Nõ eſt impoſsibile Petrũ loqui
Non eſt neceſſe Petrum nõ loqui;

Edentuli {
Poſsibile eſt Petrum non loqui.
Cõtingens eſt Petrũ non loqui.
Non eſt impoſ. Petrũ nõ loqui.
Non eſt neceſſe Petrum loqui.

Quæſtiones.

PRima. Initio capitis diximus, has enuntiationes, Neceſſe eſt Petrum currere, Neceſſe eſt Petrum non currere, eſſe contrarias. Id quidem ita refellitur. Vtraque eſt aiens, cùm verbum præcipuũ ſit affirmatum in ambabus, ergo non ſunt contrariæ. Reſpondetur, non eſſe propriè contrarias: dici tamen contrarias, quia nunquam in ſimili forma poterunt ambæ eſſe veræ, licet poſsint eſſe vnà falſæ. Eodem modo reſpondetur ad argumentum, quod adduci poterat cōtra ſecundam partem capitis, in qua ſcripſimus, has enũtiationes, Poſſibile eſt Petrum currere, poſsibile eſt Petrum non currere, eſſe ſubcontrarias; cùm alioquin ambæ ſint aientes. Sed reſpondetur, eſſe ſubcontrarias ob hanc ſolùm cauſam, quia in nullis terminis, aut extremis poſſunt eſſe ſimul falſæ, cùm tamen in aliquibus ſimul veræ poſsint reperiri: ſicut etiam iſtæ enuntiationes, Non eſt poſsibile Petrum currere, Non eſt poſsibile Petrum non currere, ſunt contrariæ, licet ambæ ſint negantes; quia in nulla materia poſſunt dari enuntiationes ſimul veræ eiuſdem formæ; bene autem ſimul falſæ. Poteſt aliter huiuſmodi obiectionibus reſponderi, illas enuntiationes eſſe verè, ac propriè contrarias, ſeu aduerſas: quod autem dici ſolet, ex contrarijs vnam debere eſſe aientem, aliam verò negantem, nequaquàm in modalibus eſſe verum.

Quomodo duæ enũtiationes oppoſitæ poſsint eſſe autaiẽtes, aut negantes.

Altera quæſtio aduerſus tertiam partem capitis, in qua dictum eſt, Purpurea & Illiace opponi contrariè. Iſtæ enuntiationes ſunt in Purpurea & Illiace, * & tamen omnes ſunt ſimul veræ, ut conſtat: Non ergo ſunt contrariæ. Reſpondendum eſt igitur, quamuis ad æquipollentiam enuntiationum cuiuſq; vocabuli, cum alijs quæ ad idem vocabulum pertinent, ſufficiat, enuntiationes neceſſarij aliter ſe habere, quàm alias tres; ita ſcilicet, ut ſi aliæ habeant dictum vniuerſale, ipſæ habeant particulare; & è contrario: tamen ut inter quatuor uocabula ſeruentur oppoſitiones, quæ à Doctoribus explicantur, dictum enũtiationum modi neceſſarij, ſemper debere eſſe vniuerſale, & aliarum particulare. Si aliter enim fiat, Purpurea & Illiace non opponentur contrariè, ſed potiùs ſubcōntrariè: itemq; Amabimus & Edentuli nō non opponentur ſubcōtrariè, ſed potiùs contrariè; & fieri poterit, vt omnes enũtiationes poſitæ in Amabimus & Edentuli ſint falſę, cõtra legem ſubcontrariarum: Igitur ſi Purpurea & Illiace debent opponi contrariè, & Amabimus, atque Edentuli ſubcontrariè, vt communis habet ſchola, propoſitiones modi neceſſarij debent in omnibus illis eſſe vniuerſales, & enuntiationes aliorum modorum particulares; vt fiet in ſequentis paginæ ſchemate.

An Purpurea & Illiace contrariè opponantur.

Si autem volumus afficere, vt Amabimus & Edentuli opponantur contrariè, & Purpurea & Illiace ſubconrariè, tunc in omnibus enuntiationibus modi neceſſarij conſtituamus dictũ particulare, & in reliquis vniuerſale. Quiuis ſibi poterit confingere tabulam ſequenti cōtrariam, & intelliget, quàm ſint ea, quæ dicimus, vera.

Illiace. { Non eſt poſsibile omne animal eſſe hominem. / Non eſt contingens omne animal eſſe hominem. / Impoſsibile eſt omne animal eſſe hominem. / Neceſſe eſt aliquod animal non eſſe hominem.

* Purpurea. { Non eſt poſsibile nullum animal eſſe hominem. / Nō eſt contingens nullum animal eſſe hominem. / Impoſsibile eſt nullum animal eſſe hominem. / Neceſſe eſt aliquod animal eſſe hominem.

Purpurea.
- Non eſt poſsib. aliquod animal nõ eſſe hominem.
- Non eſt conting. aliquod animal non eſſe hominẽ.
- Impoſsibile eſt aliquod animal non eſſe hominem.
- Neceſſe eſt omne animal eſſe hominem.

Illiace.
- Non eſt poſsibile aliquod animal eſſe hominem.
- Non eſt contingens aliquod animal eſſe hominem.
- Impoſsibile eſt aliquod animal eſſe hominem.
- Neceſſe eſt nullum animal eſſe hominem.

Contrariæ.

Subalternæ.

Contra dicentes.

Contra dicentes.

Subalternæ.

Subcontrariæ.

Amabimus
- Poſsibile eſt aliquod animal eſſe hominem.
- Contingens eſt aliquod animal eſſe hominem.
- Non eſt impoſ. aliquod animal eſſe hominem.
- Non eſt neceſſe nullum animal eſſe hominem.

Edentuli
- Poſsibile eſt aliquod animal non eſſe hominem.
- Contingens eſt aliquod animal nõ eſſe hominem.
- Non eſt impoſsib. aliquod animal non eſſe hominẽ.
- Non eſt neceſſe omne animal eſſe hominem.

Duæ reſtant nobis quæſtiones tractandæ. Vna eſt,quare dicamus,omnes enuntiationes poſitas in Purpurea & Illiace inter ſe opponi contrariè,ſi tres cuiuſque vocabuli ſunt particulares. Item quomodò aſſeramus, enunciationes Amabimus & Edentuli ſubcontrarias eſſe,ſi cuiuſque vocabuli vna ſaltem eſt vniuerſa. Altera eſt, quare Doctores ſimpliciter dicant, Purpurea & Illiace opponi contrariè,& Amabimus & Edentuli ſubcontrariè;ſi(vt diximus)facillimum eſt efficere,vt Amabimus & Edentuli ſint contraria vocabula: & Purpurea,atque Illiace ſubcontraria. Placet his reſpondere, quia non parum id conferet ad Modificatarum enuntiationum intelligentiam. Quemadmodum in enuntiationibus ſimplicibus ſe habent ſigna, ita in modalibus modi. Quare ſicut in ſimplicibus enuntiationibus,ſi huic propoſitioni, Aliquis homo eſt animal,præponatur negatio,fit vniuerſa,(nam hæc propoſitio,Nō aliquis homo eſt animal, eadem eſt penitus atque hæc, Nullus homo eſt animal)ita ſi huic dicto particulari, Aliquem hominem eſſe lapidem, addatur modus negans, vt impoſsibile,aut non poſsibile;& dicatur,Impoſsibile eſt aliquem hominem eſſe lapidem,illud dictum reddetur vniuerſum.Quod ex eo intelligitur: quoniam hæc enūtiatio,Impoſsibile eſt aliquem hominem eſſe lapidem,vt ſit vera,oportet,nullum hominem poſſe eſſe lapidem.Igitur cùm in Purpurea & Illiace ponantur in tribus prioribus enuntiationibus modi illi negantes,enūtiationes ſunt vniuerſales. Contra autē ſi Dictum eſſet vniuerſale,vt Impoſsibile eſt omne animal eſſe hominem, enuntiatio eſſet quaſi particularis. Cuius ſignum irrefragabile eſt,quia vt hæc poſtrema enūtiatio vera ſit,ſufficit dari aliquod animal, quod non poſsit eſſe homo,nempè brutum. Ex his iam manifeſtum efficitur, quid dicendum ſit de enuntiationibus ſubcontrarijs modi neceſſarij in Amabimus & Edentuli. Quamuis enim vniuerſales videantur,ſunt particulares;quia vniuerſalitas & cōmunitas modi per negationem tollitur. Nam hęc enuntiatio,Nōn eſt neceſſe omne animal eſſe hominem,particularis eſt,& vt ſit vera,ſatis eſt dari aliquod animal,quod non ſit homo neceſſariò:vti ad veritatē huius pronuntiati, Non omne animal eſt homo,nihil aliud deſideratur,quàm dari vnicum ſaltem animal, quod non ſit homo.Conſtat igitur,nec eas,quas diximus eſſe in Purpurea & Illiace, eſſe particulares; nec alias,quas poſuimus in Amabimus & Edentuli, cenſendas eſſe vniuerſas.Obſeruandum eſt tamen hoc loco,in his modificatis ex communi ſenſu idem eſſe iudicium, ſiue negatio præponatur,ſiue poſtponatur; dummodo illa admodum pertineat. Verbi gratia. Idem pollent hæc pronuntiata, Aliquem hominem eſſe animal non eſt impoſsibile, & non eſt impoſsibile,aliquem hominem eſſe animal. Quare in his enuntiationibus videtur,vim negationis etiam manere,ac fluere in antecedentia. Sed de priore quæſtione hactenus, ad aliam progrediamur.

Quomodo duæ enuntiationes contrariæ cōſtēt dicto particulari.

Modorū vis.

Sanè propoſitiones, quæ his vocabulis accommodantur,aliquando conſtat dicto ſingulari,aliquando ſecùs. Si non conſtent dicto ſingulari, tam facilè eſt conſtituere Purpurea & Illiace contraria, quàm Amabimus & Edentuli: at ſi conſtent dicto ſingulari, tunc neceſſariò omnes ſexdecim enuntiationes conſtabunt eodem genere dicti:& tum ſemper enuntiationes,quæ ſunt in Amabimus & Edentuli, erunt ſubcontrarię;quę verò in Purpurea & Illiace,contrarię.Cū igitur omnibus cōſideratis,Amabimus & Edentuli frequentiùs ſint ſubcontraria,& Purpurea & Illiace cōtraria, quā è diuerſo: non immeritò Doctores eam collocandi rationem ſequuntur.In ſcientijs enim ea,quæ frequentiſsimè fiunt,ita ac ſi perpetuò fierent,accipiuntur. Dicimus enim,omnem hominem bipedem naſci,tametſi aliquando aliter caſus ferat.

Cōmunis Doctorū opinio excuſatur.

De

De reciprocatione modificatarum enuntiationum. Cap. 13.

TErtia affectio enuntiationum modalium eſt reciprocatio:de qua hi canones tradi poſſunt. Primus. Enuntiationes modi neceſſarij affirmati conuertuntur, vt illarum dictum poſtulat:verbi gratia. Quia dictum huius enuntiationis, Neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal, eſt vniuerſale aiens, quod conuertitur in particulare eiuſdem qualitatis; ideo hæc enuntiatio conuertitur in hanc, Neceſſe eſt aliquod animal eſſe hominem. Itemq; ſi dictum exigit conuerſionem ſimplicem, debet conuerti ſimpliciter; & ſi per contrapoſitionem ſimiliter debet conuerti; vt patet manifeſtè in hac tabula.

Simplici conuerſione.	Neceſſe eſt aliquod animal eſſe hominem.	Neceſſe eſt aliquem hominem eſſe animal.
	Neceſſe eſt nullum hominem eſſe lapidem.	Neceſſe eſt nullum lapidem eſſe hominem.
Per accidens.	Neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal.	Neceſſe eſt aliquod animal eſſe hominem.
	Neceſſe eſt nullum hominem non eſſe lapidem.	Neceſſe eſt aliquem lapidem non eſſe hominem.
Per cõtrapoſitionem.	Neceſſe eſt aliquem hominem eſſe lapidem.	Neceſſe eſt aliquẽ non lapidẽ nõ eſſe nõ hominẽ.
	Neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal.	Neceſſe eſt omne non animal eſſe non hominem.

Secundus canon. Enuntiationes modi neceſſarij negati non aliter conuertuntur, quàm dictum earum requirit: illæ tamen excipiendæ ſunt, quæ deberent conuerti per accidens. Verbi gratia. Bene ſequitur, Non eſt neceſſe nullum animal eſſe hominem, ergo non eſt neceſſe nullum hominem eſſe animal. Non tamen ſequitur: Non eſt neceſſe omne animal eſſe hominem, ergo nõ eſt neceſſe aliquem hominem eſſe animal. Tertius. Enuntiationes modi impoſsibilis negati debẽt conuerti iuxta dicti vim & naturam; illis demptis, quarum dicta eſſent per accidens conuertenda. Exemplum. Impoſsibile eſt nullum hominem eſſe animal, ergo impoſsibile eſt nullum animal eſſe hominem. At non ita colliges, Impoſsibile eſt omne animal eſſe hominem, ergo impoſsibile eſt aliquem hominem eſſe animal. Eſt tamen quidam peculiaris modus conuerſionis per accidens, competens enuntiationibus modi impoſsibilis affirmati, quo ſcilicet particularis aiens conuertitur in vniuerſam aientem, & particularis negans in vniuerſam negantem. Vt Impoſsibile eſt aliquem Leonem eſſe hominem, ergo impoſsibile eſt omnem hominem eſſe Leonem. Item, impoſsibile eſt aliquem hominem non eſſe animal, ergo impoſsibile eſt nullum animal eſſe hominem. Quartus. Enuntiationes modi impoſsibilis negati ita reciprocantur, ac reflectuntur, vt & dictum earum extra ipſas reciprocaretur: ſicut dictum eſt in prima regula de enuntiationibus modi neceſſarij affirmati. Idem omninò ſentiendum eſt de enuntiationibus Modi poſſibilis affirmati. Loquimur autem de poſsibili, pro eo quod poteſt eſſe: nam ſi pro eo quod poteſt eſſe & non

Peculiaris quidã modus cõuerſionis per accidens.

eſſe

eſſe accipiatur, ad caput ſequens pertinet. Vltimus canon. Enuntiationes modi poſſibilis negati conuertuntur ſicut enuntiationes modi impoſſibilis affirmati. Ex his conſtat, conuerſionem harum enuntiationum modificatarum non eſſe mutationem ſubiecti in prædicatum, & prædicati in ſubiectum, cùm idem modus, qui in conuerſa eſt, ſubiectum, vel prædicatum poſsit in conuertente eundem ſitum retinere: ſed eſſe mutationem ſolius dicti.

Difficultates.

Contra id quod dictum eſt, enuntiationes modi neceſſarij affirmati conuerti, ut dictum ſuapte natura poſtulat, ſunt tria exempla: Primum. Hæc eſt vera, Neceſſe eſt omnem hominem album eſſe animal; & hęc eſt falſa, Neceſſe eſt aliquod animal eſſe hominem album, quia albedo accidentariò competit animali & homini. Secundum. Certiſsima eſt hæc propoſitio, Omnis creans, neceſſariò eſt Deus; hæc contra erronea, Aliquis Deus, neceſſariò creat: nam Deus non neceſſariò, ſed liberrimè creat. Tertium. Omne ridens actu neceſſariò eſt homo, nec protinus ſequitur, Aliquem hominem neceſſariò ridere actu. Potiſsimùm hæc argumenta dubitationem afferunt nobis diui Thomæ diſcipulis. Concedimus enim, dari quaſdam enuntiationes æternæ veritatis, ut hæc, Omnis homo eſt animal; vera eſt apud diuũ Thom. etiam nullo homine exiſtente. Illæ autem potiſsimùm æternæ ſunt veritatis, quarum prædicatum eſt de eſſentia ſubiecti in enuntiationibus aientibus, ut Omnis homo eſt animal: in negantibus verò, quarum prædicatum repugnat ſubiecto, ut Nullus homo eſt irrationalis. Veruntamen quia hæc falſa aliquibus videntur, probãda ſunt apertiſsimè, ac oſtendendum eſt, etiam nullo homine exiſtente, non ſolùm hanc eſſe veram, Omnis homo eſt animal; ſed hanc etiam, Omnis homo albus eſt animal. Nam ſi hæc, Omnis homo albus eſt animal, eſſet falſa, vera eſſet eius contradicens; nempe Aliquis homo albus non eſt animal. Præterea cùm conſtet ex his, quæ docet Ariſtoteles in Poſtcategoris cap. de Oppoſitis, animal & non animal ita ſe habere, vt quicquid non eſt animal, ſit non animal; & è diuerſo, ſi hæc eſt vera, Aliquis homo albus non eſt animal, hæc erit vera, Aliquis homo albus eſt non animal. Quæ conſequutio lib. 7. cap. de Loco ab oppoſitis explicabitur. Iam verò cùm hæc enuntiatio, Aliquis homo albus eſt non animal, ſit particularis aiens & vera, debet cõuerti ſimpliciter in aliam particularem aientem veram; ſcilicet Aliquod non animal eſt homo albus. Vnde ſequitur manifeſtè, aliquod non animal eſſe animal rationale, habens albedinem. Quare aliquid erit animal & non animal. Sed ne arbitretur aliquis, me hæc diuo Thomæ impoſuiſſe, legat ipſum 3. ſenten. diſt. 10. quæſt. 1. art. 1. quæſtiunc. 2. Ibi enim docet, ut aliqua prædicatio ſit per ſe, non oportere prædicatum conuenire ſubiecto, ſecundùm omnia quæ in nomine ſubiecti inuoluuntur; ſed ſufficere, ſi ſecundùm aliquid eorum per ſe ei conueniat. Et ita ait ibi, hanc enuntiationem eſſe veram, CHRISTVS quatenus hic homo (non dicit quatenus homo) eſt Deus. Et art. 2. ad 3. quæſt. confirmat noſtram ſententiam, apertiſsimè dicens, hãc enuntiationem, Homo eſt animal album, non eſſe per ſe: hanc verò, Homo albus eſt animal, eſſe per ſe. Quid clarius? An omnia oportet præmanſa in os ingeri? Tamẽ de his vide Caietanum 1. Poſter. cap. 9. dub. 3. Si igitur apud diuum Thomam hæc eſt vera, Neceſſe eſt omnem hominem album eſſe animal, quomodo poteſt cõuerti in

De cõuerſione enũtiationũ modi neceſſarij.

De enũtiationibu perpetuò veris.

Sententia diui Thomæ.

in vniuerſum,& (vt aiunt) diſtributiuè ſumpto animali;ſed indefinitè : ideſt, licet non neceſſariò omne animal ſit homo; tamen neceſſariò animal indefinitè eſt homo, quia aliquod animal neceſſariò eſt homo. Quòd ſi aliquis ex antiquioribus, grauioribusq; reperiatur, qui huiuſmodi enuntiationes doceat eſſe accidentarias, more Philoſophorum ex comparatione exiſtimandus eſt loqui. Vt enim ſi accidentia cum ſubſtantia conferantur,nec entia ſunt,nec eſſentiam habent;ſi verò per ſe ea abſque vlla ad ſubſtantiam comparatione conſideres, entia iudicabis: ita ſi illam propoſitionem,Animal eſt homo,cum hac alia,Omnis homo eſt animal,compoſueris,hanc ſolam neceſſariam, illam verò tametſi neceſſaria ſit, accidentariam arbitraberis. Sed vt extremum aliquod hæc digreſsio habeat,ſoluendum eſt argumentũ, quo poſſet quiſpiam in noſtram ſententiam vti. Etenim hæc enuntiatio, Animal eſt homo albus,ſine cõtrouerſia eſt contingens;licet hæc ſit neceſſaria,Homo albus eſt animal:ergo quamuis hoc pronuntiatum,Homo eſt animal, neceſſarium ſit,non proinde fit conſequens neceſſarium eſſe hoc aliud,Animal eſt homo. At ego primùm reſpondeo, hoc argumentum ſolùm oſtendere, non omnes quas adduximus rationes eſſe neceſſarias. Quare tametſi vna,aut altera è medio auferantur,aliæ nobis reſtabunt. Deinde nego ſimilitudinem,quia cùm non detur aliquod animal,qđ neceſſariò ſit album,nihil mirum eſt, ſi hæc oratio, Animal eſt homo albus, non ſit neceſſaria. At datur aliquod animal,nempe rationale,quod per ſe,ac neceſſariò eſt homo. Quare animal indefinitè ſumptum,neceſſariò eſt homo, ſicut etiam indefinitè ſumptum,neceſſariò eſt brutum,propter eaſdem cauſas. Denique aſſero, exẽplum,aut inſtantiam non eſſe ad propoſitum,quia homo,vel animal rationale,eſt ens per ſe: quæ autẽ vni enti per ſe neceſſariò ſunt connexa,neceſſariò inter ſe connexa ſunt,ſaltem indefinitè. At homo albus eſt ens per accidens;vnde quæ in eo cõnectuntur, non eſt neceſſe vt inter ſe connectantur. Expendat lector vtriuſque partis rationes,& quam probabilioribus argumentis niti iudicauerit, eam ſibi deligat.

Mos Philoſophorum.

Vide vltimã quæſt. cap.8.li.5.

De enuntiationibus modi contingentis, ſumendo contingens pro eo quod poteſt eſſe, & non eſſe. Cap. 14.

Dicamus nunc de enuntiationibus modi contingentis, aut poſsibilis, quatenus poſsibile ſignificat id,quod poteſt eſſe,& non eſſe: & explicemus earum æquipollentiam,oppoſitionem,& reciprocationem. Enuntiatio modi contingentis, ſiue affirmatus ſit modus,ſiue negatus,par eſt omninò,ac æqualis enuntiationi eiuſdem modi, dicti tamen contrarij: vt Contingens eſt Petrum ambulare,ergo contingens eſt Petrum non ambulare. Id autem perſpicuum eſt ex locis Ariſtotelis cap. 11.à nobis citatis.

Aequipollentia.

Circa oppoſitionem ſciendum eſt,enuntiationem modi contingentis opponi contrariè tam enuntiationi modi impoſsibilis, quàm neceſſarij;ſubalternè verò enuntiationi modi poſsibilis,ſumendo poſsibile pro eo quod poteſt eſſe: denique eſſe contradictoriam enuntiationis modi contingentis negati, & eiuſdem dicti. Dixi, opponi contrariè enuntiationi modi neceſſarij, quia in aliqua materia poteſt vtraquẽ eſſe falſa. Quæ etiam ratio impulit me, vt idem aſſererem de enuntiatione modi impoſsibilis.

Oppoſitio

De veritate modificatarum enuntiationum cognoſcenda. Cap. 15.

Difficile eſt interdum cognoſcere, an aliqua enuntiatio modificata ſit vera an falſa. Non igitur erit ſuperuacaneum id, antequam finem huic tractationi imponamus, exponere. Propoſita nobis aliqua enuntiatione modali, eius dictum in ſimplicem enuntiationem eſt reſoluendum: tumq; conſiderari debet, an noua illa enuntiatio neceſſaria ſit, an impoſsibilis, uel poſsibilis; atq; ita erit manifeſtum, vtrum præcedens enuntiatio modificata vera ſit, an falſa. Exemplum. Dictum huius enuntiationis, Non eſt poſsibile aliquod animal nō eſſe hominem, reſoluitur in hoc pronuntiatum, Aliquod animal non eſt homo; quod cùm verum ſit, ac poſsibile, falſa eſt illa modificata, Non eſt poſsibile aliquod animal non eſſe hominem.

De enuntiationibus Hypotheticis. Cap. 16.

Poſt Categoricam enuntiationem Hypothetica nobis occurrit: de qua, quid ſit, & quotuplex primū dicemus; ſecundò quæ ſit aiens, vel negans; vltimò quid ad eius veritatem deſideretur. Hypothetica enuntiatio eſt, quæ ex duabus Categoricis conſtat, aut ex duabus orationibus, quæ vim Categoricarum obtinent; ut ſi Sol lucet, dies eſt: itemq; ſi Petrus curreret, Petrus moueretur. Diuiditur autem in cōditionatam, coniunctā, & diſiunctam. Cōditionata eſt, quæ conſtat hac coniunctione Si, vt ſi Petrus curreret, Petrus moueretur. Coniuncta, quæ conſtat coniunctione, Et, aut ſimilib. vt Homo eſt animal, & Lapis eſt ſubſtantia. Diſiuncta, quæ cōſtat coniunctione Vel, aut ſimilibus, Vel homo ſentit, Vel homo caret ſenſu. In his autem enuntiationibus non illa dicitur aiens, aut negans, cuius præcipuum verbum affirmatur, vel negatur, quemadmodum in Categoricis; ſed illa eſt aiens, cuius cōiunctio affirmatur; illa negans, cuius coniunctio negatur. Vnde hæc eſt aiens, Si Petrus non moueretur, Petrus non curreret: hæc verò alia eſt negans, Non ſi Petrus eſt homo, Petrus eſt albus. Sicut enim ſe habet in ſimplicibus verbum, ita coniunctio, aut aduerbium in Hypotheticis.

Quid ſit & quotuplex enuntiatio Hypothetica.

De aiente, & negante Hypothetica.

Cæterùm quòd ad veritatem, vel falſitatem huius generis enuntiationum attinet, has regulas accipe. Vt enuntiatio conditionata ſit vera, oportet conſequens ſequi ex antecedente, vt ſi Sol lucet, dies eſt. Omnis enim conditionata duabus partibus conſtat, antecedente & conſequente. Antecedens eſt, cui immediatè iungitur coniūctio Si, vt in hac oratione, Si Sol lucet, dies eſt; illa Categorica Sol lucet, eſt antecedens; illa verò, dies eſt, conſequens. Qua in re nihil curandum eſt, quæ pars priùs ponatur; ſed quæ ſit illa, cui illa coniunctio Si applicatur. Nam etiam ſi ita dicam, Dies eſt, ſi Sol lucet, idem eſt conſequens, idemq; antecedens, quæ in iſta, ſi Sol lucet, dies eſt. Vt autem ſit vera enuntiatio conditionata, non eſt neceſſum, veram eſſe aliquam ex Categoricis, quæ eam componunt. Noctu enim verum eſt hoc pronuntiatum. Si Sol lucet, dies eſt, quia conſequens ſequitur ex antecedente. Hinc ortum eſt illud axioma, omnium ferè Dialecticorum conſenſu receptum, omnis enuntiatio conditionata vera, eſt neceſſaria. Quamuis in hac etiam regula verum ſit, qđ vulgò dicitur, non eſſe canonem adeo certum, quin vnam ſaltem exceptionem patiatur.

Quæ cōditionata ſit vera.

L 3 Inprimis

In prim is enim in enuntiationibus, quibus vtimur, quũ promittimus, id nõ requiritur. Nõ enim mẽtitur, qui ait filio: Si doctus euaſeris, conſtituã te hæredẽ: ac profectò non eſt neceſſaria enuntiatio, quia re uera fieri poterit, vt filius doctus euadat, nec à patre hæres nominetur. Quin etiã quũ de præteritis loquimur, ſæpe dicimus, Si veniſſes, hoc, aut illud feciſſemus; & certè quamuis veniſſet, forſitan illud minimè egiſſemus. Dicendum eſt igitur per communem loquendi vſum, interdum Dialecticæ leges temperari, præſertim quum rem quaſi certam habemus; tametſi contingentem. Secunda regula. Enuntiatio coniuncta vt ſi vera, oportet, vtranque eius partem eſſe veram; vt autem ſit falſa, ſufficit alterutram partem eſſe falſam: Hæc enim eſt falſa, Et lapis eſt homo, & tu es Leo: hæc autem eſt vera, Et tu es homo, & Leo eſt animal. Tertia regula. Diſiuncta erit vera, ſi altera ſaltem eius pars fuerit vera, vt Petrus eſt homo, vel Petrus eſt Leo: ſed tum erit falſa, quum vtraq; eius pars falſa fuerit, vt Vel homo eſt Angelus, vel homo eſt Leo.

De conditionali negante.

Hinc colligendum eſt, enuntiationẽ conditionatam negantem ſolùm negare, cõſequens ſequi ex antecedente; licet antecedens & cõſequẽs vera ſint; vt Non ſi Petrus eſt homo, Petrus eſt albus. Porrò & illud ex ſuperioribus ſequitur, enũtiationẽ diſiunctam negantem æquiualere coniunctæ aienti, compoſitæ ex duabus Categoricis oppoſitis: vt hæc enuntiatio, Non vel tu es Leo, vel tu es ſerpens, æquiualet huic, Et tu non es Leo, & tu non es ſerpens. Cũ enim enuntiatio diſiuncta vt ſit vera, ſufficiat alterã partem eſſe veram, qui negat talẽ enũtiationem, ſubinde aſſerit, vtranque eius partem falſam eſſe, & vtriuſque oppoſitum verum eſſe. Alio præterea argumento confirmari poteſt hoc conſectariũ, nam enuntiatio coniuncta & diſiuncta aientes, compoſitæ ex Categoricis oppoſitis, ſunt contradictoriæ, cùm in nulla materia poſſint eſſe ſimul veræ, aut ſimul falſę; vt hęc, Et tu es lapis, & tu es ſerpens: itemq; hæc alia, Vel tu non es lapis, uel tu non es ſerpens, nunquam in veritate, aut errore poterunt conſentire; Ergo ſi alterutri earum præponatur negatio, æquipollebit ſuæ contradictoriæ.

De coniũctæ, ac diſiunctæ enuntiationis æquipollentia Hypotheticæ.

Dubia, & argumenta in ſuperiora.

Nonnullę Categoricę videntur Hypotheticæ.

Contra definitionem Hypotheticæ enuntiationis eſt argumentum, Hæc enuntiatio; Homo qui eſt rationale, eſt animal quod eſt ſenſibile, eſt Categorica; ſed conſtat duabus Categoricis: ergo definitio Hypotheticæ enuntiationis competit alijs à definito. De aſſumptione nulla eſt controuerſia. Probatur propoſitio. Quia illa enuntiatio eſt aiens, aut negans ex verbo, non ex coniunctione. Reſpondent quidam, non eſſe Hypotheticam, quia in definitione Hypotheticæ intelligitur, eius partes debere media coniunctione copulari; cumque ſuperioris enuntiationis partes nõ coniunctione, ſed verbo Eſt coniungãtur, dicunt non eſſe Hypotheticam. Sed non placet ſolutio. Multæ enim Hypotheticæ non conſtant aliqua coniunctione, vt poſtea dicemus. Quare aliter reſpondendum eſt, illam enuntiationem non eſſe Hypotheticam, quia in definitione Hypotheticæ enuntiationis ſubintelligendum eſt, eam conſtare duabus Categoricis, vt præcipuis ſuis partibus; at enuntiatio poſita in argumento, conſtat vt præcipuis ſuis partibus ſubiecto & prædicato, quæ ſunt homo & animal: alia verò adduntur, vt explicationis ſubiecti, ac prædicati.

Secundum probat, enuntiationem coniunctam, & diſiunctam non eſſe Hypotheticas.

ticas. Nam Hypotheſis idem eſt quod ſuppoſitio, ſed ſola enuntiatio conditionata progreditur ex ſuppoſitione, aut conditione: ergo ea ſola eſt Hypothetica. Reſpondetur, in nominibus non tam eſſe conſiderandum id à quo nomen ſumitur, quàm id ad quod ſignificandum imponitur. Hominis enim uocabulum fortè ſumptum eſt ab humo, id eſt terra, quia homo primus ex terra conditus eſt; ac nihilominus impoſitum eſt etiam ad ſignificandum illos, qui non ex terra gignuntur. Ita etiam hoc nomen Hypothetica ſumptum quidem eſt ab Hypotheſi, ſed impoſitũ eſt ad ſignificandum non eas tantùm quæ ex Hypotheſi progrediũtur enuntiationes, ſed omnes etiam non Categoricas. Quò fit, ut coniuncta & diſiuncta ſint Hypotheticæ, non quoad id à quo nomen ſumptum eſt, ſed quoad id, ad quod ſignificandum impoſitum eſt.

An coniuncta & diſiuncta ſint Hypotheticæ.

Tertium improbat definitionem enuntiationis coniunctæ. Hoc pronuntiatum, Homo & brutum ſunt animalia, conſtat coniunctione Et, atqui non eſt enuntiatio coniuncta, cùm non ſit Hypothetica; ergo diffinitio quadrat in alia à re definita. Propoſitio nota eſt. Probatur aſſumptio. Nam habet vt præcipuam partem ſui verbum Sum, & ex illo ſumitur affirmatio, aut negatio huius, ſimiliumque pronuntiatorum. Reſpondetur, illud pronuntiatum non eſſe enuntiationem coniunctam, de qua nunc diſſerimus, nec ei conuenire definitionem enuntiationis coniunctæ, quia in ea ſubintelligendum eſt genus: nempe enuntiatio Hypothetica. Idem de hoc alio pronuntiato, Omne animal eſt rationale, aut irrationale, ſentiendum eſt. Non enim eſt enuntiatio diſiuncta, ſed ſimplex, ac Categorica; prædicato tamen diſiuncto conſtans. Itaq; ſunt quædam enuntiationes Categoricæ, quæ parum ab Hypotheticis differunt, quo ad voces; ſed nihil omninò ſenſu diſtinguuntur. Video multa hoc loco à Sophiſtis accumulari: ſed propriè in eos illud Ciceronis iactabitur, Arcem ex cloaca facere. In rebus enim nullius ponderis tragœdias excitant.

Idẽ quod in primo dubio explicatur.

Quartum probat, diſiunctam non eſſe Hypotheticam. Etenim (vt docet Ariſtoteles 1. Periher.) enuntiatio Hypothetica eſt coniunctione vna, at diſiuncta enuntiatio non eſt coniuncta, ergo non eſt enuntiatio Hypothetica. Reſpondetur, coniunctionẽ Vel, ſenſum quidem diſiungere; ſed verba coniungere. Et hoc ſufficit, vt talis enuntiatio coniunctione vna dicatur.

Quintò dubium eſt, an verum ſit, quod dicunt auctores graues; enuntiationum diſiunctã, cuius vtraq; pars eſt vera, eſſe falſam. Quę ſentẽtia eſt diui Thomę opuſc. 48. tract. 1. de Syllogiſmo ſimpliciter cap. 18. & in tractatu de Enuntiatione, quando agit de Hypothetica diſiuncta. Immò docet, vt enuntiatio diſiuncta ſit vera, non oportere alterã partem eſſe falſam; ſed omninò primã eſſe debere falſam. Itaq; omnis enũtiatio diſiuncta, quę habet primam partem verã, eſt falſa. Et confirmatur illorum opinio. Nam inepta uidetur hæc enuntiatio, Ego vel ſum in hoc loco, uel ſum in hac domo. Reſpondetur, abſque dubio enuntiationem diſiunctam, quæ habet vtranq; partem ueram, eſſe ueram. Vt hæc propoſitio Vel tu non es Leo, uel tu non es Bos, eſt uera, & eius utraque pars eſt uera. Quod ſanè ita probatur. Iſtæ enuntiationes ſunt contradicentes, Vel tu non es Leo, uel tu non es Bos; & iſta alia, Et tu es Leo, & tu es Bos; & ſecunda eſt falſa, ergo prima eſt uera. Aſſumptio & conſequutio patent. Sed probatur propoſitio. Tum quia in nulla materia poſſunt iſtæ enuntiationes eſſe ſimul falſæ, nec ſimul ueræ; tum etiam quia omnes concedunt, enuntiationem coniunctam & diſiunctam ea oppoſitis enuntiationibus Categoricis conſtitutas eſſe contradicentes. Præterea illud quod additur, oportere ſcilicet, ut prima pars ſit falſa,

An diſiuncta vera vtranque partem veram habere poſſit.

incredibile eſt. Sequeretur enim inde, ſi mihi præponeretur aliqua enũtiatio diſiuncta, cuius ignorarem, vtrum pars prior eſſet falſa, ignorare me etiam, an tota enunciatio eſſet vera: quod eſt maximum incommodum. Nam ſi ego à longinquo viderem rem aliquam progredi, certò cognoſcerem eam eſſe animal; ignorarem tamen, eſſetne homo, vel brutum. Tunc igitur ſi quis ita argumentaretur, Illud eſt animal, ergo vel eſt homo, vel brutum, iam ego ſcirem, conſequentiam eſſe bonam, & antecedens eſſe verũ; & poſtea dubitarem, vtrum conſequens eſſet verum, quia dubitarem, vtrũ prima pars eſſet vera, an ſecunda. Inſani autem hominis eſt, ſcire antecedens eſſe verum, & conſequentiam bonam, & dubitare, an conſequens ſit verum. In Topicis de his iterum diſputabimus. Illud autem Opuſculum non eſt diui Thomæ, vt doctiores Thomiſtæ concedunt. Ad confirmationem verò reſpõdetur, aliud eſſe loqui ineptè, & aliud verè. Vulgò enim dici ſolet, *Amentes & pueros verum dicere*. Quid? Quòd ſi illa inepta eſt, aliæ dabũtur nõ ita uanę; quæ apud graues autores paſsim reperiũtur.

Multa genera Hypotheticarum enunciationũ recenſetur.

Sextum argumentum probat, plures eſſe ſpecies enuntiationis Hypotheticæ. Siquidem enunciatio cauſalis, ut Quia homo eſt rationalis; homo eſt riſibilis; & enuntiatio quam vocant rationalem, vt Homo eſt animal, ergo homo eſt ſubſtantia, ſunt enuntiationes Hypotheticæ; & ad nullam trium illarum ſpecierum pertinent. Idem argumentum fieri poſset de enuntiatione temporis, vt Quando ego legebam, tu ambulabas: & de enuntiatione locis, loci, vt Vbi ego legebam, tu ambulabas: inſuper de enuntiatione comparationis, vt Paratior eſt Deus ad miſerendum: quã nos ad ſcelera caſtiganda: & denique de enuntiatione ſimilitudinis, vt Sicut Ariſtoteles Platonem correxit, ita diuus Thomas quædam Alberti Magni præceptoris ſui dogmata emendauit. Et quidem has enuntiationes eſſe Hypotheticas, probatur, quia earum affirmatio, aut negatio non pendet ex affirmatione, aut negatione verbi, ſed ex affirmatione, aut negatione coniunctionis, uel aduerbij. Cæterum non pertinere ad aliquam ex illis tribus formis, ita oſtenditur. Nam in primis cauſalis non eſt diſiuncta, ut patet; neque eſt coniuncta, quia ut coniuncta ſit uera, ſufficit utranque partem eſſe ueram: at ut cauſalis ſit uera, non ſat fuerit utranque partem eſſe ueram, ſed præterea deſideratur, ut una ſit cauſa alterius. Neq; eſſe cõditionata, quia conditionata poteſt eſſe uera; licet utraq; pars ſit falſa. Cauſalis autem niſi utranq; partem ueram habeat, falſa iudicabitur. Deinde rationalis utranq; partem ueram habeat eſt neceſſe, in quo diſtinguitur à conditionata; & unam ſequi ex alia, in quo diſtinguitur à coniuncta: in utroque autem differt à diſiuncta. Præterea enuntiatio temporis (ſuperiùs allata) exigit non ſolùm utranque partem eſſe ueram, ſed præterea eſſe ſimul ueram, in quo diſtinguitur à conditionata, & coniuncta, & etiam diſiuncta. Enuntiatio autem loci exigit ſimultatem loci. Enuntiatio comparationis exigit exceſſum quẽdam, ac interdum æqualitatem. Deniq; ennntiatio ſimilitudinis exigit ſimilitudinem, & profectò enuntiatio conditionata, coniuncta, uel diſiunctæ nihil tale poſtulant. Reſpondetur primò, plures eſſe ſpecies enuntiationis Hypotheticæ, ſed illas tres ſolùm ab auctoribus numerari; quia ſunt frequentiſsimæ. Reſpondetur ſecundò, has ſex ſpecies deduci ad illas tres, ſcilicet duas priores ad conditionatam, quatuor poſteriores ad coniunctam: tametſi plura ad iſtas ſex, quàm ad tres priores exigũtur. Quemadmodum licet plura deſiderentur, ut aliquid ſit homo, quàm ut ſit animal, nihilominus homo ſub animali continetur: tanquam inferius ſub ſuperiori.

De rationali enunciatione.

Verùm hoc loco inſcitiam meam ingenuè fateri oportet. Nunquam enim mihi perſuaderi poterit, quam uocant enuntiationem rationalem, eſſe enuntiationem. Etenim

enim enuntiatio ad ſecundam mentis operationem pertinet, at illa oratio, quam iſti rationalem dicunt, manifeſtè ad tertiam operationem attinet, quia eſt oratio ex antecedente, & conſequente veluti ſuis partibus conſtituta, quas coniunctio inferendi connectit. Enimuerò enuntiatio conditionalis (propriè loquendo) nec ex antecedēte & conſequente componitur, nec illa (qualicũque ſint) nota inferendi, id eſt, Ergo, vel Igitur, cōnectũtur: quæ omnia apertiſsima ſunt in rationali. Iã verò ſi oratio rationalis eſſet enuntiatio, eadem ratione dicendum eſſet, Syllogiſmum, Inductionem, Enthymema, & exemplum eſſe enuntiationes. Quare nulla reſtaret ratio, quare diuus Thomas ſolam ſecundam operationem huic libro Perihermenias dirigendam concederet. Prçterea omnis enuntiatio tam ſimplex, quàm Hypothetica, poteſt eſſe antecedēs, aut pars antecedentis alicuius argumentationis: hæc autem oratio, Homo eſt animal, ergo homo eſt ſubſtantia, non video quomodo poſsit in antecedente alicuius enuntiationis collocari: ergo non eſt enuntiatio. Propoſitio inductione cōſtat. Nam modales, & quæ de ineſſe dicuntur, proculdubiò poſſunt in argumentationis antecedente poni: inſuper & omnes Hypotheticæ conditionatæ, coniunctæ, diſiunctæ, temporis, loci, comparationis; immò & cauſales ponuntur in antecedente illius argumentationis, quæ Exemplum vocatur. Vt Niniuitis pepercit Deus, quia egerunt pœnitẽtiam, ergo & nobis ſimiliter parcet, ſi eorum mœrorem imitemur. Aſſumptio verò alia ratione probari non poteſt, quàm petendo talem argumentationem. Dices. Ecce illam. Bene ſequitur, Homo eſt animal, ergo homo eſt ſubſtantia: ergo bene etiã colligetur, Brutum eſt animal, ergo brutum eſt ſubſtantia. Sed profectò hoc non eſt vti illa oratione, quam rationalem vocant, niſi (vt aiunt) iuxta ſuppoſitionem materials; ſeu (vt Latinius loquar) pro vocibus ipſis. Hoc tamen pacto etiam integrum ſyllogiſmum ego conſtituam, non dico enuntiationem, ſed enuntiationis etiam ſubiectũ, aut prædicatum; hac ratione: Omnis demonſtratio eſt ſyllogiſmus generans ſcientiã, ſed hæc oratio, Omne animal eſt ſubſtantia, omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt ſubſtantia, eſt demonſtratio: ergo hæc oratio eſt Syllogiſmus generans ſcientiam. Item alia ratione ſuperior inſtantia, aut obiectio refelletur. Siquidem omnis enuntiatio poteſt eſſe integrum antecedens, aut integra pars (id eſt, integra propoſitio, vel aſſumptio) antecedentis argumentationis, quod profectò minimè fit in ſuperiori obiectione. Quare ſequamur id, quod uerum eſt, orationem rationalem non eſſe enuntiationem. Quòd ſi fortè in ullo ex auctoribus grauioribus (nam ſophiſtę contemnendi ſunt, potiùs quàm interpretandi) inueniamus, rationalem orationem eſſe enuntiationem, intelligendum eſt, impropriè cum enuntiationis vocabulum uſurpaſſe; aut ſui temporis vulgarem opinionem retuliſſe, ſcriptisque mandaſſe. Igitur enuntiationis, eiusque tum formis, tum etiam affectionibus explicatis, ad Syllogiſmorum tractationem procedamus.

BENEDICTVS DEVS.

COM-

COMMENTARIORVM IN VNIVERSAM LOGICAM

LIBER QVINTVS:

IN QVO DE ARGVMENTATIONE, & eius formis diſſeritur.

De Materia, & ordine libri. *Cap. I.*

TERTIA mentis operatio eſt diſcurſus. id eſt, progreſſus quidam rationis, ab vna enuntiatione cognita, ad aliam ex illatione cognoſcendam: quod certè fit argumētando. Ad hanc itaq; inſtituendam, agitur in hoc libro de argumentatione. Quid autem ſit argumentatio & quonam pacto in bonam & malam diuidatur, lib. 1. cap. 10. explicauimus: ubi oſtendimus, malam argumētationem non eſſe appellandam argumentationem. Bona autē argumentatio in quatuor præcipuas formas diuiditur, in Syllogiſmum (qui & ratiocinatio dicitur) Inductionem, Enthymema, & Exemplum: de quibus hoc loco (quanta fieri poterit diligentia) diſputabimus. Nam ea eſt propria Dialectici diſputatio. Eſt autem Syllogiſmus argumentatio, in qua, quibuſdam poſitis & conceſsis, aliquid aliud, ob eam cauſam quia hęc poſita ſunt, neceſſariò colligitur. Et quidem ſyllogiſmus alius Categoricus, alius Hypotheticus, quemadmodum & enuntiationes, ex quibus componuntur, aliæ ſunt Categoricæ, alię Hypotheticæ. Primùm igitur de Categorico diſſeremus.

Argumentationis partitio.

Argumentum.

Quæ ſint Dialecticæ argumētationes.

IN id quod dictum eſt, ad Dialecticum pertinère agere de quatuor formis argumentationis, eſt argumentum. Ariſt. enim 1. Poſter. cap. 1. docet, ſyllogiſmū & inductionem eſſe argumentationes Dialecticas, enthymema verò & exemplum, Oratorias. Quam ſententiam 1. Topic. cap. 10. repetit. Nanque ſyllogiſmum & inductionem argumentationes eſſe Dialecticas, ait. Et 2. lib. artis Orator. cap. 21. docet, Oratorem vti debere enthymematibus & exemplis: inductionem verò inutilē ei eſſe, præterquam in paucis: Ergo non eſt Dialectici muneris, de enthymemate & exemplo diſſerere. Reſpondetur, quoad vſum enthymema & exemplum argumenta eſſe Oratoria, quia his frequentiſsimè vtitur; rariſsimè autem ſyllogiſmo & inductione; at quoad doctrinam, omnia eſſe Dialectica, quia Dialectici intereſt, omnia iſta docere; tametſi quia frequentiùs ratiocinatione & inductione vtitur, iſta duo argumentorum genera Dialectica appellentur. Nam quamuis interdum Dialecticus enthymemate vtatur, paratus eſt illud ad ſyllogiſmū reducere: quod nunquam

quam Rhetores faciunt. Nec ſententia noſtra eo nomine eſt explodenda, quòd quidam Oratorię artis ſcriptores; atque magiſtri enthymematis & exempli naturam doceant; nam id faciunt, quia Rhetoricam ignaris Dialecticæ tradunt, aut certè mittunt falcem in meſſem alienam.

Alia dubia potuiſſemus proponere, quæ conſultò dimittimus; quia iam lib. 1. cap. 10. tractata fuere. Hoc autem loco adnotabimus, Ariſt. 1. Prior. cap. 1. diffiniuiſſe ſyllogiſmum per orationem, nos autem per argumentationem; quia oratio genus eſt remotum, argumentatio proximum. Itemq; illud obſeruabimus, eam particulam, Et conceſsis poſitam, eſſe in diffinitione ſyllogiſmi à Boëthio: quia etſi ratiocinatio optimè inferat concluſionem, quamuis pręmiſſæ non concedantur, tamen quum ſyllogiſmus in vſum diſputationis accipitur, neceſſe eſt, antecedentis ſumptiones concedi ab aduerſario, vt concluſio poſsit inferri. Argumentatio eſt genus proximũ ſyllogiſmi.

De maioribus partibus ſyllogiſmi. Cap. 2.

PErſpicuum igitur eſt, quot partibus conſtare oporteat ſyllogiſmum. Primùm enim in antecedente duas enuntiationes debet habere. In definitione quippe ſyllogiſmi dicitur, Quibuſdam poſitis, at non intelligitur quibuſdam poſitis, id eſt, quibuſdam vocabulis poſitis; nam hoc pacto etiam enthymema procederet ex quibuſdam poſitis; ſed quibuſdam enuntiationibus certa quadam methodo collocatis. Quo fit, ut antecedens ſyllogiſmi ſemper debeat eſſe compoſitum ex duabus propoſitionibus: quæ à nonnullis propoſitiones, ab alijs pręmiſſę; ſed à Latinioribus ſumptiones dicuntur. Verùm ex his ea, quę priori loco ponitur, dicitur maior, propoſitum, aut propoſitio; quæ verò poſteriori; minor, aſſumptio, vel aſſumptũ. Aliam pręterea enuntiationem ſyllogiſmus deſiderat; nam in diffinitione ſyllogiſmi dicitur, aliud quidpiam ab his, quæ poſita, ſunt neceſſariò colligi. Hęc autem pars cùm una ſit, varijs nominibus appellatur, à nobis dicitur concluſio, ab alijs, pręſertim quibus ſumma eſt elegantiæ cura, cõnexio, & complexio: nec defuit, qui eam intentionem vocaret. Propoſitio & aſsũptio. Concluſio

Quæſtiones.

CAeterum quęſtio eſt, an concluſio ſit pars ſyllogiſmi. Non enim deſunt, qui arbitrentur, non eſſe eius partem, ſed tantùm effectum. Quare apud ipſos ſolę pręmiſſæ conſtituunt ſyllogiſmum. Et quidem illorum ſententia duobus argumentis poteſt corroborari. Primum. Concluſio debet eſſe aliud quidpiam, vt dicit Ariſtoteles in definitione, ſed aliud apud Porphyrium ca. de Differentia vertente Bēthio diſcrimen eſſentiale denotat: Ergo concluſio eſſentialiter diſtinguitur à ſyllogiſmo, & non eſt pars eius. Alterum. Ariſtoteles 2. Priorum cap. 1. aſſerit, ſyllogiſmum poſſe inferre multas concluſiones, at concluſio infertur ex pręmiſsis, ergo ſumptiones ſolę conſtituunt ſyllogiſmum. Tamen contraria ſententia eſt probabilior: primùm quia ſyllogiſmus eſt argumentatio, ſed argumentatio eſt oratio ex antecedente & conſequente veluti ſuis partibus conſtituta; ergo concluſio eſt pars ſyllogiſmi: Pręterea id patet ex definitione ſyllogiſmi, in qua dicitur, ſyllogiſmum eſſe argumentationem, in qua aliud quidpiam, id eſt concluſio, &c. Obſerua illud, In qua; ergo concluſio eſt in ſyllogiſmo, non extra ipſum. Vltimò id probatur quia ſi concluſio non eſſet pars ſyllogiſmi, Barbara & Baralipton non eſſent diſtincti Sitne concluſio pars ſyllogiſmi

cti modi ſyllogiſmorum, cùm ſola concluſione differant. Ad prius autem illud, quod ſuperioris ſententiæ auctores obijciebant, reſpondetur, concluſionē eſſe aliud à præmiſsis, & (ut dicit Ariſtoteles) ab his quæ poſita ſunt; non tamen omninò à ſyllogiſmo, cùm ſit pars eius. Ad ſecundum reſpondetur, ibi Ariſtotelem vſum fuiſſe figura Synecdoche, qua pars nomine totius appellatur; ut quū annus pro hyeme ponitur. Quare ſolas ſumptiones tunc vocauit ſyllogiſmum.

Sitne concluſio aliud à præmiſsis

Alia porrò nobis ſe offert quæſtio, ex Ciceronis auctoritate orta. Ipſe enim in eo Academicarū quæſtionum libro, qui Lucullus inſcribitur, hunc ſyllogiſmum (ut cæteros) approbandum cenſet: Si lucet, lucet, atqui lucet: ergo lucet: ſed in hac argumētatione concluſio non eſt alia à ſumptionibus, ergo diffinitio ſyllogiſmi non bene fuit tradita. Reſpondetur: quemadmodum lib. 3. cap. 17. quum de relatione ageremus, diximus, relatum habere aliud correlatum aut re, aut ratione diſtinctum; ita nunc quum dicimus, concluſionem eſſe aliam à præmiſsis, id intelligendum eſſe, aut re, aut ratione. Item alio ſimili, quod inferemus, id clarum fiet. Subiectum & prædicatum enuntiationis habent ſe ut forma & materia, & nihilominus in enuntiationibus, quas identitas vocant, ut Homo eſt homo, idem re uera eſt ſubiectum & prædicatum; quamuis diuerſis rationibus: ut docet diuus Thomas 1. parte quæſ. 13. art. vltimo. Non aliter de ſyllogiſmi concluſione dici poteſt. Quamuis meo iudicio, diſcrimen ſit, quòd huius generis ſyllogiſmorum nullus ſit vſus in diſciplinis, aut colloquijs, at identicis enuntiationibus paſsim egeamus, & frequentiſsimè illis vtamur. Vnde Paulus ad Romanos cap. 11. tanquam ad grauiſsimum incommodum quoſdam perducit, cùm eos vi argumēti cogit negare, enuntiationem quādam identicam. Alioqui (ait) gratia iam non eſt gratia.

De partibus minutioribus Syllogiſmi.
Cap. 3.

Termini, extremiue definitio.

SYllogiſmus præterea Categoricus, de quo nunc potiſsimùm diſputamus, quanquam tribus ſolùm enūntiationibus conſtet, & quælibet enuntiatio ex duobus terminis, extremiſve componatur, non debet totus ipſe ex pluribus terminis: quàm tribus confici. Vocamus autem extremū, aut terminum, id, in quod diſſoluitur propoſitio: ut in hac enuntiatione, Homo eſt animal, termini ſunt homo & animal; quia ſi auferatur ex ipſa verbum Eſt, quod eius partes connectit, diſſoluetur profectò, & ſolùm reſtabunt homo & animal. Verùm termini aliter appellantur in libro Perihermenias, & in libris Priorum. In illo ſiquidem, quoniam ſolùm conſideratur enuntiatio, dicuntur ſubiectum & prædicatum: in his verò cùm non conſideretur enuntiatio ratione ſui tantum, ſed quatenus eſt pars ſyllogiſmi, aliter appellantur. Dicimus enim, ſyllogiſmum conſtare ex tribus terminis, quorum vnus, maius extremum vocatur, alter minus extremum, tertius medium. Et cùm ſyllogiſmus in antecedente duas enuntiationes habeat, quæ ex tribus terminis componūtur, ille terminus qui ponitur in maiori & minori enuntiatione, medium nominatur: quia autem in maiori enuntiatione cum medio, maius extremum: Sicut ille qui in minori ſumptione cum medio collocatur, minus extremum dicitur. In tertia do-

Nomina terminorum.

mum

mum enunciatione, quæ eſt concluſio, maius ac minus extremum ponenda ſunt, non tamen medium. Exemplum. *

Ratio autem eſt manifeſta: nam (ut dictum eſt) concluſio in diſciplinis debet eſſe alia à præmiſsis; & ſanè ſi medium ingrederetur concluſioné, non differret concluſio ab altera præmiſſarum. Verbi gratia. Si medium ingrederetur concluſionem cum maiori extremo, non differet à maiori enuntiatione, nec diſtingueretur etiam à minori, ſi ingrederetur concluſionem cum minori extremo. *Quare me diù à concluſione exulare debeat.*

* Antecedens. { Maior. Minor.
Conſequens { Concluſio.

Barbara. { Omne animal eſt ſubſtantia. Omnis homo eſt animal. Ergo omnis homo eſt ſubſtantia.

{ Animal Medium, ſubſtantia maius extremum. Animal Medium, homo minus extremum. Homo Minus extremum, ſubſtantia Maius.

Quæſtiuncula.

VEruntamen poteſt fieri argumentum in hanc ſententiam. Nam in hoc ſyllogiſmo, Omnis homo eſt animal, ſed Petrus eſt homo, ergo aliquod animal eſt homo, medium nempe Homo ingreditur concluſionem cum maiori extremo. Et quidem concluſio à maiori enuntiatione diſtinguitur. Reſpondetur, argumentationem illam non eſſe ſyllogiſmum, ſed enthemema; nam eius concluſio non infertur ex enuntiationibus poſitis, ſed ex ſola maiori enuntiatione, iuxta leges bonæ cõuerſionis; libro de ſuperiore ſtabilitas. Illa autem enuntiatio quæ ponitur loco minoris, non eſt minor; ſed ita ſe habet ad concluſionem, ac ſi ibi poſita non fuiſſet.

De Syllogiſmi diuiſione. Cap. 4.

DIuiditur autem ſyllogiſmus imperfectum & in imperfectum. Syllogiſmum perfectum dicit Ariſt. 1. Prior. cap. 1. eſſe illum, qui nulla re externa indiget, ut intelligatur, eius concluſionem ex propoſitis in antecedente ſumptionibus neceſſariò colligi. Huius generis ſunt omnes ratiocinationes, quę in Barbara, alijsque tribus modis primæ figuræ conficiuntur: ita enim ſunt neceſſariæ, & connexionem adeò perſpicuam & manifeſtam habent, ut nec conuerſionem alicuius enuntiationis, nec præmiſſarum traiectionem, aut tranſmutationem deſiderent. Imperfectus autem ſyllogiſmus eſt, qui externo aliquo præſidio indiget, ut appareat neceſſarius; id eſt, oportet aliquam enuntiationem reciprocari, aut commutari præmiſſas; aut denique deduci ad incõmodum reſpondentem. Tales ſunt omnes ſyllogiſmi aliarum figurarum, & quinque poſteriores primæ figuræ. Probatur autem diuiſio ex ſyllogiſmi definitione. Nam ſyllogiſmus eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis, aliud quidpiam ab his quæ poſita ſunt, neceſſariò colligitur. Ille ergo perfectus erit ſyllogiſmus, cuius collectionis neceſsitas perſpicua fuerit, & manifeſta, ſi autem ſecùs ſe res habeat, erit imperfectus. Sed quęnam obſecro principia ſunt atque initia, quibus ſyllogiſmus perfectus ab imperfecto poterit ſeparari? Duo. Vnum appellatur, Dici de omni, aut In toto genere; alterum, Dici de nullo, aut in nulla generis parte. Dici de omni eſt, quãdo nihil poteſt accipi inferiùs ſubiecto, de quo prædicatum nõ efferatur.

Quis perfectus ſit, & quis imperfectus ſyllogiſmus.

Quid ſit, in toto genere, aut in nulla generis parte, dici.

Voco

Voco autem inferiùs ſubiecto illud, de quo ſubiectum poteſt prædicari cum ſigno vniuerſo, uel particulari; ſiue directè, ſiue indirectè; ut Omnis homo eſt ſubſtantia: ſed aliquod animal eſt homo, ergo aliquod animal eſt ſubſtantia. Inſeruit autem hoc principium modo primo & tertio primæ figuræ. Dici de nullo eſt, quum ab omni eo, quod in ſubiecto comprehenditur, attributum remouetur; ut Nullus homo eſt lapis: ſed aliquod animal eſt homo, ergo aliquod animal non eſt lapis. Quod quidem principium pertinet ad ſecundum & quartum modum primę figuræ. Quũ igitur in illis tantùm quatuor ratiocinationibus, quæ in quatuor prioribus modis primæ figuræ inueniuntur, iſta principia obſeruentur, ipſæ quidem perfectæ erunt, reliquæ imperfectæ.

Obiectiuncula.

Quodnã ſit extremũ præſidium.

SEd oſtendo hos etiam quatuor modus eſſe imperfectos: nam aliquo externo præſidio egent; nempe regulis, Dici de omni & dici de nullo. Reſpondetur, hęc principia non eſſe externa, ſed internè contineri in illis quatuor modis. Externum autem uocatur reciprocatio enuntiationum, aut earum trãſpoſitio, aut deductio ad incommodum; quibus iuuantur reliqui modi, ut appareant neceſſarij.

De tribus figuris. *Cap.* 5.

Figuræ definitio.

DIximus hucuſque, quid eſſet ſyllogiſmus, quibus conſtaret partibus, & quotuplex eſſet: dicamus nunc, quot ſit figuræ ſyllogiſmorum. Eſt autem figura, certa quædam medij cum extremis collocatio. Ac certè ſi medium ſubijciatur in propoſitione, & prædicetur in aſſumptione, conſurgit prima figura: ſi prædicetur in ambabus, fit ſecunda: denique ſi in utraque præmiſſarum ſubijciatur, tertia. Quinque autem regulæ in omnibus his figuris ſunt obſeruandæ. Prima, ne vtraque præmiſſarum ſit negans: ſecunda, ne utraq; ſit particularis: tertia, ne concluſio ſit aiens, ſi alterutra ſumptionũ fuerit negans: quarta, ne concluſio ſit uniuerſa, ſi alterutra præmiſſarum particularis fuerit; quamuis poſſit cõcluſio eſſe particularis, utraque ſumptionum vniuerſa exiſtente, ut fit in Darapti & Felapton: quinta, ne medium ingrediatur concluſionem: quæ regula à nobis iam probata eſt, & infra etiam demonſtrabitur. Diligentiſsimè autem hęc præcepta retineri debent; ne fortè eorum aliquo neglecto, poſsit ex uero antecedente falſum conſequens naſci.

Generales figurarũ regulæ.

Obſeruatio.

DVbium eſt, ſintne tres tantùm figurę, an etiam quatuor: deinde utrùm omnes ſyllogiſmi in figuris contineantur. Sed hæc meliùs expedientur, tribus formis ſyllogiſmorum expoſitis.

De

De prima figura. Cap. 6.

QVemadmodnm in vna ciuitate multæ ſunt domus, atque familiæ, ita in vna forma ſyllogiſmorum varij modi continentur. Dicitur autem modus certa quædam præmiſſarum,concluſionisq; compoſitio. Sed prima figura nouem habet modos,quorum priores quatuor directè concludunt,poſteriores quinq; indirectè. Directa concluſio eſt,in qua maius extremum de minori prædicatur: indirecta autem,in qua minus dicitur de maiori. Leges verò huius figuræ duæ ſunt, vna ne maior,aut propoſitio ſit particularis; altera ne aſſumptio vnquam ſit negans. Quamuis in duobus vltimis modis indirectis,hi canones peruertantur. Ariſtoteles quidem ſatis obſcurè hos modos importunis characteribus explicat. Sed antiquus Doctor vocabula quædam inuenit,quibus facillimo negotio memoria poſſent retineri cuiuſque figuræ modi; ſcilicet Barbara,Celarent,Darij,Ferio,Baraliptô,Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum. Et hæc quidem vocabula componuntur ex quatuor vocalibus, A, E, I, & O. Deſignat autem A, enuntiationem ſibi reſpondẽtem,debere eſſe aientem & vniuerſam; E, vniuerſam negantem; I, particularem aiẽtem; O, particularem negantem. Verbi cauſa. Vocabulum Barbara habet três dictiones,ſicut & reliqua ſequentia,dempto Baraliptom,& Friſeſomorum,in quibus cauſa carminis ples dictiones ponuntur: quæ omnes conſtant vocali A. Quare in Barbara oportet omnes enuntiationes eſſe aientes & vniuerſas: in ſecundo autem vocabulo propoſitio debet eſſe vniuerſa negans, & aſſumptio vniuerſa, ſed aiens: quia prior ſyllaba conſtat A, ſecunda E. Quæ ſanè explicandi ratio in his vocabulis perpetuò eſt retinenda.

Quid ſit modus.

Modi concludentes directim, aut indirectim.

Leges primę figurę

Vocabulorũ artis explicatio

Modi directi.

Barbara. { Omne animal eſt ſubſtantia.
Omnis homo eſt animal.
Ergo omnis homo eſt ſubſtantia.

Darij. { Omnis ſcientia eſt habitus.
Aliqua Mathematica eſt ſcientia.
Ergo aliqua Mathematica eſt habitus.

Celarent. { Nulla virtus eſt mala.
Omnis temperantia eſt virtus.
Ergo nulla temperantia eſt mala.

Ferio. { Nullus Leo ridet.
Aliquod animal eſt Leo.
Ergo aliquod animal non ridet.

Modi indirecti.

Baralip. { Omne animal eſt ſubſtantia.
Omnis homo eſt animal.
Ergo aliqua ſubſtantia eſt homo.

Omnis

ctos cùm habeant eaſdem præmiſſas, quas & directi, facilè poſſe colligi ex modis directis ſola conuerſione concluſionis: at Fapeſmo & Friſeſomorum, quoniam alias ab omnibus modis directis primæ figuræ ſumptiones habent, peculiari tractatione indiguiſſe. Vel dicamus certè non omnia ab vno Ariſtotele eſſe poſtulanda, ipſumq; ſolùm eos recenſuiſſe modos, qui in omnibus figuris reperiuntur.

De ſecunda figura. Cap. 7.

Secundæ figuræ præceptiones.

SEcunda figura conſurgit, quum medium in vtraque ſumptione prædicatur. In ea autem duæ leges peculiares ſunt, in ſyllogiſmis præſertim directis ſeruandæ. Prima, ut maior ſit vniuerſa; ſecunda, vt nunquam vtraque præmiſſarum ſit aiens. Quò fit, vt in hac forma concluſio ſemper ſit futura negans. Hæ igitur cauſæ ſunt, quare hi duo ſyllogiſmi inutiles ſint, Aliquod animal eſt Leo, nullus homo eſt Leo, igitur aliquis homo non eſt animal. Item, Omnis Leo eſt ſubſtantia, omnis lapis eſt ſubſtantia, ergo omnis lapis eſt Leo. Habet autem hæc figura quatuor modos, Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco; ut patet in hac tabula.

Ceſare. { Nulla virtus eſt vitium.
Omnis iniuſtitia eſt vitium.
Ergo nulla iniuſtitia eſt virtus.

Cameſtres. { Omnis homo eſt animal.
Nullus lapis eſt animal.
Ergo nullus lapis eſt homo.

Feſtino. { Nullum rationale eſt color.
Aliqua albedo eſt color.
Ergo aliqua albedo non eſt rationalis.

Baroco. { Omne animal eſt ſentiens.
Aliquis lapis non eſt ſentiens.
Ergo aliquis lapis non eſt animal.

Quæſtiones.

HAbetne hæc figura modos indirectè concludentes? Reſpondetur, Ariſtotelē 1. Prior. cap. 5. apud Perionium, & 7. apud Boëthium, duos tantùm referre, quia nobis vocari ſolent Fapeſmo, & Friſeſomorum: ſed his addi poſſe duos alios, nempe Ceſares & Cameſtre. Quare autem addamus S, primo, & auferamus à ſecundo, quum agemus de conuerſione explicabimus.

Exempla ſunt hæc.

Fapeſmo. { Omnis homo eſt animal.
Nullus lapis eſt animal.
Ergo aliquis homo non eſt lapis.

Friſom. { Aliquod animal ſentit.
Nullus lapis ſentit.
Ergo aliquod animal non eſt lapis.

Ceſares. { Nullum vitium eſt bonum.
Omnis virtus eſt bona.
Ergo nullum vitium eſt virtus.

Cameſtre. { Omnis iuſtitia eſt virtus.
Nullum vitium eſt virtus.
Ergo nulla iuſtitia eſt vitium.

De tertia figura.

Cautiones in tertia figura ſeruandæ.

TVnc autem tertia collocationis forma ſeruatur, quum medium in vtraque enũtiatione ſubijcitur. Oportet autem in huius figuræ modis directis nunquam minorem eſſe negantem, contra quàm fit in hoc ſyllogiſmo, Omnis homo eſt animal, nullus homo eſt Leo, ergo aliquis Leo non eſt animal. Oportet in ſuper, concluſionem eſſe vniuerſam. Quod quia hic ſyllogiſmus, Omnis homo eſt animal, ſed omnis homo eſt ſubſtantia, ergo omnis ſubſtantia eſt animal, minimè ſeruat, omninò eſt reijciendus. Et quidem in hac figura ſex tantùm modi directim concludẽtes inueniuntur, Darapti, Felaptõ, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon: ſed quinq; indirectim, Daraptis, Diſami, Datiſis, Fapeſmo, & Friſeſomorum; quorum exempla hic ponimus. An autem dentur plures modi indirecti in hac & præcedenti figura, cap. 9. diffic. 2. & in capitis 10. dubitatione dicemus.

Modi directi.

Darapti. { Omnis homo eſt animal.
Omnis homo eſt ſubſtantia.
Ergo aliqua ſubſtantia eſt animal.

Felaptõ. { Nullus lapis ambulat.
Omnis lapis eſt inſenſibilis.
Ergo aliquod inſenſibile non ambulat.

Diſamis. { Aliqua virtus eſt bona.
Omnis virtus eſt habitus.
Ergo aliquis habitus eſt bonus.

Datiſi. { Omne malum eſt fugiendum.
Aliquod malum eſt vitium.
Ergo aliquod vitium eſt fugiendum.

Bocardo. { Aliquis lapis non eſt albus.
Omnis lapis eſt durus.
Ergo aliquod durum non eſt album.

Feriſon. { Nulla virtus eſt vitium.
Aliqua uirtus eſt bona.
Ergo aliquod bonum non eſt vitium.

Modi indirecti.

Daraptis. { Omnis homo eſt animal.
Omnis homo eſt ſubſtantia.
Ergo aliquod animal eſt ſubſtantia.

Omne

Diſami.	Aliqua virtus eſt bona. Omnia virtus eſt habitus. Ergo aliquod bonum eſt habitus.
Datiſis.	Omne malum eſt fugiendum. Aliquod malum eſt vitium. Ergo aliquod fugiendum eſt vitium.
Fapeſmo.	Omnis homo eſt animal. Nullus homo eſt lapis. Ergo aliquod animal non eſt lapis.
Friſeſom.	Aliquis habitus eſt bonus. Nullus habitus eſt diſpoſitio. Ergo aliquod bonum non eſt diſpoſitio.

Quæſtiuncula.

QVare ex modis indirectis primæ figuræ ſoli Fapeſmo & Friſeſomorum vagantur per omnes figuras? Reſpondetur. Quia habent concluſionem particularem negantem, quæ in omni figura poteſt concludi; cum tamen vniuerſa aiens ſolùm poſsit inferri in prima figura, vniuerſa negans in prima & ſecunda, particularis aiens in prima & tertia. De Fapeſmo & Friſeſomorũ

Circa omnes figuras dubitationes.

NVnc oportet omnibus figuris communes quæſtiones tractare. Ac principiò quæritur, quæ ipſarum nobilior ſit. Reſpondetur, Primam eſſe præſtantiorẽ multis de cauſis. In ipſa etenim omne genus concluſionis poteſt inferri; ſcilicet vniuerſa & particularis, aiens & negans: at in ſecunda figura non poteſt concludi aiens, ſicut nec in tertia vniuerſa. Porrò in eius prioribus modis manifeſta ſunt, atque perſpicua illa duo principia, Dici de omni, & Dici de nullo. Quò fit, vt ad eam, tanquam ad præſtantiorem, aliarum figurarum modi referantur. Deniquein prima figura Medium obtinet locum maximè conſentaneum ſuæ naturæ. Subijcitur enim maiori extremo, & minus ſuperat. Quòd ſi velimus comparare ſecundam figuram tertiæ, præſtantior eſt ſecunda; quia in tertia non poteſt concluſio vniuerſa colligi. Item quia licet in neutra medium obtineat locum naturæ ſuæ accommodatum, tamen pręſtantior eſt eius ſitus in ſecunda, quàm in tertia: in illa enim de utroque extremo affertur, in hac verò vtrique ſubijcitur: quamuis tertia hoc nomine antecellat ſecundę, quòd in ipſa concluſio ſit interdum aiens; in ſecunda nequaquam. Quæ ſit præſtãtior figurarũ.

Secunda quæſtio eſt, an detur quarta figura. Et uidetur dari. Nam hic ſyllogiſmus, Omne animal eſt ſubſtantia, ſed omnis ſubſtantia eſt ens, ergo omne animal eſt ens, eſt bonus; at non eſt in aliqua figurarum (vt conſtat) ergo danda eſt quarta figura. Tametſi adhuc controuerſum ſit, detùrne quarta figura: hoc argumento poteſt ipſa defendi. Etenim figura conſurgit ex varia medij collocatione; ſed quatuor modis poteſt medium collocari, ergo totidem erunt figuræ. Propoſitio nota eſt. Probatur aſſumptio. Nam medium aliquando ſubijcitur in maiori, & prædicatur in minori, & fit prima figura; interdum prædicatur in vtraque, & fit ſecunda; nonnunquam De quarta figura.

in vtraque ſubijcitur,ac cõſurgit tertia:ergo ſi prædicetur in maiori,& in minori ſubijciatur,ut in ſuperiori ſyllogiſmo factum eſt,proculdubio quarta conſurget.

Modi quartæ figuræ.

Agamus igitur de modis huius figuræ,tractemus de eius legibus, denique ab impugnantium telis eam defendamus. Habet quidem ipſa nouem modos, ſed quatuor priores indirectè concludunt,quinque poſteriores directè. Hoc enim eſt illi peculiare,vt præſtantiores in ea ſint modi indirecti,quàm directi. Poſſuntq; eiſdem nominibus appellari eius modi, quibus & modi primæ figuræ: ſed eô pacto, vt ſecunda vocalis priori loco ponatur. Quò fit,ut ſecundus modus huius figuræ non ſit vocandus Celarent,ſed Calerent. Huius præterea figuræ hæ leges tradi ſolent;ne ſcilicet propoſitio negãs ſit,aut aſſumptio particularis;ſaltem in modis indirectis. Non enim ſequitur, Nullum animal eſt lapis, ſed aliquis lapis eſt ſubſtantia,ergo aliquod animal non eſt ſubſtantia.

Eius leges

Colligitur hinc,particularem negantem non poſſe collocari in antecedente quartæ figuræ,quia uel poneretur loco maioris, quæ non poteſt eſſe negans;vel minoris,quæ non poteſt eſſe particularis. Quo ferè argumento probare potuiſſemus,particularem negantem non poſſe eſſe præmiſſam in prima figura. Exempla autem modorum huius figuræ facilè eſſet deſcribere,ſed facilius multò cuique erit ea excogitare.

Argumenta in quartã figurã.

Qui autem hanc formam explodunt, his argumentis vtuntur. Primum, quia Ariſtoteles eius non meminit. O plumbeum pugionem. Reſponderi enim poterit, argumentum ab auctoritate negans infirmum eſſe, vt in Topicis explicabitur. Reſpondetur ſecundò,Ariſt.eas tantùm enumeraſſe figuras,quæ primò & per ſe inferunt concluſionem directam,ſecundariò indirectam:quod minimè conuenit quartæ. Alterum. Hæc figura nihil aliud eſt, quàm exemplum regulæ traditæ ab Ariſt. initio Categoriarum,quum alterum de altero dicitur vt de ſubiecto, &c. ergo non eſt ponenda: Reſpondetur primò,hoc argumentum potius confirmare ſententiam hanc,quàm deſtruere. Probat enim huiuſmodi ſyllogiſmos eſſe optimos,poſtquam Ariſtotelica regula,fulciuntur. Reſpondetur ſecundò, falſum eſſe quartam figuram perpetuò illa regula niti. Nam (vt ibi docuimus) illa ſolùm adducitur ab Ariſtotele, reſpectu eorum,quæ in recta linea Categoriæ prædicato ſubijciuntur,aut ſaltem ſecundùm eſſentiam: & tamen in quarta figura poſſunt fieri ſyllogiſmi etiam in materia contingente. Tertium argumentum. Quarta figura poteſt reduci ad primam, ſi ordo ſumptionum mutetur;ergo non differt à prima. Reſpondetur,etiam ſecundam & tertiam poſſe reduci ad primam.

Achilles quartam figuram impugnãtium.

Quartum eſt, quia nullus ſyllogiſmus datur in quarta figura. Nam ſi daretur,maximè ille,quem initio huius quæſtionis poſuimus:at ille eſt in prima figura, ergo non in quarta. Probatur aſſumptio. Nam illa enuntiatio,Omnis ſubſtantia eſt ens, quæ à nobis putatur minor, re uera eſt maior,cùm in ea ſit maior vis ſyllogiſmi. Ergo in ſyllogiſmo propoſito medium ſubijcitur in maiori,& prædicatur in minori:ac proinde eſt in prima figura. Reſpondetur, oĩa quæ in argumento proponuntur eſſe incerta. Nam veriùs dici poſſet,illam enuntiationem,Omnis ſubſtantia eſt ens,in prædicto ſyllogiſmo eſſe minorem; ſiue maiores vires habeat,ſiue minores.

Nota de maiore,& minore enũtiatione.

Nã eadẽmet propoſitio,quæ eſt maior in Diſamis, eſt minor in Datiſi;& illa quæ eſt maior in Datiſi,eſt minor in Diſamis. Ergo non eſt curandũ,q̃ enũtiatio habeat maiorẽ aut minorẽ vim,ut maior, vel minor propoſitio iudicetur. Sed dicẽdũ eſt,illã eſſe maiorẽ,quæ priori loco ponitur illã minorẽ,q̃ ſecũdo loco;cũ hac voce Sed; aut ſimilib. Idẽ argumentũ,qđ factũ eſt de Diſamis & Datiſi, poteſt fieri de Ceſare & Cameſtres. Hinc perſpicuum fit, in illo ſyllogiſmo, de quo

eſt con-

eſt controuerſia,maius extremum eſſe animal,& minus ſubſtantiam;quia illud ponitur in propoſitione cum medio,hæc autem in aſſumptione. Igitur,qui voluerit,hoc pacto quartam figuram non abſque probabilitate defendet. Sed quia parum à prima differt,non oportebit deinceps niſi tres ſyllogiſmorum figuras nominare. Sufficit enim hoc loco ſenſiſſe cum paucis,iam loquamur vt plures.

Tertiò quæritur, an omnes ſyllogiſmi Categorici non modificati reponendi ſint in aliqua harum figurarum. Sanè pars negans ita probatur. Hic ſyllogiſmus optimus eſt,Petrus eſt homo,ſed Petrus eſt animal,ergo aliquod animal eſt homo,atqui non eſt in aliqua figurarum,cùm nullam enuntiationem habeat in antecedente vniuerſam; contra leges omnium figurarum: Ergo alia figura eſt excogitanda. [An detur plures modi præter ſuperiores.] Prætereа hic ſyllogiſmus, Tantùm animal eſt homo,ſed nullus lapis eſt animal,ergo nullus lapis eſt homo,eſt bonus,quia in nulla re poteſt dari antecedens verum,& conſequens falſum,ſimili forma retenta; & tamen non eſt in aliqua figurarum: ergo idem quod in priori argumento efficitur. Dices. Eſt in prima figura. Sed ita diſputo. Concludit directè, & habet minorem negantem, ergo non eſt in prima. Eadem quæſtio eſt de illo ſyllogiſmo,quem Ariſtoteles proponit 1. Poſteriorum capite 10. Stellæ non ſcintillantes ſunt propè nos, ſed Planetæ non ſcintillant, ergo ſunt propè nos. Quoniam ſi eſſet in aliqua figura,maximè in prima,in qua non eſt,cùm habeat minorem negantem,& directè concludat. Sed reſpondemus,propter huius generis ratiocinationes non eſſe quærendam aliam figuram,licet dandi ſint plures modi,præter eos,quos recenſuimus. Sciendum eſt enim,ex ſyllogiſmis Categoricis quoſdam eſſe modificatos, alios ſimplices. [Syllogiſmi modificatis enuntiationib. conſtãtes.] Modificati pertinent ad has figuras, ratione dicti, vt hic ſyllogiſmus,Neceſſe eſt omne animal eſſe ſubſtantiam,ſed neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal, ergo neceſſe eſt omnem hominem eſſe ſubſtantiam, ratione dicti collocatur in modo Barbara. Prɇterea ſimplices ſyllogiſmi alij conſtant planis, ſimplicibusq; vocabulis, quæ peculiari tractatione & probatione non indigent; ut ſyllogiſmi de quibus hucuſque egimus: alij verò conſtant vocabulis: quæ peculiares inuoluunt difficultates, ſcilicet dictionibus excludentibus,ut tantùm, ſolùm, & prɇter, &c. Dicuntur autem huiuſmodi dictiones,proprias difficultates inuoluere,quia peculiare genus probationis exigunt. Ham hæc propoſitio, Omnis homo eſt animal, facilè probatur: ſed hæc alia, Solus homo eſt riſibilis, debet probari hac ratione, homo eſt riſibilis, & nihil aliud poteſt ridere, ergo ſolus homo eſt riſibilis. Item huius generis ſunt etiam ſyllogiſmi conſtantes dictionibus,quæ ſignificant prædicatum conuenire ſubiecto adæquatè, ut primò & per ſe, quatenus & quà, &c. ut hæc ratiocinatio, Homo quà homo eſt rationalis; ſed nullus lapis eſt homo, ergo nullus lapis eſt rationalis. [Syllogiſmi conſtãtes vocib. quæ proprias exigunt probationes.] Syllogiſmi qui conſtant his dictionibus,pertinent ad vnam figurarum,iuxta variam medij collocationem: non tamen neceſſariò pertinent ad aliquẽ modum ex numeratis. Verbi gratia.Syllogiſmus proximè adductus eſt in prima figura, & tametſi directè concludat, non eſt in Barbara, Celarent, Darij, aut Ferio, cùm habeat minorẽ negantẽ. Quinimo nec oẽs ſyllogiſmi, qui carent iſtis dictionib. collocantũ in aliquo ſuperiorũ modorũ;niſi quũ ſeruant cõem loquẽdi formã, Quod ideo dixeri,qm̃ hic ſyllogiſmus,Oĩs homo eſt animal,nullus Leo eſt homo,ergo oĩs Leo aliqd̃ animal nõ eſt,caret oĩ vocabulo,qđ peculiare genus probationis exigat,& q̃a in cõſeqũẽte nõ ſeruat vſitatũ loquẽdi morẽ; quãuis ſit in prima figura,& directim colligat,non eſt in vllo quatuor modorũ; quippe cùm minorẽ negãtem habeat. [Syllogiſmi à communi loquutionis phraſi alieni.] Denique aſſero,neq; omnes ſyllogiſmos,qui dictionibus peculiarem habentib. difficultatem

tatem vacant,& vſitatam loquendi formam retinent,pertinere ad aliquem prædicto rum modorum,niſi medium fuerit vniuerſum. Nam ſi fuerit ſingulare,dabitur ſyllogiſmus in aliqua figura, qui in nullo eorum collocabitur. Breuiter itaque dicendum eſt,non omnes ſyllogiſmos Categoricos & ſimplices,quamuis ſint boni,ad modos aſsignatos pertinere,niſi careant dictionibus peculiarem probationem deſiderã tibus,& ſeruent vſitatum loquendi morem;nec conſtent medio ſingulari.

Syllogiſmi expoſitorij.

Iam igitur reſpondeamus ad argumenta. Et ad primum dico, illum ſyllogiſmum eſſe expoſitorium,ac pertinere ad tertiam figuram; non tamen ad aliquem modum ſuperiorem. Quum autem ſupra dictum eſt, ſaltem alteram præmiſſarum vniuerſam eſſe debere,non erat ſermo de ſyllogiſmo expoſitorio, id eſt,qui medio conſtat ſingulari. Ad ſecundum reſpondetur,illum ſyllogiſmum eſſe in prima figura,& minorem in prima figura poſſe eſſe negantem,etiam in ſyllogiſmo directo,quando in maiori ponitur dictio excludens,aut ſignificans prędicatum conuenire ſubiecto adęqua tè;ſicut in ſimili euentu poteſt eſſe in ſecunda figura vtraque præmiſſa aiens:vt ſit in hoc ſyllogiſmo,Tantùm animal eſt homo,ſed omne rationale eſt homo,ergo omne rationale eſt animal. Nec in huiuſmodi forma vnquam poterit dari antecedens verum,& conſequens falſum. Ad tertiũ reſpondetur, eum ſyllogiſmum eſſe in prima figura,& minorem eſſe negantem voce tantùm: nam ibi accipitur pro aiente, quaſi dicamus,Stellæ non ſcintillantes ſunt propè nos,ſed Planetæ ſunt ſtellæ non ſcintillan tes,ergo Planetæ ſunt propè nos.

In prima figura minor poteſt eſſe negãs & in ſcdã da vtraq; præmiſſa aiens.

Quartò quæritur, quonam pacto cognoſcere poſsimus,quot ſint modi in quauis figura. Et reſpondetur, primò conſiderandas eſſe leges communes omnibus figuris,quas capite 5 aſsignauimus,& trademus dubio ſequenti,ſcilicet ne vtraque enun tiatio ſit particularis,uel negans,&c. Præterea retinendas eſſe leges peculiares illius figuræ,cuius vtiles modos inueſtigamus. Verbi cauſa. Si quærimus modos vtiles primæ figuræ directè concludentes,reuocanda ſunt in mentem illa pręcepta, quæ ini tio eiuſdẽ figuræ tradidimus,ne maior ſit particularis,nec minor negans. Poſtremò per diuiſionem conſiderandæ ſunt omnes,quæ fieri poſſunt enuntiationum connexiones:& quot fuerint non repugnantes aut communibus, aut peculiaribus illius figuræ præceptionibus,tot erunt in ea modi directi. Exemplum. In prima figura vel ambæ enuntiationes ſunt aientes, vel negantes ambæ;vel propoſitio aiens eſt,& aſſumptio negans;vel maior negans,& minor aiens:tum ſingulæ huius diuiſionis partes ita ſunt diuidendæ. Si duæ enuntiationes ſunt aientes, vel ambæ ſunt vniuerſæ, & fit primus modus vtilis,ſcilicet Barbara;vel ambæ particulares,& fit inutilis quædã cõpoſitio;quia ex vtraque ſpeciali in nulla figura quicquam infertur: Vel maior eſt vniuerſa,& minor particularis,& naſcitur tertius modus vtilis,qui dicitur Darij,uel maior eſt particularis, & minor vniuerſa;eſtque incollectilis combinatio,quia in prima figura ex maiori ſpeciali nihil infertur. Si autem vtraque ſit negans,conſurgunt quatuor connexiones, quia vel vtraque eſt vniuerſa, vel vtraque ſpecialis; vel maior vniuerſa,& minor particularis: vel è contrario. Sed omnis hæc ſtructura inutilis eſt, cùm ex duabus negationibus,ex communi omnium formarum lege, nihil ex neceſsitate efficiatur. Iam autem ſi maior ſit aiens,ſi minor negans,totidem combinationes oriuntur,vt patet: ſed cunctæ vanæ ſunt,cùm ex minori negante nihil poſſit directè in prima figura colligi. Denique ſi maior ſit negans,& minor aiens,aut vtraque eſt vniuerſa,& fit ſecundus modus, & quidem egregius,qui vocatur Celarent, aut vtraque eſt particularis,ac ſubinde eſt inutilis modus,vt dictum eſt:vel maior eſt vniuerſa, &

Ratio inueſtigandi modos cuiuſq; figuræ.

Primus modus primæ figuræ.

Tertius modus.

Secundus modus.

ſa,& minor ſpecialis, quod accidit in quarto modo vtili;ſcilicet Ferio. Tandem vel maior eſt particularis, & minor vniuerſa; ſitq; inutilis modus, quia in hac figura ex maiori particulari nihil colligitur. Simili analogia poſſunt inueſtigari modi aliarum figurarum directi, & etiam indirecti: dummodo intelligamus,pauciores leges in modis indirectis,quàm in directis ſeruari debere;præſertim in tribus figuris. Quartus modus.

Quintò dubitari poteſt, An præter leges,quas cap.5.in omnibus figuris ſeruādas tradidimus,aliæ regulæ in omnibus ſint obſeruandæ. Reſpondetur,plures eſſe præceptiones annotandas: ſed ideò in hunc locum reiectas fuiſſe;quia aliqua earum vix poterant intelligi,niſi præcognitis figuris. Prima lex eſt,ne in ſyllogiſmo Categorico aliqua Hypotheſis,aut conditio collocetur. Quare nullius eſt momenti hęc ratiocinatio in prima figura,Omne animal ſi eſt rationale,eſt homo,ſed omnis Leo eſt animal,ſi eſt rationalis,ergo omnis Leo eſt homo. Non equidem nego,ad conſtituendos ſyllogiſmos poſſe Hypotheſes, ac(vt aiunt)caſus poſtulari;id enim ſapientiſsimi quique faciunt. Licet(ait Cicero lib.4.de Finibus)aliquid fingere docendi cauſa.Sed dico,eas Hypotheſes,aut conditiones non eſſe intra ſyllogiſmi Categorici partes collocandas. Altera præceptio eſt, ne pars maioris extremi ponatur in aſſumptione. Quare hic ſyllogiſmus non caret vitio,Omne ſecundum proximè ſequitur primum, ſed omne tertium proximè ſequitur ſecundum,ergo omne tertium proximè ſequitur primum. Nam maius extremum per reſolutionem propoſitionis eſt hoc,Proximè ſequens primum;quod tamen in ſecunda enunciatione ex parte collocatur. Tertius canon.Nulla vox debet latiùs patere in conſequente, quàm in antecedente. Quæ cauſa eſt,vt hic ſyllogiſmus reijciatur, Omne mortuum eſt non ens, nullus homo eſt non ens: ergo nullus homo eſt mortuus. Vox ſiquidem Homo in antecedente ſumitur pro homine qui eſt; in conſequente verò pro homine qui eſt,vel fuit;& ita eſt falſa,quia hāc habet intelligentiam,Nullus homo qui eſt,vel fuit,eſt mortuus. Quod autem in illo conſequenti accipiatur pro homine,qui eſt, vel fuit,probatur: nam hæc enuntiatio aiens, Homo eſt mortuus, ita dicitur de homine qui eſt, ſicut de homine qui fuit. Etenim de Chriſto domino,qui nunc in cælis viuit, verè dicitur eum eſſe mortuum. Mortuus & ſepultus eſt,dicitur in ſymbolo. Rurſumque de Adam;qui iam non eſt (niſi ratione animæ) ſed fuit, dicimus eum eſſe mortuum. Ergo in illa enuntiatione negante,Nullus homo eſt mortuus,Homo ſumetur pro eo qui eſt, vel fuit: alioquin negatio non negabit quicquid affirmatio affirmat. Quòd ſi hæc vera ſunt,profectò nulla vox in concluſione ſumēda eſt cum nota vniuerſitatis;id eſt,omnis,aut nullus,quæ in antecedente ſumpta non fuerit. Quare bene ſe habent,qui negant,ex minore negante quicquam directè colligi poſſe in prima figura: quoniam ſi fiat hic ſyllogiſmus, Omnis homo eſt animal, nullus Leo eſt homo,ergo nullus Leo eſt animal,certè animal in cōcluſione ſumitur in vniuerſum,quia ſignum illud negās omnes voces ſequentes in vniuerſum accipi cogit;cùm alioqui illa vox animal in propoſitione particulariter accipiatur: quia ſignum generale aiens,vt omnis & quilibet, ſi initio enuntiationis collocetur,non profert vim ſuam vltra ſubiectum:quare minimè pertingit ad attributum. Sed de his ſatis multa lib. ſuperiore cap.6.& 7.ſcripſimus. Quartum præceptum. Pars medij non debet ingredi concluſionem.Itaque reijcięda eſt hæc ratiocinatio,Omnis homo eſt res diſtincta à Leone,ſed nullus Leo eſt res diſtincta à Leone, ergo nullus Leo eſt res diſtincta ab homine;quoniā pars medij,ſcilicet res diſtincta,ingreditur concluſionem.Vltima lex.In ſyllogiſmis nulla uox Homonyma collocetur: quia cùm Homonymum ſit multiplex ſecundùm definitionem,

Aliæ præceptiones figurarum.

An Hypotheſes ſint admittendæ.

Quare in prima figura ex minori negante, nihil directè colligatur

nem, æquiualebit illa uox ſaltem duobus terminis; & ita conſtabit ſyllogiſmus quatuor terminis. Sed hęc de his; quæ uerè Homonyma ſunt, intelligãtur. Analoga enim poſſunt ingredi demonſtrationem, ut patet in Metaphyſica, in qua fiunt demonſtrationes de ipſo ente; quamuis ſit analogum. Lib. 8. cap. 3. meliùs hæc tractabimus.

De particularis, & indefinitę æqualitate.

Quæritur ultimò, quid agere poſsimus, quando in aliquo modo deſignatur enunciatio particularis. Reſpondetur, loco eius poſſe enuntiationem indefinitam ſumi. Quò fit, ut hi duo ſyllogiſmi ſint in Datiſi.

Omnis homo eſt ſubſtantia.	Omnis homo eſt ſubſtantia.
Sed aliquis homo eſt animal.	Sed homo eſt animal.
Ergo aliquod animal eſt ſubſtantia.	Ergo homo eſt ſubſtantia.

Ariſtoteles enim ſic ait lib. 1. Prior. cap. 5. in Perionij tranſlatione, & 7. in uerſione Boëthij. Si indefinita propoſitio pro affirmante particulari ſumatur, eundem atque illa efficiet ſyllogiſmum in quauis figura. Sed hoc loco ſtultiſsimum eſſet, oblatam occaſionem probandæ noſtrę opinionis contemnere. Diximus libro ſuperiore cap. 13. hanc enuntiationem, Animal eſt homo, eſſe neceſſariam. Quæ profectò ſententia hoc clariſsimo teſtimonio ſic comprobatur, ut iam eam negare nõ debeat quiſquam; ſi modò uelit eſſe Peripateticus. Si enim quotieſcunque ego dico, Aliquod animal eſt homo, poſſum dicere, Animal eſt homo, cùm illam enuntiationẽ poſsim in ſyllogiſmo neceſſatio collocare, profectò idem mihi licebit de hac ſecunda. At ſyllogiſmus neceſſarius ex neceſſarijs enuntiationibus conſtat, ergo illa enuntiatio, Animal eſt homo; eſt neceſſaria. Præterea ſumo illum ſecundum ſyllogiſmum, quem ſupra ex indefinitis aſſumptione & concluſione in Datiſi compoſui: & peto, ut reducatur ad Darij, profectò (ut cap. ſequenti dicemus) aſſumptio erit ſimpliciter conuertẽda. At in conuerſione ſimplici ex conuertente ad conuerſam, & è contrario, eſt optima conſequutio. Ergo bona erit hæc argumentatio, Homo eſt animal, ergo animal eſt homo, ſed in bona argumentatione ex neceſſario, non poteſt ſequi contingens, ergo illa indefinita enuntiatio, Animal eſt homo, eſt neceſſaria. Hæc ſatis. Itaque (vt ad propoſitum reuertamur) loco particularis licet ponere indefinitam.

Confirmatur denuo quidã Antoris opinio.

De oſtenſiua reuocatione imperfectarum ratiocinationum ad perfectas. Cap. 9.

Duplex ſyllogiſmorum conuerſio

OStendamus iam, quonam pacto modi imperfecti ad perfectos debeant reuocari. Sunt autem duæ reuocationis formæ, una dicitur oſtenſiua, ſeu recta, aut per reciprocationem; altera ad incommodum, vel ad impoſsibile. In hoc autem capite de conuerſione, aut reuocatione oſtenſiua agemus; in ſequenti verò de ea quæ vrget incommodo. Conuerſio oſtenſiua eſt mutatio ſyllogiſmi imperfecti in perfectiorem, media reciprocatione alicuius, aut omnium enuntiationum, aut tranſpoſitione ſumptionum; ita vt maior fiat minor, & minor maior. Quam rem breuiſsimè explacabit antiquus quidam auctor illis vocabulis, quibus ſingulos modos omnium figurarum nominauit, ſcilicet, Barbara, Celarẽt, Darij, &c. Nam cùm priores quatuor modi primæ figuræ incipiant ab his conſonantibus B, C, D, & F, reliqui etiam modi, qui ab eiſdem incipiunt, debent conuerti ad eos modos primæ figuræ,

Priores cuiuſque.

qui-

quibus in primis characteribus aſsimilantur. Omnes incipientes à B, reducuntur ad Barbara, à C, ad Celarent, à D, ad Darij, ab F, ad Ferio, vt in hac tabula manifeſtè oſtenditur. modi literæ quid oſtendant.

Ad Barbara Non autem oſtenſiuè.	Baralipton. Baroco. Bocardo.	Ad Darij	Dabitis. Darapti. Diſamis. Datiſi.
Ad Celarent.	Celantes. Ceſare. Cameſtres.	Item.	Daraptis. Diſami. Datiſis.
	Item. Ceſares. Cameſtre.	Ad Ferio.	Fapeſmo. Friſeſomorum. Feſtino. Felapton Feriſon.

Præterea modi, qui poſt quatuor priores ſequuntur, quatuor potiſsimùm conſonantibus in medio conſtant (licet alias admittant, quæ parum ad conuerſionem faciunt, ſed tantùm cauſa carminis adiectæ ſunt, vt l, n, r, t.) ſcilicet S, M, P, C, quæ peculiarem ſignificationem habent. Quia S, ſignificat, enuntiationem præcedentem debere conuerti ſimpliciter; P, per accidens, M, tranſponendas eſſe præmiſſas, denique C, poſitum in medio vocabuli, indicat, talem modum non poſſe conuerti conuerſione oſtenſiua ad primam figuram, ſed tantùm conuerſione ad incommodum. Exempla ſunt manifeſta: quare nos duo tantùm adducemus, ne diutiùs in re perſpicua lectorem detineamus. De vi quarandā conſonantiū.

Fapeſmo. { Omnis homo eſt animal.
Nullus lapis eſt homo.
Ergo aliquod animal non eſt lapis.

Ferio. { Nullus homo eſt lapis.
Aliquod animal eſt homo.
Ergo aliquod animal non eſt lapis.

Maior fit minor, & conuertitur per accidens. Minor verò ſimpliciter.

Diſamis. { Aliquis homo eſt animal.
Omnis homo eſt ſubſtantia.
Ergo aliqua ſubſtantia eſt animal.

Darij. { Omnis homo eſt ſubſtantia.
Aliquod animal eſt homo.
Ergo aliquod animal eſt ſubſtantia.

Minor fit minor, & conuertitur ſimpliciter ſicut, concluſio.

Diſ-

Difficultates ex ſuperioribus ortæ.

De cõuerſione Baralipton.

QVa ratione in modo Baralipton concluſio particularis aiens in vniuerſam aiẽtem conuertitur, vt illud P, indicat, cùm ſæpiſsimè ex ſimili conuerſione antecedens verum, & conſequens falſum poſsit dari: verbi: gratia, Aliquis homo eſt animal, ergo omne animal eſt homo. Reſpondetur. Quum in Baralipton particularis aiens in vniuerſam conuertitur, id non fieri ex vi legum conuerſionis, ſed ex ui enuntiationum in antecedente præcedentium. Quia enim præmiſſæ modi Baralipton ſunt eędem penitus atque illæ, quæ in Barbara proponuntur; ideò ſicut in Barbara poſſunt inferre vniuerſam aientem directam, ita in Baralipton. Quãmobrem poteſt ſpecialis aiens indirecta in vniuerſam directam mutari.

Quare duobus modis inutilis ſit conuerſio oſtenſiua.

Altera difficultas. Quænam eſt cauſa, ob quam Baroco & Bocardo non poſſunt reduci ad primam figuram conuerſione oſtenſiua? Reſpondetur: Quia cõuerſio oſtenſiua aut fit præmiſſarum trãſpoſitione, aut earum conuerſione; quod ſanè in his modis fieri nequit. Si enim accipiamus modum Baroco, & eius præmiſſas tranſponamus, iam maior erit particularis negans; quod vetant leges primæ figuræ. Si autem præmiſſas in ſuis locis relinquamus, & earum reciprocatione vtamur, erimus in nihil agendo occupati. Si enim reciprocetur propoſitio, cùm ſit vniuerſã aiens, conuertetur in particularem aientem conſtabitq; ſyllogiſmus ex duabus particularibus, uel repugnante natura. At ſi aſſumptio conuertatur, ea per contrapoſitionem reciprocabitur, cùm ſit ſpecialis negans: fietque ſyllogiſmus ex quatuor extremis, duobus finitis, & totidem infinitis. Eadem ferè eſt ratio de Bocardo, cuius ſi trãſponamus ſumptiones, minor erit particularis negans contra leges primæ figuræ. Si verò aliquam præmiſſarum velimus conuertere, eadem incommoda ſequẽtur, quæ de Baroco adduximus. Et quidem conſultò aſſerimus, hos modos non poſſe conuerti ad primam figuram: nam ad aliam poſſunt profectò reduci, ſi omnes præmiſſæ & concluſiones conuertantur per contrapoſitionem. Sed tunc Baroco erit in tertia figura, & Bocardo in ſecunda, ut oſtenditur his exemplis.

Propria conuerſio oſtenſiua Baroco & Bocardo.

Baroco { Omnis homo eſt animal.
Aliquod ens non eſt animal.
Ergo aliquod ens non eſt homo.

Bocardo. { Aliquis homo non eſt Leo.
Omnis homo eſt animal.
Ergo aliquod animal non eſt Leo.

Baroco. { Omne non animal eſt non homo.
Aliquod non animal non eſt non ens.
Ergo aliquis non homo non eſt non ens.

Bocardo { Aliquis non leo nou eſt non homo.
Omne non animal eſt non homo.
Ergo aliquis non leo non eſt non animal.

Dices ergo, iam dabuntur in ſecunda & tertia figura plures modi indirecti, quã ſupra (communem ſcholam ſequentes) recenſuimus. Reſpõdeo, uerum eſſe prorſus, quod intuliſti: nam in ſecũda figura datur Bocardo, & Baroco in tertia. Nec vlla ratione

tione in ſimili forma poterit dari antecedens verum,& cõſequens falſum; non modo quum vocabula ſunt infinita,ſed etiam quando ſunt finita : ut ex ſequentis capitis dubitatione pateſcet.Hos igitur duos modos, quamuis in nulla penitus auctore legerimus,ab omnibus tamen ſuſcipiendos arbitramur:quia (ut dixi)ex ſumptionibus ita compoſitis, neceſſariò fit concluſio. De hoc itaque conuerſionis genere ſatis.

Tertia difficultas. Cùm (ut colligitur ex Ariſtotele 1. Prior. cap.5.) illi modi, quos dicimus Fapeſmo & Friſeſomorum in tribus figuris reperiantur, quomodo ſunt conuertendi quando ſunt in ſecunda,vel tertia figura? Reſpondetur. Quando Fapeſmo & Friſeſomorum ſunt modi indirecti primæ figuræ,facilem eſſe eorum in præſtantiorem modum reuocationem;ſi ipſorum characteres conſiderentur.Quãdo aũt ſunt modi ſecundæ figuræ, conuertuntur ad primam hoc pacto.Vtriuſq;.n. præmiſſæ traijciendę ſunt,& trãſponendæ. Deinde verò ea quæ antea erat minor,& poſtea fit maior,ſimpliciter eſt conuertenda:atq;ita fiet,ut Friſeſomorum reducatur ad Ferio;Fapeſmo autem ad Celarent,& habebit concluſionem vniuerſam;quæ erit conuertens enuntiationis vniuerſæ negantis:ex qua per leges oppoſitionis ſubalternæ colligetur concluſio,quæ erat in Fapeſmo. Quare Fapeſmo, quum eſt in ſecunda figura,nõ deberet incipere ab F,ſed à C.Reductionem autem hæc tabula indicat.

De Fapeſmo & Friſeſomorũ reductione.

Fapeſmo.
- Omnis homo eſt animal.
- Nonnullus lapis eſt animal.
- Ergo aliquis lapis non eſt homo.

Celarent.
- Nullum animal eſt lapis.
- Omnis homo eſt animal.
- Ergo nullus homo eſt lapis.

Friſeſom.
- Aliquis homo eſt animal.
- Nullus lapis eſt animal.
- Ergo aliquis homo non eſt lapis.

Ferio
- Nullum animal eſt lapis.
- Aliquis homo eſt animal.
- Ergo aliquis homo non eſt lapis.

Denique Fapeſmo & Friſeſmorum, quum ſunt in tertia, reducuntur ad Ferio, ſi præmiſſæ traijciantur:& præterea ea enuntiatio quæ erat maior in Friſeſomorum, ſimpliciter conuertatur;quæ autem erat maior in Fapeſmo,conuertatur per accidẽs, vt fiat in hac tabula.

Fapeſmo.
- Omnis homo eſt rationalis.
- Nullus homo eſt Leo.
- Ergo aliquod rationale non eſt leo.

Ferio.
- Nullus homo eſt Leo.
- Aliquod rationale eſt homo.
- Ergo aliquod rationale non eſt Leo.

Friſeſom.
- Aliquis homo eſt rationalis.
- Nullus homo eſt Leo.
- Ergo aliquod rationale non eſt leo.

Ferio. { Nullus homo eſt Leo.
Aliquod rationale eſt homo.
Ergo aliquod rationale non eſt Leo.

Ratio cõuerſionis d irectæ.

Quarta difficultas. Quid prodeſt hæc ſyllogiſmorum reductio ad probandum, priorem ſyllogiſmum neceſſariò inferre concluſionem? Reſpondetur. Cùm certum ſit in bona argumentatione quicquid ſequitur ad conſequens, ſequi etiam ad antecedens; & enuntiationes ſyllogiſmi perfecti, in quem fit conuerſio, ſint eædem atque illæ, quæ erant in ſyllogiſmo imperfecto, aut ex illis neceſſariò colligantur; ſequitur, illud conſequens, quod infertur ex præmiſsis ſyllogiſmi perfecti, inferri etiam ex ſumptionibus imperfecti.

De quartæ figuræ reductione.

Vltima difficultas. Si quis defendere velit quartam figuram, quomodo eius ſyllogiſmos ad primam reducet? Reſpondetur, hanc conuerſionem eſſe omnium facillimam, ſi cuiuſlibet ſyllogiſmi pręmiſſę traijciantur.

De reductione ad incommodum, ſeu ad impoſſibile. Cap. 10.

Quomodo hæc ſyllogiſmorum reuocatio à ſuperiori differat.

Quid ſit reductio ad incõmodum.

QVi alicuius imperfectę ratiocinationis complexionem negat, aut ignoratione ducitur, aut proteruia: ſi ignorans fuerit, ſufficiet ei conuerſio directa, de qua ſuperiore capite diximus; ſin proteruus ſit, alio genere conuerſionis vtendum erit, quod appellari ſolet ad incommodum. Eſt autem latum diſcrimen inter duo hæc reductionis genera, quòd primum tantùm ſyllogiſmis imperfectis cõueniat, ſecundum verò perfectiſsimis etiam accõmodari poſsit. Prius tamen dicemus, quonam pacto hoc genere conuerſionis vti debeamus in ſyllogiſmis imperfectis; deinde aliqua ſubijciemus, quæ ad ſyllogiſmos perfectos attinent. Conuerſio ad incommodum eſt, quum ſumpto contradictorio concluſionis negatæ, & aliqua iam ab aduerſario conceſſa propoſitione, aliam ab eo perinde conceſſam falſam eſſe probamus. Verbi gratia, ſi fiat ſyllogiſmus in

Datiſi, { Omnis homo eſt ſubſtantia.
Aliquis homo eſt animal.
Ergo aliquod animal eſt ſubſtantia.

Methodus ſeruanda in ſuis generis reuocatione.

& admiſsis ſumptionibus, concluſionem aliquis neget, ita contra eum eſt diſputandum. Hæc enuntiatio, aliquod animal eſt ſubſtantia, per te eſt falſa; ergo eius cõtradicens, Nullum animal eſt ſubſtantia, erit vera. Sed vt antea conceſsiſti, Aliquis homo eſt animal, ergo aliquis homo non eſt ſubſtantia. Tum ita argumentabor: Hæc concluſio, Aliquis homo non eſt ſubſtantia, eſt falſa, cùm repugnet maiori antea conceſſæ in Datiſi: ergo propter aliquam præmiſſarum eſt falſa. Non propter minorem huius poſterioris ſyllogiſmi, quia eſt eadem, quam conceſsiſti ante in Datiſi; ergo propter maiorem, ſcilicet Nullum animal eſt ſubſtantia. Quòd ſi hæc eſt falſa, Nullum animal eſt ſubſtantia, ergo illa concluſio, quam antea negaueras, Aliquod animal eſt ſubſtantia, erat vera. Proindeque hæc conuerſio ad incommodũ vocatur, quia pertrahit eum cum quo agimus, ut aut neget, quod prius conceſſerat,

aut concedat, quod ante negauerat. Quare nulla poteſt incommodior iudicari. Vt autem genus hoc conuerſionis explicetur, primùm dicendum eſt, ad quem modum perfectum reducatur quilibet imperfectus: deinde verò quonam pacto illud fieri debeat in omnibus figuris. Illud autem prius tribus vocabulis doctores huius facultatis exponunt; primum Neſclebatis, ſecundum Odiebam, tertium Letareromanis. Primum inſeruit quinq; modis indirectis primæ figuræ, & ideo ex quinque ſyllabis eſt compoſitum; alterum modis ſecundæ; tertium modis tertiæ. Sic autem vocabula ſunt diſponenda, ut prima ſyllaba reſpondeat primo modo illius figuræ, ſecunda ſecundo, & ita deinceps: ut fit in hac tabula. Artis vocabula.

Neſciebatis.	Baralipton. Cellantes. Dabitis. Fapeſmo. Fiſeſomorum.	Odiebã.	Ceſare. Cameſtres. Feſtino. Baroco.	Letareromanis	Darapti. Felapton. Diſamis. Datiſi. Bocardo. Feriſon.

Porrò dictiones illæ ex quatuor vocalibus componũtur, A, E, I, & O. Syllaba quæ conſtat A, deſignat modum ſibi reſpondentem reducendum eſſe ad eum modum primæ figuræ, cuius concluſio eſt A; id eſt, vniuerſa aiens: ſcilicet Barbara. Similiter E, denotat modum ſibi reſpondentem conuertendum eſſe ad eum modum primæ figuræ, cuius concluſio eſt E; id eſt, vniuerſã negans: nempè ad Celarent. I, autem conuertendum eſſe ad modum, cuius concluſio eſt I; id eſt, particularis aiens: vt Darij: ſicut etiam O, ad Ferio. Vt patet in hac tabula, Vocabulorum explanatio.

Neſciebatis.	Baralipton ad Celarent. Celantes ad Darij. Dabitis ad Celare nt. Fapeſmo ad Barbara. Friſeſomorum ad Darij.	Odiebam.	Ceſare ad Ferio. Cameſtres ad Darij. Feſtino ad Celarent. Baroco ad Barbara.
Letareromanis.	Darapti ad Celarent. Felapton ad Barbara. Diſamis ad Celarent. Datiſi ad Ferio. Bocardo ad Barbara. Feriſon ad Darij.		

Sed qua ratione huius generis reciprocatio fieri debeat quatuor regulis explicabitur. Prima in modis directis ſecundæ figuræ ſeruanda eſt eadem maior, & enũtiatio contradicens concluſioni negatæ ſumenda eſt pro minori, atque ita contradictorium minoris iam conceſſæ colligetur; ad hunc modum. Prima lex in reductione obſeruãda.

Ceſare.	Nullus lapis eſt animal. Omnis homo eſt animal. Ergo nullus homo eſt lapis.	Ferio.	Nullus lapis eſt animal. Aliquis homo eſt lapis. Ergo aliquis homo nõ eſt animal.

Secunda regula. Modi directi tertiæ figuræ probantur ad incommodum ex eadem minore, & contradicente concluſionis ſumpta loco maioris. Nam abſque dubio Secundã lex.

bio ſequetur contradicens, aut contraria enuntiatio maioris conceſſæ. Hoc autem loco perinde eſt colligere contrarium, atque contradictorium alicuius enũtiationis; nam ſicut duæ contradicentes ſimul veræ eſſe nequeunt, ita nec duæ contrariæ. Exemplum.

Darapti. { Omnis homo eſt animal.
Omnis homo eſt ſubſtantia.
Ergo aliqua ſubſtantia eſt animal.

Celarẽt. { Nulla ſubſtantia eſt animal.
Omnis homo eſt ſubſtantia.
Ergo nullus homo eſt animal.

Tertia lex. Tertia regula. Modi indirecti primæ figuræ (dempto Celantes), conuertuntur, ſumendo contradictorium concluſionis negatæ pro maiori, & maiorem in minoris locum ſubſtituendo: nam ſic fiet contradictorium, uel contrarium minoris iam cõceſſæ; aut ſaltem contradictorium, vel contrarium enuntiationis, in quam conuertitur minor iam conceſſa. Exemplum.

Baralip. { Omnis homo eſt animal.
Omne ridens eſt homo.
Ergo aliquod animal eſt ridens.

Celarent. { Nullum animal eſt ridens.
Omnis homo eſt animal.
Ergo nullus homo eſt ridens.

Quarta lex. Quarta regula. Celantes conuertitur, ſumpto contradictorio, concluſionis negatæ loco aſſumptionis; & ex aſſumptione præcedentis ſyllogiſmi efficiendo propoſitionem: ac demum inferendo contradictorium propoſitionis conceſſæ; aut eius potiùs conuertentis. Hac ratione.

Celantes. { Nullus homo eſt lapis.
Omne ridens eſt homo.
Ergo nullus lapis eſt ridens.

Darij. { Omne ridens eſt homo.
Aliquis lapis eſt ridens.
Ergo aliquis lapis eſt homo.

De reductione modorum primæ figuræ. Reſtat ut dicamus, quonam pacto modi directi primæ figuræ poſſint conuerti ad incommodum. Ac certè quiuis eorum poteſt hoc genere conuerſionis tam ad ſecundam, quàm ad tertiam figuram reduci: ut hoc ſchema indicat.

Barbara ad { Baroco. / Bocardo. } Celarent ad { Feſtino. / Diſamis } Darij ad { Cameſtres. / Diſamis. } Ferio ad { Ceſare. / Datiſi.

Prima regula. Sit igitur prima lex. Si hi modi debent conuerti ad modos ſecundæ figuræ, ſeruanda eſt eadem propoſitio: & contradictorium concluſionis negatæ ſumendum tanquam aſſumptio; atque ita contradictorium aſſumptionis iam conceſſæ colligetur, ut hic fit.

Barbara. { Omnis homo eſt animal.
Omne rationale eſt homo.
Ergo omne rationale eſt animal.

Omnis

Baroco. { Omnis homo eſt animal.
Aliquod rationale non eſt animal.
Ergo aliquod rationale non eſt homo.

Altera lex. Si hi modi ad tertiam figuram ſint reducendi, ſumendum eſt contradictorium concluſionis tanquam propoſitio, ac eadem aſſumptio eſt conſeruanda; quibus conſtitutis, contradictorium propoſitionis conceſſæ efficietur. Exempli cauſa. Secūda regula.

Barbara. { Omne animal eſt ſubſtantia.
Omnis homo eſt animal.
Ergo omnis homo eſt ſubſtantia.

Bocardo. { Aliquis homo non eſt ſubſtantia.
Omnis homo eſt animal.
Ergo aliquod animal non eſt ſubſtantia.

Dubitatio.

QVæret fortaſsè quiſpiam, quonam pacto reducendæ ſint ad primam figuram ratiocinationes indirectæ ſecundæ, tertiæque figuræ hoc genere conuerſionis. Reſpondetur. Primò conuertendas eſſe oſtenſiuè ad aliquem modū directum, & tum reduci poſſe per incommodum, ſicut ille modus poſtulabit. Verbi gratia: Darapti ſconuertatur ad Darapti, & deinde ad Celarent. Tamen (vt antea dixi) pręter modos indirectos, quos ſupra enumerauimus in ſecunda & tertia figura, dantur duo alij modi indirecti; quorum vnus in ſecunda figura appellari debet Bocardo (non dico Baroco) alter verò Baroco in tertia: vt hæc exempla demonſtrant. Quomodo ſyllogiſmi indirecti ſecūdæ, & terdiæ figuræ in primā transferātur.

Bocardo. { Aliquod animal non eſt homo.
Omne rationale eſt homo.
Ergo aliquod animal non eſt rationale.

Baroco. { Omnis homo eſt animal.
Aliquis homo non eſt iaſpis.
Ergo aliquod animal non eſt iaſpis.

Quare ſi de his modis loquamur, non poſſunt priùs conuerti oſtenſiuè, vt conſtat, quonam ergo pacto conuertentur ad incommodum? Reſpondetur, Baroco, qui eſt in tertia figura, conuerti debere ad Barbara, ſumendo contradictorium concluſionis negatæ pro maiore: ipſaque maiore in minorem mutata, contradictorium minoris conceſſę colligetur, ut fit in hoc exemplo. De Bocardo ſecūdæ & Baroco tertiæ figuræ.

Baroco. { Omnis homo eſt animal.
Aliquis homo non eſt iaſpis.
Ergo aliquod animal non eſt iaſpis.

Barbara. { Omne animal eſt iaſpis.
Omnis homo eſt animal.
Ergo omnis homo eſt iaſpis.

At Bocardo ex ſecunda figura conuertitur ad Barbara, ſumpto contradictorio conclusionis negatæ pro minori, & minore in maioris locum euecta;& ita contradi ctorium maioris conceſſæ infcretur. Exemplum.

Bocardo. { Aliquod animal non eſt homo.
Omne rationale eſt homo.
Ergo aliquod animal non eſt rationale.

Barbara. { Omne rationale eſt homo.
Omne animal eſt rationale.
Ergo omne animal eſt homo.

De ratione inueſtigandi Medium. *Cap. 11.*

VT toti huic tractationi tanquam faſtigium imponamus, dicendum eſt qua ratio ne excogitandum ſit Medium ad ratiocinationes in his figuris conſtituendas. Cumque ea, quam ſyllogiſmo inferre debemus concluſio, aut vniuerſa aiens ſit,aut negans: itemque particularis aiens, aut negans varij canones erunt adhibendi. Primus. Vniuerſam aientem concludemus ſumpto medio,quod ſit conſequens ad ſubiectum concluſionis, & antecedens ad prædicatum. Sed quid appellas antecedens? Quid dicis conſequens? Antecedens hoc loco id omne dicimus, quo poſito,ſequitur aliud. Ex quo etiam perſpicuum eſt,quid vocemus conſequens: vt homo eſt antecedens reſpectu animalis;animal autem reſpectu hominis conſequens; quia bene ſequitur,Homo eſt,ergo animal quoq; eſt. Itaque ſi probare oportet,omnem hominem eſſe ſubſtantiam, ſumendum eſt animal,quod eſt ad hominum conſequens,& comparatione ſubſtantiæ antecedens:nam ſi homo eſt,animal eſt;rurſumque ſi animal eſt,ſubſtantia quoque erit. Sumpto igitur animali, in hunc modum fiet ſyllogiſmus,Omne animal eſt ſubſtantia, omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt ſubſtantia. Verùm ad hanc & ſequentes regulas intelligendas,inuenit humanæ mentis ſolicitudo ſex verba,nempè Fecana,Cageti,Gebali,Dafenes,Hebare,Gedaco. Ea autem tribus ſyllabis conſtant,quarum extrema componitur vna iſtarum quatuor uocalium A,E,I,& O. Et quidem A,poſitũ in vltima ſyllaba deſignat,tale vocabulum inuentum eſſe ad colligendam vniuerſam aientem,vt Fecana. Similiter E, poſitum in vltima ſyllaba indicat, eam dictionem inſeruire concluſioni vniuerſæ neganti; vt Dafenes,Hebare:I,ſpeciali aienti,vt Cageti,& Gebali.O,tandem particulari neganti, vt Gedaco. Duæ tamen ſyllabæ priores cuiuſq; vocabuli duabus tantùm vocalibus conſtant A, & E. Nam A,deſignat prædicatum concluſionis inferendæ:E,ſubiectũ. Cæterùm tam A, quàm E, tres habens conſonantes comites. Ipſum enim A, comitantur B,C,& D,E,verò habet ſocias F, G,H.Enimuero B,ſignificat medium conſequens prædicatum concluſionis;C, antecedens illud,ſed D,repugnans eidem: vt lapis eſt repugnans animali, cùm poſsit in vniuerſum de illo negari: dicendo,Nullum animal eſt lapis. Non aliter F, medium indicat conſequens ſubiectum,G,antecedens illud,H,denique repugnans eidem. Iam facile eſt ipſa vocabula intelligere:nam Fecana inſeruit primæ regulæ, & deſignat ad concludendam vniuerſam aientem,ſumendum eſſe medium,quod ſit F,ad E,id eſt, conſequens ſubiectum;& C,ad A,id eſt,antecedens prędicatum. Exemplum poſitum eſt iam ſuperiùs in Barbara.Atque hoc præ-

De vniuerſali affirmatiua.

Mediũ antecedens, & conſequens.

Vocabula artis.

Vocabulorum explicatio.

Applicatio vocabulorum.

præceptum,quod de vniuerſali aiente datur, patet latiùs: eo enim vti poſſumus ad concludendam particularem aientem in Darij;dummodo medium,quod poteſt tribui ſubiecto vniuersè,tribuatur particulariter. Secunda regula,cui accommodatur vox Cageti.

De ſpeciali affirmatiua cõcluſione.

Particularis affirmans concluditur inuento medio,quod vtrunque extremum antecedat;idq; præſertim in tertia figura: vt ſi ad probandum aliquod animal eſſe ſubſtantiam,ſumatur vt medium homo,fiatq; ſyllogiſmus in Darapti; Omnis homo eſt ſubſtantia,ſed omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal eſt ſubſtantia. Qua regula in omnibus modis tertiæ figuræ, tam directis, quàm indirectis, in quibus infertur particularis aiens vtemur. Sed dices. Etiam poteſt inferri particularis affirmans in tertia figura ſi medium accipiatur, quod vnum extremum antecedat,& aliud ſequatur. Verbi gratia in Datiſi, Omne animal eſt ſubſtantia, aliquod animal eſt homo,ergo aliquis homo eſt ſubſtantia;certè animal antecedit ſubſtantiã, & ſequitur hominem. Attamen nos ſolùm dicimus,in quouis modo tertiæ figuræ poſſe colligi particularem aientem, ſi regula noſtra ſeruetur: non autem negamus aliquando poſſe dari ſyllogiſmum, in quo ea minimè obſeruetur; ſed ille nunquam poterit eſſe in Darapti. Tertia regula,quæ in vocabulo Gebali continetur.

Alia regula de ſpeciali aiẽte.

Ad concludẽdam particularem aientem indirectim in prima figura,ſumendum eſt medium, quod ſubiectum concluſionis antecedat,& prædicatum ſequatur. Vt ad probandum aliquam ſubſtantiam eſſe hominem,ſumendum eſt animal, ut Omne animal eſt ſubſtantia,omnis homo eſt animal,ergo aliqua ſubſtantia eſt homo. Quartum præceptum.

De vniuerſa negante.

Qui vniuerſam negantem in Celarent, aut Ceſare colligere volet,ſumat medium repugnans attributo, & conſequens ad ſubiectum: vt ad probandum nullum hominem eſſe lapidem, ſumendum eſt animal. Includitur autem hæc regula in vocabulo Daſenes: quia ſcilicet medium eſt D, ad A, ideſt, repugnans prædicato; & F,ad E, id eſt, ſubiectum ſequens. Quo etiam modo vocabula, quæ alijs regulis inſeruiunt,explicanda ſunt. Idem autem præceptum ad concludendam particularem negantem in Ferio & Feſtino debet ſeruari. Quinta lex.

Iterum de vniuerſali negante.

Ad inferendam vniuerſam negantem in Celantes & Cameſtres,ſumendum eſt medium repugnans ſubiecto cõcluſionis,& prædicatum ſequens;& in Celantes,Nullum animal eſt lapis,omnis homo eſt animal, ergo nullus lapis eſt homo. Hæc quoque præceptio pertinet ad modum Baroco,reſpondetq; ei vocabulum Hebare.Sexta regula. Ad inferendam particularem negantem in tertia figura,ſumendum eſt medium, quod & prædicato repugnet,& antecedat ſubiectũ;vt in Felaptõ,Nullus homo eſt lapis, oĩs hõ eſt animal, ergo aliqđ animal nõ eſt lapis.Ad cuius regulæ vſũ excogitatũ eſt uerbum Gedaco. Pertinet aũt & ipſa ad Fapeſmo,& Friſeſomorũ in prima figura.

De ſpeciali negãte. vanæ quędã medij habitudines.

Præter hæc vocabula excogitata ſunt alia tria.ſ.Febas,Hedas,& Hecas,q̃ ideo tertia ſyllaba carent, q̃a ſignificãt infrugiferas quaſdã enũtiationũ cõnexiones,quæ nulli cõcluſioni inferẽdæ inſeruiũt.Febas.n.denotat mediũ vtrunq; extremũ cõſequens, quod de vtroque extremo in vniuerſum prædicari poſsit. Hoc autem medio ſi vti liceret,daretur ſyllogiſmus in ſecunda figura ex duabus aientibus.Hedas ſignificat medium, quòd ſit H, ad E, id eſt,repugnans ſubiecto,& D,ad A, id eſt, repugnans etiam prædicato. Quò fit,vt nihil ex tali medio poſsit inferri,niſi concedamus,ſyllogiſmum ex duabus negãtibus vtilem eſſe,Hecas etiam medium inutile repręſentat,quod ſcilicet repugnat ſubiecto concluſionis; ſed prædicatum antecedit. Dico autem inutile eſſe huiuſmodi medium,quia cùm ſit repugnans ſubiecto,in prima & tertia figura minor erit negãs, contra leges ipſarum; cumque ſit inferius prædicato, ſubijcietur in maiori enun-

 tiatione,

tiatione, ac proinde non poterit fieri ſyllogiſmus in ſecunda figura.

Huius capitis obiectiones.

De modis indirectis ſecundæ, tertiæq́; figuræ.

PRima. Cùm dictum ſit, quod medium quærendum ſit ad modos directos primæ figuræ, & ad directos ſecundæ & tertiæ, quid de indirectis ſecundæ & tertiæ ſentiemus? Reſpondetur, Ceſares contineri ſub quinta regula; at Cameſtre, & Fapeſmo & Friſeſomorum, quando ſunt in ſecunda, intra quartam præceptionem poni: item Daraptis, Diſami, & Datiſis ſub canone ſecundo intelligi: denique Fapeſmo & Friſeſomorum quum tertię figuræ ſubeunt collocationem, ad ſextam regulam pertinere. Sed quæret aliquis. Nonne dictum eſt ſupra, dari alium modum indirectum in ſecunda figura, qui poteſt appellari Bocardo; & alium in tertia, quem licet Baroco nominare? Quæ igitur regula his accommodabitur? Reſpondetur. Si ſeruetur ſexta regula, fiet ſyllogiſmus in Baroco tertiæ figuræ: ſi verò quinta, fiet in Bocardo ſecundæ. Omnia autem, quæ de ratione inueniendi medium hucuſque dicta ſunt, hac tabula fient perſpicua. Nihil enim opus eſt exemplis hæc facere longiora.

De Baroco tertiæ, & Bocardo ſecundę figuræ.

Fecana. { Barbara.
Fecani. { Darij.

Cageti. { Darapti. Diſamis. Datiſi. * Daraptis. Diſami. Datiſis.

Gebali. { Baralipton. Dabitis.

Dafenes. { Celarent. Ceſare. Feſtino. Ferio.
Dafeno. { * Cameſtre. Fapeſmo 2. figuræ. Friſeſomorũ 2. figurę.

Qui in ſecunda, quarta, quinta, ac ſexta regula infra aſteriſcum & omnes tertiæ ponuntur, ſunt indirecti.

Hebare. { Cameſtres. Baroco.
Hebaro. { * Celantes. Ceſare. Baroco 2. figuræ.

Gedaco. { Felapton. Bocardo. Friſeſomorum. * Fapeſmo 1. figuræ. Friſeſomorum 1. figuræ Fapeſmo 3. figuræ. Friſeſom. 3. figuræ. Bocardo 3. figuræ.

De quartæ autem figuræ (ſi tamen ponenda eſt) modis nihil neceſſe eſt ſcribere, quia eandem ſubeunt rationem, quam modi primæ.

De Hecas

Altera obiectio in id quod dictum eſt, uocabulum Hecas non poſſe in vſum alicuius ſyllogiſmi aſſumi, quia haberet minorem negantem, ac ſubinde non eſſet in prima, aut tertia figura; & præterea medium contra leges ſecundæ figuræ ſubijceretur. Hæc ratio videtur manifeſtè refelli in Fapeſmo & Friſeſomorum primæ figuræ, in quibus minor eſt negans, & medium ſubijcitur in maiori. Sed reſpondetur, Hecas non poſſe inſeruire Fapeſmo & Friſeſomorum primæ figuræ, quoniam medium deberet ſubijci prædicato concluſionis, cùm debeat eſſe ç, ad A; & tamen prædicatum conclu-

concluſionis (cùm iſti modi ſint indirecti) nõ ponitur in maiori enũtiatione,ſed in minore:in qua medium primæ figuræ non ſubijcitur,ſed Prædicatur. Preſsiùs tamen vrges. Ergo ſaltem illa medij collocatione vti licebit in Baroco tertiæ figuræ, in quo medium in minori ſubijcitur. Sed preſsiùs reſpondeo,eam medij rationem nec in Fapeſmo,aut Friſeſomorum primæ figuræ, nec in Baroco tertiæ poſſe retineri. Quid ita? Quia Hecas medium nobis refert,quod ſubiecto concluſionis repugnet: medium autem horum modorum nõ repugnat ſubiecto concluſionis.Etenim cùm ſint indirecti,ſubiectum concluſionis ponitur in maiori enuntiatione; at maior enuntiatio in his modis,cùm ſit aiens,non poteſt ex repugnantibus terminis fieri.

Tertia obiectio. Non ſemper in vtilibus collectionibus illæ ſex regulæ ſeruantur, ergo non ſufficiunt ad omnes ratiocinationes. Reſpondetur,neque nos arbitrari illas ſufficere. Tantùm enim docemus, quotieſcunque iſtæ ſeruabuntur,fieri bonũ ſyllogiſmum;cùm alioquin & ex materia & ex forma bonas eſſe poſsit: quamuis nõ ſeruet regulas ſuperiores:ut patet in hoc ſyllogiſmo in Diſamis, Aliquod animal eſt homo,omne animal eſt ſentiens,ergo aliquod ſentiens eſt homo.

An ſex illę regulę perpetuo obſeruentur.

De Syllogiſmo Expoſitorio. Cap. 12.

SEquitur vt de ſyllogiſmo conſtante medio ſingulari,qui Expoſitorius ob eã cauſam dicitur, quòd ipſo ſcientiarum principia,& quaſi elementa exponantur,dicamus. Poteſt autem huius generis ratiocinatio non modò in tertia figura colligi, ut quidam arbitrantur,ſed in prima etiam,& ſecunda,tam exiſtente aliqua præmiſſarum in directa,quàm omnibus directis,vt in his exemplis manifeſtò apparet.

Nominis explicatio.

In qua figura fiant expoſitorij ſyllogiſmi.

In tertia figura.	In ſecunda	In prima.
Petrus eſt homo.	Petrus eſt hoc album.	Petrus non eſt Leo.
Petrus eſt hoc album.	Paulus non eſt hoc album.	Hoc album eſt Petrus.
Ergo hoc albũ eſt homo.	Ergo Paulus nõ eſt Petrus.	Ergo hoc albũ non eſt Leo.

Et quidem expoſitorij ſyllogiſmi alij aientes ſunt,alij uerò negantes. Aientes dicuntur quorum concluſio eſt aiens; negantes uerò quorum eſt negans. Et quemadmodum ſuperiores ſyllogiſmi innitebantur duobus illis principijs dici de omni,& dici de nullo,ita expoſitorij aientes hac regula ſtabiliuntur, quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſeſe, vt quia hoc album eſt idem cum Petro, & hoc ambulans quoque, ideò hoc album eſt hoc ambulans: ſed negantes hac altera nituntur ſententia,illa quorum vnum eſt idem cum aliquo tertio,alterum verò nequaquam, ſunt inter ſe diuerſa. Vt quia hoc album eſt idem cum rege, & hic leo non eſt idem cum ipſo,ideo hoc album, & hic Leo non ſunt idem inter ſe. Nolo in tradendis harum ratiocinationum præceptionibus immorari; eędem enim ſunt ferè, quæ & ſuperiorum: ne ſcilicet medium ingrediatur concluſionem, ne aliqua vox ſit Homonyma, cuius ſignificatio non explicetur,&c.

Huiuſmodi ſyllogiſmorũ firmamenta.

Dubitationes.

Quare fiat ſyllogiſmus ex ſingularib. & non ex ſpecialib. pronuntiatis.

PRima. Quare non poteſt fieri ſyllogiſmus ex duabus enuntiationibus particularibus,& ex duabus ſingularibus poterit? Reſpondetur. Quia enuntiationes particulares ſunt incertæ: vt quum dico, Aliquod animal eſt homo,& Aliquod animal eſt Leo,poſſum aliud & aliud animal deſignare, & ita pateret captionibus locus; ſi ex duabus ſpecialibus ſumptionibus ſyllogiſmus componeretur: ut fit in iſto, Aliquod animal eſt Leo,ſed aliquod animal eſt homo,ergo aliquis homo eſt Leo. Cæterùm quum ex ſingularibus progredimur, iam quaſi digito id, de quo loquimur, demonſtramus. Quare nulla eſt erroris occaſio in expoſitorio ſyllogiſmo.

Quędā expoſitoriæ ratiocinationes ab ſcholis explodendę.

Altera dubitatio. Quomodo ſyllogiſmus expoſitorius bona argumentatio eſt, ſi docent Theologi,nullius ponderis eſſe hanc ratiocinationem, Hæc eſſentia eſt pater,ſed hæc eſſentia eſt filius,ergo eſt pater? Inſuper naturalis Philoſophus hunc ſyllogiſmum non approbat, Hic motus eſt actio, & hic motus eſt paſsio; ergo paſsio eſt actio. Reſpondetur,priorem non eſſe expoſitorium, quia medium non accipitur plenè,& omnibus modis ſingulare,cùm in ſe contineat tria ſuppoſita; id eſt, tres perſonas. Etenim eſſentia quamuis omninò ſit vna in tribus perſonis, eſt tamen reuera, & non (vt fit in rebus creatis) ſola ratione eis communis. Ille verò alius eſt quidem expoſitorius, ſed ideò reprehenditur,quia in eo ex ſenſu, quem vocant identicum,proceditur ad ſenſum formalem: aut alijs verbis,ex vnitate rei, vnitas rationis & diſſinitionis colligitur. Eſſet tamen egregia ratiocinatio, ſi ita fieret, Hic motus eſt actio,& hic motus eſt paſsio,ergo actio eſt res quæ eſt paſsio. Iam ergo inquies,in ſyllogiſmo expoſitorio poteſt captio & fallacia inueniri. Fateor. Nam (vt Sapiens docuit) cogitationes mortalium timidæ,& incertæ prouidentiæ noſtrę: & vulgò dicitur, *Fatta la lege,trouata la fraude*. Quare non eſt adeo perfecta ratiocinationis forma,qua humanum ingenium abuti non poſsit. Quod ergo nos dicimus,hoc ſolùm eſt,intollerabiliores errores ex vtraque particulari, quàm ex vtraque ſingulari poſſe colligi. Nam cùm enuntiatio ſingularis in modo & figura rectè diſponitur, ſolùm poteſt in rebus creatis (ut diuinas Theologis relinquamus) error in ſenſu formali colligi; at quum vtraque eſt particularis,non modò in ſenſu formali,ſed in rebus ipſis error contingit. Antea enim ex duabus particularibus ſumptionibus colligebamus,aliquem hominem eſſe Leonem: & certè homo atque Leo non ratione tantùm,ſed re uera,ac realiter ut duæ res diſtinguuntur.

Ad primā dubitatio nē regredimur.

De cauſa effectrice expoſitoriæ ratiocinationis

Poſtrema dubitatio. Cùm ſyllogiſmus ſit opus mentis,& intellectus non cognoſcat ſingularia (ſenſus enim eſt ſingularium, intellectus vniuerſalium) quomodo datur ſyllogiſmus conſtans medio ſingulari? Reſponderi poteſt,ſyllogiſmum expoſitorum non fieri in intellectu,ſed in quodam ſenſu interno,qui etiam appellatur ratio particularis. Et licet ille ſenſus per ſe non ſufficiat ad conſtituendum ſyllogiſmum, ſufficit tamen quatenus eſt coniunctus intellectui. Quemadmodum calor per ſe ſolùm poteſt calfacere,at vt in homine coniungitur potentiæ nutriendi,carnes humanas & oſſa producit. Sed de his copioſiùs in libris de Animo diſputatur.

De

De ſyllogiſmo Hypothetico.

Quid ſit, & quotuplex ſyllogiſmus Hypotheticus. Cap. 13.

SVpereſt iam tandem Hypotheticæ ratiocinationis diſputatio, poſt abſolutam Categoricæ tractationem. Hypotheticus ſyllogiſmus eſt, qui ex Hypothetica enuntiatione conſtat. Et ſicut triplex eſt genus Hypotheticæ enuntiationis, ita quoque triplex eſt ſyllogiſmus Hypotheticus; nam alius eſt conditionatus, alius coniunctus, alius, poſtremo diſiunctus. Conditionatus bifariam ex conditionata aiente fieri poteſt. Primùm quum ſtatuimus enuntiationis antecedens, vt conſequens poſtea inferamus. Exemplum; Si Sol lucet, dies eſt; atqui Sol lucet, ergo dies eſt. Secundò quum tollimus conſequens, vt negemus etiam antecedens. Exemplum. Si Sol lucet, dies eſt, atqui dies non eſt; ergo Sol non lucet. Alij præterea modi excogitari poterunt, ſed erunt inutiles. Primus eſt, quando progredimur ex conditionata aiente, & ſtatuimus conſequens, vt inferamus antecedens. Vanum profectò argumentum nimirum, in quo ex vero poterit ſequi falſum, vt Si Leo eſt homo, Leo eſt animal, atqui Leo eſt animal, ergo Leo eſt homo. Secundus eſt, quando poſita conditionata aiente, deſtruimus antecedens, & poſtea conſequens. Verbi gratia. Si Leo eſt homo, leo eſt animal: at leo non eſt homo, ergo leo non eſt animal. Tertius eſt, quando poſita conditionata negante, affirmamus alterutram partem, vt reliquam deſtruamus. Vt ſi ita argumentemur. Non ſi hoc eſt album, eſt animal, atqui hoc eſt album, non igitur erit animal: de Cygno enim verum eſt antecedens, & falſum conſequens. Quomodo inquies, antecedens verum eſt de Cygno? Facilè id oſtēdam. Aſſumptio enim vera eſt, quia Cygnus eſt albus: porrò etiam propoſitio. Qm̄ cùm ſit conditionata negans, hac ratione exponitur, Non continuò atq; res aliqua eſt alba debet eſſe animal; etenim Papyrus eſt alba, nec tamen eſt animal. Vltimus poſſet tradi modus, quum poſita conditionata negante, alterutram eius partem negamus, vt reliquam inficiemur, aut liberè colligamus; quod eſſet argumentari ex vtraque ſumptione negante, vt in hoc ſyllogiſmo, Non ſi hæc res eſt alba, eſt homo; ſed non eſt alba, ergo non eſt homo; verum eſſet antecedens, & falſum conſequens de Aethiope. Quòd ſi aliter inferre volumus, Ergo hæc res eſt homo, verum erit totum antecedens, & falſum conſequens, de coruo.

Duo modi vtiles ſyllogiſmi cōditionalis.

Inutiles combinationes.

Coniunctus ſyllogiſmus non poteſt ex aiente coniuncta fieri. Hæc enim argumentatio, Petrus eſt homo, & Petrus eſt animal, ergo Petrus eſt animal, bona eſt; ſed Enthymema potiuſquam ſyllogiſmus videtur: poteſt tamen ex coniuncta negante fieri, ſi affirmemus vnam partem, & aliam deſtruamus. Vt Non & Petrus eſt homo, & Petrus eſt lapis; ſed Petrus eſt homo, ergo Petrus non eſt lapis. Si uerò aliter argumentemur ex coniuncta negante, ſcilicet negando vnam partem, vt aliam ſtatuamus, mala erit ratiocinatio, ut patet in hoc exemplo. Non & Petrus eſt lapis, & Petrus eſt arbor, ſed Petrus non eſt lapis, ergo Petrus eſt arbor.

De ſyllogiſmo cōiuncto.

Diſiūctus ſyllogiſmus pōt fieri trib. modis. Primo, ex diſiūcta aiēte negādo vnā partē, vt aliā colligamus, vt Hoc animal vel eſt hō, vel brutū; ſed nō eſt hō, ergo eſt brutū. Vrges. Embryo eſt animal, & nō eſt hō, & tñ nō ſequit, ergo eſt brutū. Sed leuiter vrges. Nā id nihil ad Dialecticū attinet. Tm̄. n. ipſe docet, ſi verū ſit antecedēs, verū ēt

De ſyllogiſmo diſiuncto.

eſſe conſequens. Si autem arbitreris, Embryonem nec pertinere ad hominem, nec ad brutum: ſicut negas conſequutionem, ita ſyllogiſmi propoſitionẽ negare debuiſſes; qua ſemel conceſſa, non licet ampliùs conſequutionem inficiari. Secundo, ex diſiunctâ aiente deſtruendo vtranque eius partem; ut ſi quis diceret, lapidem eſſe animal, & nos ita argumentaremur, Quodlibet animal aut eſt homo, aut eſt brutum, at lapis non eſt homo, neque verò eſt brutum; ergo lapis non eſt animal. Sed facillimũ eſt hanc ratiocinationem redigere in Celarent, ſi tanquam medium ſumatur illud diſiunctum, homo, aut brutum. Tertio, ex diſiunctâ aiente, affirmando vnam partem, vt aliam deſtruamus. Exemplum. Omne animal, aut homo eſt, aut brutum eſſe debet: ſed Petrus eſt homo, ergo Petrus non eſt brutum. Sed hoc vltimum genus argumenti poteſt equidem tolerari, quum diſiunctio conſtat ex his, quæ eidem conuenire nequeunt; alioqui non erit vlla ratione approbandum. Vt ſi dicamus, Vel Petrus eſt homo, vel Petrus eſt animal; ſed Petrus eſt homo, ergo Petrus non eſt animal.

Huius capitis quæſtiuncula.

DVbium eſt, cur ex diſiunctâ negante, nullus ſyllogiſmus fieri poſsit. Reſpondetur. Quia diſiuncta negans (vt lib. ſuperiore cap. vltimo diximus) æquipollet coniunctæ aienti compoſitæ ex enuntiationibus Categoricis contradictorijs; ſed ex coniunctâ aiente (vt in hoc capite habes) non poteſt ſyllogiſmus effici: ergo neque ex negante.

De ſyllogiſmi diuiſionibus. *Cap. 14.*

POtuiſſent alia multa de ſyllogiſmo tractari, ſed quoniam non omnia ſimul dici debent, paucis ad hæc additis, finem faciamus aliquando. Igitur in præſentia colligamus appendicis loco varias ſyllogiſmi diuiſiones. Sanè ratiocinationum alię Categoricæ ſunt, aliæ Hypotheticæ. Hypotheticas nunc diximus, in conditionatas, coniunctas, & diſiunctas diuidi. Sed Categoricæ aliæ ſimplicibus conſtant enuntiationibus, aliæ modificatis. Quæ ſimplicibus conſtant, alię medium habẽt vniuerſum, aliæ ſingulare; quæ (vt diximus) expoſitoriæ dici poſſunt. Pręterea quæ medium habẽt vniuerſum, iuxta figurarum ac modorum varietatem diuidi ſolent. Porrò alijs modis diſtribuuntur: nam ſyllogiſmi alij aientes ſunt, alij verò negantes. Item alij dicuntur particulares, quorum concluſio eſt ſpecialis; alij vniuerſi, qui vniuerſam concluſionẽ habent. Denique partim directim concludunt, partim indirectim. De ſyllogiſmo igitur hęc dicta ſint. Iam ad alias argumentationis ſpecies veniamus: primumq́; ad inductionem; quæ Dialectica eſt argumentatio.

De Inductione. *Cap. 15.*

Lex inductionis. INductio, qua (teſte Ariſtotele 6. Ethic. cap. 3.) vtimur ad ſcientiarum principia oſtendenda, ita definitur. A ſingulis ad vniuerſa progreſsio: vt Iſte ignis eſt calidus, & ille, & ita de reliquis; ergo omnis ignis eſt calidus. Veruntamen vt exacta ſit inductio, oportet probè numerari ſingula; vt ſi probandum eſt mihi, omnem hominẽ

eſſe

eſſe album, non tantùm mille, aut decem millia recenſebo; ſed omnes ad vnum homines:alioqui nihil ea inductione efficiam. Sed quoniam arduum foret,omnia,quę quę ſub eo genere continentur,perſequi ſingularia; ſatis erit, quibuſdam recenſitis, addere, Et ita de reliquis; aut Et ſic de ſingulis;vel Et eadem eſt cæterorum ratio.

Quoniam autem inter omnes argumentationis ſpecies longè, multumque præſtat ratiocinatio,nō erit à noſtro inſtituto alienum, exponere quonam pacto inductio ad ſyllogiſmum poſsit referri. Id verò fiet, ſi omnia ſingularia pro medio accipiamus. Quare inductio ſuprapoſita hoc pacto ad Barbara reuocabitur: Omne quod eſt iſte ignis, aut iſte, aut alius quiuis eſt calidum; ſed omnis ignis eſt iſte ignis,aut iſte,aut certè alius:ergo oīs ignis eſt calidus.Iā igitur dubia proponamus. Inductionis in ſyllogiſmi formam mutatio.

Difficultates.

PRimùm difficilè ad intelligendum videtur,quonam pacto inductio differat à ſyllogiſmo; cùm perinde ac ille ſit oratio,in qua quibuſdam poſitis, aliud neceſſariò colligitur. Sed huic difficultati iam reſponſum eſt lib.1.cap.10.dub.2. Quare ad alias properemus. Prima.Hæc inductio eſt bona,Aliquis homo fuit in arca Noē, & aliquis leo; itemque ex ſingulis animalis ſpeciebus aliquod animal fuit in arca ipſius Noē: ergo omne animal fuit in arca Noē; & tamen(vt manifeſtiſsimum eſt)nec numerantur,nec numerari poſſunt omnia ſingularia,quæ ſub animali continentur. Nec quidē dici poteſt, eandem eſſe cæterorum rationem; alioqui nullum animal ſuffocatum fuiſſet: ergo non oportet omnia ſingularia inductionibus percenſeri. Reſpondetur,etiam in iſta inductione ſatis numerari ſingula,quæ ſub vniuerſo continētur. Nam cùm accipiatur ibi illa vox,Omne non vniuersè pro omnibus animalibus, ſed pro omnibus ſpeciebus animalis;inde fit,ut ſufficiat numerari ſingulas ſpecies, ratione ſaltem unius,aut plurium indiuiduorum. An oīa ſingularia in inductione numerentur.

Alia difficultas.An inductio ſuapte natura ita eſt bona argumentatio,ut non poſſit in ea ex antecedente uerò conſequens falſum colligi? Enimuero Ariſtoteles 1. Topic.cap.10.ait,inductionem eſſe ucriſimilem argumentationem, & popularibus colloquijs accommodatam.Sanè hoc argumento nobilis quidam auctor ſibi perſuaſit,inductionem non eſſe neceſſariam argumentationem, ſed tantùm probabilem & mediocrem coniecturam: quo etiam ductus,nō eſſe addendam exiſtimauit illam clauſulam,& ita de ſingulis;aut illam,& eadem eſt cæterorum ratio,&c. Reſpondemus tamen,inductionem eſſe duplicem, aliam accuratam & perfectam, aliam probabilem tantùm; & (vt aiunt)Topicam. Si accurata fuerit inductio, nunquam in ea antecedens verum & conſequens falſum dari poterit; quia in antecedente vel omnia indiuidua percenſentur,vel additur illa particula,& ita de ſingulis, teſte Ariſtotele 2.Prior. cap.14.& 15. Sed fortè obijcies. Sequeretur inde,antecedens inductionis eſſe æquè ignotum,ac conſequens. Si enim quiſquam probaturus,omnem coruum eſſe nigrum,ita diſputet,Hic coruus eſt niger,& hic alius,& cæteri etiam,ergo omnis coruus eſt niger: certè qui negat conſequens, negabit & antecedens. Quare id quod dubium eſt, nulla re certiore,ſed æquè obſcura,probari videbitur. Attamen hæc nihil nos commouēt. Dicimus enim antecedens eſſe notius,tum quia ſenſu notum eſt hunc coruum eſſe nigrum,& illud ſimiliter;tum etiā quia ſatis probabile eſt, ſi omnes corui,quos in hanc vſque diem vidimus,nigri ſint,reliquos non abſimilis eſſe co- An inductio ſit bona argumentatio. Vtrùm inductionis antecedēs notius ſit conſequēte.

loris. Antecedens ergo eſt notius conſequente, quia eſt probabilius & clarius. Nec ſi antecedens inductionis ſit probabile, continuò ſequitur, inductionem eſſe argumentum probabile. In omni ſiquidem ſyllogiſmo neceſſariò infertur ex antecedente concluſio, tametſi plerarũque ratiocinationum antecedens ſit contingens. Veruntamen ſi inductio fuerit Topica, ſeu Forenſis, non eſt neceſſaria argumentatio; nec oportet addi ſemper illam particulam, Et ita de reliquis. De quo inductionis genere intelligendus eſt Ariſt. 1. Top. loco citato.

An detur inductio omnia ſcepta ſciuans, quæ mala ſit

Vltima difficultas. Videtur poſſe dari inductionem, quæ progrediatur ex ſingulis rectè enumeratis, ac nihilominus antecedens ſit verum, & conſequens falſum apud Ariſtot. Nam cùm arbitretur ipſe, Mundum ab æterno fuiſſe, ac proinde perpetuò leones fuiſſe, ac futuros eſſe, profectò (ipſo iudice) hæc inductio erit nullius põderis, Hic leo non exiſtit in rerum natura neceſſariò, neque iſte aut ille, & ita de ſingulis: ergo nullus leo neceſſariò in rerum natura exiſtit. Ariſt. enim concedet antecedens, & negabit conſequens; quia cùm apud ipſum neceſſe ſit, aliquem leonem exiſtere, profectò falſum etiam apud ipſum erit, nullum leonem neceſſariò exiſtere. Reſpondetur, hanc inductionem eſſe bonam, & conſequens apud Ariſt. etiam eſſe verum; duplicem tamen poſſe habere ſenſum; primus eſt, nullus eſt certus, ac determinatus leo, qui neceſſariò exiſtat. Hic autem uerus eſt: & ex antecedente ſequitur. Secundus eſt, nullus leo etiã vagè & indefinitè ſumptus exiſtit neceſſariò; qui ſenſus eſt falſus apud Ariſtotelem: nec ex poſito antecedente ſequitur. Ariſtoteles enim in eo fuit errore, vt arbitraretur, neceſſariò aliquem leonem fuiſſe: quiuis ille eſſet.

Multa nos docet fides, quæ sũmi Philoſophi ignorarũt.

De Enthymemate. *Cap. 16.*

INſtat iã diſputatio argumẽtationũ, quarum vſus Rhetori eſt accommodatus; Enthymematis inquam, & Exempli. Prius autem de Enthymemate, quod ſyllogiſmus quidam inperfectus uidetur, agemus: deinceps de Exemplo, quod quia frequenter ex vno ſingulari aliud colligit, uidetur imperfecta quædam inductio. Syllogiſmus autem prior eſt inductione. Explicabimus igitur in hoc capite, quid ſit Enthymema, & qua via ad ſyllogiſmum poſsit reduci.

Quid ſit Enthymema.

Enthymema eſt imperfecta ratiocinatio, in qua ex vna ſumptione feſtinatò infertur concluſio, vt Omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt ſubſtantia. Sex autem regulis explicabitur reductio Enthymematis ad ſyllogiſmum. Triplex enim eſt Enthymematis genus: primum quod tribus terminis conſtat; quorum vnus ponitur ſolùm in antecedente, & hic ſumendus eſt pro medio ſyllogiſmi; alius ſemel ponitur in antecedente, & iterum in conſequente: alius denique tantùm ponitur in conſequente, ex quo vnà cum medio debet conſtari ea, quę deeſt enuntiatio. Alterum Enthymematis genus tantùm duobus terminis conſtat. Tertium denique pluribus quàm tribus. Igitur priores quatuor regulæ ad prius illud Enthymematis genus pertinebunt: quinta ad ſecundum, & ſexta ad tertium.

Diuiſio Enthymematis.

Prima regula.

Quare prima regula eſt. Quum idem terminus eſt ſubiectum in antecedente & cõſequente, deeſt propoſitio, aut maior, & ea addita fiet ſyllogiſmus in prima, aut tertia figura. Vt Omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt ſubſtantia, deeſt maior, nempe Omne animal eſt ſubſtantia, quæ ſi ponatur perfectus, erit ſyllogiſmus in Barbara. Secunda regula. Si idem eſt prædicatum antecedentis, & conſequentis, deeſt aſſumptio, redigeturque in primam; aut ſecundam figuram, vt Omnis homo eſt animal,

Secunda.

mal, ergo omne rationale eſt animal; adhibeatur aſſumptio, ſed omne rationale eſt homo. Tertia regula. Quando idem eſt ſubiectum antecedentis, & prædicatum conſequentis, deſideratur aſſumptio, qua poſita, ſyllogiſmus in ſecunda figura conſtituetur: vt Nullum animal eſt lapis, ergo nullus Carbunculus eſt animal; addenda eſt aſſumptio, ſed omnis Carbunculus eſt lapis. Quarta regula. Quando idem eſt prędicatum antecedentis, & ſubiectum cõſequentis, deeſt maior in tertia figura, vt Omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal eſt ſubſtantia; addenda eſt propoſitio, ſcilicet, Omnis homo eſt ſubſtantia. Quinta regula. Quando Enthymema conſtat ſolùm duobus vocabulis, reducitur ad ſyllogiſmum Hypotheticum. Vt hoc Enthymema, Omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal eſt homo, ita reducitur, Si omnis homo eſt animal, aliquod animal eſt homo; ſed omnis homo eſt animal: ergo aliquod animal eſt homo. Sexta regula. Si Enthymema conſtet quatuor terminis, non poteſt reduci ad vnicum ſyllogiſmum Categoricum, ſed ad duos. Verbi cauſa. Hoc Enthymema, Omne animal currit, ergo omnis homo mouetur, ita reducitur, Omne animal currit, ſed omnis homo eſt animal, ergo omnis homo currit. Prætereà, omne qđ currit, mouet. ſed omnis homo currit, ergo omnis homo mouetur. Quòd ſi mauis, reducito ad Hypotheticam ratiocinationem, vt Si omne animal currit, omnis homo mouetur: ſed omne animal currit, ergo omnis homo mouetur. Nullum ſiquidē Enthymema dabitur, quod ad ſyllogiſmum Hypotheticum reduci nequeat.

Tertia. Quarta. Quinta. Sexta.

Quæſtiones.

QVo ſigno poteſt intelligi aliquod Enthymema eſſe bonum? Reſpondent quidam, tum eſſe bonum, quum reduci poteſt ad bonum ſyllogiſmum. Nam ſyllogiſmus habet ſe vt perfectum. Enthymema vt imperfectum. Quare illud Enthymema erit bonum, quod ad bonum ſyllogiſmum reduci poteſt. Sed hæc ſententia aut intelligitur de ſyllogiſmo bono ratione formæ, aut de bono ratione materiæ. Si primum, perſpicuè impugnabitur, quia hoc Enthymema, Omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt albus, eſt peſſimum, cùm ex oppoſito conſequentis haud ſequatur oppoſitum antecedentis; & tamen reducitur ad perfectum ratione formæ ſyllogiſmum: ſcilicet, Omne animal eſt album, ſed omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt albus. Si verò dicatur ſecundum, ſimiliter refelletur; nam hoc Enthymema, Omnis homo eſt lapis, ergo omnis homo eſt inſenſibilis, eſt optimum Enthymema; & tamen non poteſt reduci ad bonum ſyllogiſmum ratione materiæ: Ergo non oportet, Enthymema bonum reduci ad bonum ratione materiæ ſyllogiſmum. Propoſitio probatur. Quia eſt bona argumentatio, cùm ex oppoſito conſequentis ſequatur oppoſitum antecedentis; & non eſt ſyllogiſmus, vel inductio; &c. ergo eſt bonum Enthymema. Aſſumptio autem eſt manifeſta, quia ſemper talis ſyllogiſmus procedet ex falſis. Quare duo nobis dicenda ſunt, primum, bonum Enthymema neceſſariò debere reduci ad bonum ratione formæ ſyllogiſmum, ſiue Hypotheticus ille fuerit, ſeu Categoricus. Alterum eſt, hoc non ſufficere, ſed præterea exigi, vt ipſum Enthymema per ſe ſit bona argumentatio: ita ſcilicet, vt ex oppoſito conſequentis ſequatur oppoſitum antecedentis. Alij dicunt, illud eſſe bonū Enthymema, quod addita enuntiatione vera reduci poteſt ad bonū ratione formæ ſyl-

Quo ſigno bonū Enthymema digno ſcatur. Propria ſententia. Tertia ſententia.

- ſyllogiſmnm.Itaq; quoduis Enthymema etiam ex falſis enuntiationibus conſtans, quod poteſt,adhibita vna enuntiatione, vera reduci ad ſyllogiſmum, ratione formæ bonum;eſt etiam bonum Enthymema ratione formæ. Sed mihi difficilè id perſuadebunt hi auctores:nam argumentatio bona ratione formæ,perpetuò eſt bona;at modò hęc conſequutio,Eſt homo,ergo eſt res alba,per ſe ſumpta eſt mala;ergo etiã quando nondum erant Aethiopes, erat mala ratione formæ;quamuis tunc potuiſſet probari,addita hac enuntiatione vera,Omnis homo eſt albus.

Quędam Ariſt.verba exponuntur.

Præterea quęritur,quidnam ſit quod Ariſt.2.Prior.cap.penult.docet, illud Enthymema quod reducitur ad primam figuram eſſe bonum, quod ad ſecundam & tertiã eſſe malum. Videmur enim cum illo pugnare. Reſpondetur Ariſt.eo in capite tria Enthymemata propoſuiſſe,ex quibus vnum reducitur ad bonum ſyllogiſmũ primę figurę,alterum ad ſyllogiſmum ſecundę figurę ex duabus aientibus, tertium ad ſyllogiſmum tertiæ figurę ex duabus particularibus; quod quidem vetant leges ſyllogiſmorum. Ariſt.igitur non de omni Enthymemate, quod ad ſecundam & tertiam figuram reducitur, loquebatur; ſed de ijs quę ipſe propoſuerat, eorumque ſimilibus.

An Enthymemata ad modos indirectos reduci poſſint.

Tertia quęſtio. Quare non aſsignantur regulę reducendi Entymemata ad modos indirectos figurarum? Quia cùm quoduis Enthymema iuxta quatuor priores regulas poſsit ad modos directos reuocari, non curarunt auctores regulas tradere,quibus vti poſſemus,ſi collibuiſſet ad indirectos ſyllogiſmos ea trãsferre. Ego quidem iam eas parauetam, ſed lectoris patientia abuti nolui; longum enim eſſet omnia perſequi.

De quarta figura.

Quarta quęſtio. Quid defendunt quartam figuram,quomodo poterunt Enthymemata ad illam reducere? Reſpondetur.Id fiet facilè,ſi duæ priores regulę obſeruentur,& in primę euentu addatur aſſumptio,in ſecundę autem propoſitio.Sed illud memoria retinendum eſt,cõcluſionem debere in quatuor prioribus modis colligi indirectim.

De Exemplo. *Cap. 17.*

Quid ſit exemplũ.

Exemplum eſt argumentatio, in qua ex vno ſingulari aliud infertur, ratione ſimilitudinis,quę inter ipſa reperitur. Verbi gratia. Antiochus cognomento Nobilis,aut Illuſtris in maximis cruciatibus obijt,quia populum Dei malè tractauit: ergo & Turca,qui,quoad eius poteſt,Chriſtianos perdit,mala etiam morte peribit. Quòd ſi interdum ab vniuerſo ad vniuerſum comprobandum exemplis vtimur,vt cùm ex Phocenſibus ad Thebanos, aut contra argumentamur,id ſanè facimus quatenus illa communia,tanquam ſingularia quædam accipiuntur. Sed curandum eſt,

Exemplorum lex.

vt ſimilitudo ſit vera cauſa effectus,qui in antecedẽte ponitur. Vnde hoc exemplum nullius eſt ponderis, Salomon vir ſapientiſsimus, fuit tandem idolatra,ergo qui ſapientes eſſe cupiunt in idẽ ſcelus prorumpent.Sapientia enim non fuit idolatriæ cauſa.Hoc tamen exemplum eſt accommodatum,Herodes Aſcalonita amore regni voluit CHRISTVM,quem regem appellari audierat,interficere;ergo hic tyrãnus, ne regnum amittat,omne ſemen Regium delere conabitur.

Exẽpli in ſyllogiſmum trãſformatio.

Facillimum autem eſt,exemplum reducere ad ſyllogiſmum,ſi accipiatur illa ſimilitudo in vniuerſum pro maiori;& ex eadem ſimilitudine,atque ſubiecto,concluſionis fiat minor. Verbi gratia. Hoc exemplum, Malum fuit Thebanis bellum gerere

rere in Athenienſes, quia erant vicini; ergo malum erit Phocenſibus Thebanos adoriri; ita in ſyllogiſmum redigetur: Malè ceſsit Thebanis bellum, quod Athenienſibus intulerunt, eo quòd erant vicini; ergo bellum in vicinos gerere, omnibus eſt damnoſum. Tum ſic: Malè cedit omnibus bellum gerere in vicinos; ſed Phocẽſes vicini ſunt Thebanorum; ergo malè cedet eis contra Thebanos præliari. Vbi principiò exemplum reductum eſt ad imperfectam quãdam inductionem, in qua ex vno ſingulari (non quatenus ſingulare eſt, ſed quatenus habet vniuerſalem cauſam coniunctam) collegimus vniuerſum: deinde autem reductum eſt in ſyllogiſmum. Hæc itaque eſt exempli metamorphoſis.

Dubitatio huius capitis.

Dialectici nullam Exempli ſpeciem tradunt. Quæritur ergo, an ſint variæ eius formæ? Reſpondetur. Ita planè. Ariſtoteles enim 2. artis Rhetoricæ cap. 21. adducit tres: vnam quum ex rebus præteritis ad ea, quæ in præſenti agi, aut omitti oportet, argum entamur. Quod ſanè faciunt concionatores, quum res olim geſtas, & in ſacro eloquio traditas, ad noſtra ſecula accommodant; aut quum ex ſanctorum hiſtorijs paradigmata eruunt. Altera quum ex his quæ in orbe fiunt, ad ea quæ nos agere debemus exempla deriuamus, Vt ſi quis probet non eſſe magiſtratus ſorte eligendos, ſed conſilio & prudẽtia; quia nautæ non eligunt ſorte nauclerum, ſed magno conſilio. Vt enim ſe habet nauclerus ad nauim, ita magiſtratus ad Rempub. ſed illæ non eligitur ſorte, ergo nec iſte. Hanc ſpeciem vocat Ariſtoteles ſimilitudinem. Tertia eſt Apologus, quando ſcilicet aliquid ex noſtro capite componimus, ut inſtitutum probemus. Cuius exempla facetiſsima ſunt apud Ariſtotelem in eodem loco. Ad quam ſpeciem reducũtur parabolæ ſacræ ſcripturæ, ut quum dicitur, hominem quendam deſcendiſſe in Hierico, ac in latronum manus incidiſſe. Nec arbitrandum eſt eum, qui parabolam profert, mentiri, quia iam ex forma locutionis indicat, ſe aliquid, exempli cauſa, dicere. Exempla autem non quaſi ita ſe habeant proferuntur, ſed ut addiſcentes intelligant. Porrò ad Exemplum reducuntur argumenta à pari: de quibus libro. cap. 7. cap. 9. agemus.

De varijs exẽplorũ generibus

Paragigma. Similitudo.

Apologus

Parabolicus ſermo nõ eſt mẽdax.

De alijs formis argumentationis. Cap. 18.

PRæter has ſpecies argumentationis, de quibus in hoc libro egimus, aliæ tradũtur, quibus non ita ſępe vtimur. Prima eſt Gradatio, quæ ab alijs dicitur Sorites, uel Coaceruatio, à Græcis autem Climax; quando ſcilicet multa ſibi cohærentia gradatim coaceruamus, ut ultimum de primo colligere poſsimus. Verbi gratia, Oĩs homo eſt animal, animal eſt viuẽs, viuẽs eſt corpus, corpus eſt ſubſtantia ergo omnis homo eſt ſubſtantia. Sed re uera hoc genus argumenti nihil eſt aliud, quàm ſyllogiſmus in quarta figura, omnibus ſuis probationibus corroboratus. Idẽ enim eſt ac ſi diceretur, Omnis homo eſt animal, ſed omne animal eſt ſubſtantia; ergo omnis homo eſt ſubſtantia. Et ne quis minorem poſsit negare, ſtatim probatur; quoniam animal eſt viuens, & cùm omne viuens ſit corpus, ſequitur etiam eſſe ſubſtantiam. Alia ſpecies eſt Dilemma, quando poſitis duobus membris alicuius vniuerſi, utrunque reprobatur. Vt ſi quis ita probet, non eſſe ducendam vxorem, quia aut erit pauper, aut diues; ſi pauper, erit alenda; ſi diues, volet dominari; Ergo non

Gradatio.

Dilemma aut ſyllogiſmum cornutus, ſe complexio.

eſt

eſt ducenda. Sed hoc genus argumenti idem eſt ac ſyllogiſmus diſiunctus, vel diuiſorius, in quo reprobatis patribus, etiam diuiſum reprobamus. Porrò illud intelligendum eſt, facile eſſe nonnunquam Dilemmata in aduerſarium retorquere. Vt nihil incommodi eſt vxorem ducere: nam ſi diues fuerit, non erit alenda, ſi pauper non poterit dominari. Alia ſpecies eſt Enumeratio, in qua propoſitis multis partibus, ut unam ſtatuamus, reliquas deſtruimus: ut Hoc aurum tuum eſt, vel igitur dono datum eſt, aut inuentum eſt, aut hæreditario iure relictum; vel certè non tuum eſt, ſed furtim ſublatum: at qui nec datum, nec inuentum, nec relictum eſt: ergo furtim ſublatum eſt. Verum hoc genus argumenti re uera eſt ſyllogiſmus diſiunctus. Plures argumentationis formas Rhetores tradunt, ſcilicet violationem, ſubiectionē, & oppoſitionem, de quibus magna verborum copia diſputant. Nobis tamen hæc dixiſſe ſufficiat.

Enumeratio.

Quæſitum.

De deductione.

Deductio, quæ ſpecies argumentationis eſt? Vocatur autem deducti, quæ è diametro pugnat cum inductione; eſt enim progreſsio quædam ab vniuerſis ad ſingularia. Vt Omnis homo eſt albus, ergo hic homo eſt albus, & iſtæ quoque, & ita etiam reliqui. Reſpōdetur, eſſe Enthymema multas habens concluſiones. Dices; Ergo etiam inductio erit Enthymema, multa habens antecedentia? Reſpondetur, negandam eſſe conſequentiam, nam hoc Entymema optimum eſt, Omnis homo eſt albus, ergo hic albus eſt; inſuper & hoc aliud, Omnis homo eſt albus, ergo hic etiam homo albus eſt. Hæc verò quæ ſequuntur nullius ſunt pōderis, Hic homo eſt albus, ergo omnis homo eſt albus; & etiam, Hic alius, homo albus eſt, ergo omnis homo albus eſt. Quò fit, ut omnes enuntiationes quæ ponuntur in antecedente inductionis, vnum compleant antecedens: at quæ ponuntur in conſequente deductionis ita ſe habent, ut quæuis earum per ſe poſsit conſtituere perfectiſsimum conſequens.

De inductionis deductionis que comparatione.

COM-

COMMENTARIORVM IN VNIVERSAM LOGICAM

LIBER SEXTVS:

IN QVO DEMONSTRATORII ſyllogiſmi vis, ac natura exponitur.

Quid ſit Demonſtratio. *Cap.* *1.*

METHODICAE facultatis, quam Pædiam vocant, Princeps, magiſterq́ue Ariſtoteles animalium naturam, partes, affectiones, ortum, vitæ progreſſum, interitumq́; explicaturus, initio quidem ea, quæ omnibus generatim animalibus communia erant, tradidit; poſtea ad priuatã cuiuſque diſputationem deſcendit. Optimus ſanè ordo, ac tanto Philoſopho dignus. Cùm enim eorum quę Leoni conueniunt non pauca, ab vrſi natura non abhorreant, ſæpiùs eadem repetenda forent in diuerſorũ animalium propria tractatione. At expoſitis primùm his, quæ per omnes, aut pleraſq; animalium ſpecies vagari ſolent, deinceps in priuata huius, illiuſve ſpeciei diſputatione, tantùm quæ illi ſunt peculiaria tractare oportuit. Eandem omnino methodũ, ſeriemq́ue doctrinæ in Dialectica docenda retinere voluit. In libris enim Priorum (quibus noſter quintus ſubijcitur) de ſyllogiſmo in vniuerſum diſſeruit, nullã eius ſpeciem vel leuiter quidem attingens; in libris autem Poſteriorum, Topicorum, & Elenchorum ea, quæ ſingulis ratiocinationum generibus priuatim competunt, explanauit. Quocirca 1. Priorum capit. 2. ob eam cauſam ait, ſe ante de ſyllogiſmo, quã de demonſtratione diſputaturum, quòd demonſtratio pars quædam ſit ſyllogiſmi. Quamuis enim (ut lib. 2. cap. 3. diximus) facilis ſit ac prompta illius opinionis defenſio, quæ demonſtrationem vt totum, ſyllogiſmum quaſi partem accipit: tamen Ariſtoteles id quod ab ignaris etiam Metaphyſicæ intelligi poterat, ſumpſit; nimirum demonſtrationem partem eſſe, ſyllogiſmum verò totum. Nos igitur Ariſtotelem auctorem, ac ducem ſequamur; iamq́ue in iſto, duobusq́ue ſequentibus voluminibus ad tres ratiocinationis ſpecies aggrediamur. Triplex nãque eſt ſyllogiſmus, Demõſtratorius, Dialecticus, & Sophiſticus. Demõſtratorius (vt ſummatim dicamus) eſt, qui neceſſarijs enuntiationibus conſtat; vt Omne animal rationis particeps, eſt riſus compos; omnis homo eſt animal rationis particeps, ergo omnis homo eſt riſus cõpos. Dialecticus, qui efficitur ex probabilibus, ut Omnis mater diligit filium ſuũ, at hæc mulier eſt mater, ergo diligit filium ſuum. Sophiſticus autem eſt, qui cùm id minimè præſtet, neceſſariò tamen videtur concluſionem inferre; ut Quod heri emiſti, hodie comediſti; carnes crudas heri emiſti, ergo carnes crudas hodie comediſti.

Methodus reſolutionis.

Tria ſyllogiſmorum genera.

diſti. Sed cùm nobilior ſit Demonſtratorius, ab eo etiam ordiemur, mox de probabili diſſeremus, denique de Sophiſtico. Dicemus autem quid ſit demonſtratio, & quotuplex, & quibus principijs conſtare debeat; ad extremum verò, quænam illa ſint, quæ demonſtratione probari poſsint, edocebimus.

Libri partitio.

Demonſtratio (ut Ariſt. docet) eſt ſyllogiſmus generãs ſcientiã. Eſt autem, ſcire cauſam propter quam res eſt, ita ipſius eſſe cauſam cognoſcere, ut non poſſe eam aliter ſe habere intelligamus. Vt qui nouit Solis defectum ex interiecta Luna, inter ipſum & aſpectum noſtrum, accidere; & præterea cognoſcit interpoſita Luna neceſſariò ſequi defectum, is demum Solis eclipſim ſcire dicetur. Cumq; demonſtratio rei cauſam contineat, profectò qui demonſtrationem & habet, & ſe habere intelligit, iã rei ſcientiam adeptus iudicabitur. Alia præterea demonſtrationis definitio ab eodẽ Ariſt. traditur, ex eius materiã ſumpta, & ex præcedenti definitione collecta. Nam in artium inſtrumentis primùm conſiderandus eſt finis, quo cognito, facilè ex qua materia inſtrumentum confici debeat, intelligitur: ut qui ſerrã ad ſcindenda ligna deſtinatam conſiderat, facilè intelliget, eam ex ferro, aut ex aliqua duriore materia cõſtituendam. Cùm ergo demonſtratio ſyllogiſmus ſit, quo nobis ſcientiam comparamus, neceſſe eſt demonſtrationem eſſe ſyllogiſmum conſtantem ex veris & primis, cauſis prioribus & notioribus concluſione. Multa ab auctoribus circa hanc definitionem annotantur, quæ nos conſultò in aliud tempus differimus; & craſſa tantum Minerua eius partes explicabimus. Demonſtrationem veris cõſtare oportet, quia licet ex falſis poſsit verum inferri; tamen non probatur verum ex falſis. Item primis, id eſt, enuntiationibus, quæ per alias demonſtrari non poſsint; alioquin non habebitur ſcientia, donec ad tales enuntiationes veniatur. Præterea ex cauſis, quia medium quod in demonſtratione aſſumitur, oportet cauſam eſſe concluſionis: nam demonſtratio eſt ſyllogiſmum generans ſcientiam, ſcientia verò eſt cognitio ex cauſæ cognitione promanans. Quocirca etiam neceſſum eſt, demonſtrationem conſtare prioribus & notioribus, quia cauſa ordine, ſaltem naturæ, eſt prior & notior ſuo effectu.

Finitio demõſtrationis.

Alia definitio.

Exponitur definitio.

Argumenta in ſuperiora.

Decreueram ſanè in hoc libro, oratione, ſtyloque communi demõſtrationis naturam exponere, non quòd indigna ſit in quam doctiſsimus quiſque (nedum ego) operam ſuam ponat, ſed ut res difficilis facilè intelligeretur. Ne tamen à meipſo alienus viderer, eandem ſcribendi formam denique retinere ſtatui. At ne maioribus difficultatibus noui Dialectici obruantur, planiora dubia; & quæ breui negotio expediri poſsint, elegi. Sit igitur primum circa id quod dictum eſt, tres eſſe ſyllogiſmorum ſpecies, Demonſtratorium, Dialecticum, & Litigioſum. Ariſt. enim 1. Elench. cap. 2. quatuor genera ſyllogiſmorum agnoſcit, demonſtratorium, Dialecticum; & quod ad examinandum alium adhibetur, ac tandem Sophiſticum. Non ergo tantùm ſunt tria. Reſpondetur, tertium genus ſyllogiſmi interdum ad primum, interdum ad ſecundum referri. Nam (ut ibi Ariſt. docet) quum aliquem pertentamus, aut progredimur, ex enuntiationibus quæ ei probabiles videntur, aut ex eis quas neceſſarium eſt eum ſcire, qui ſibi alicuius rei ſcientiam arrogat. Si ex primo genere, ſumptionum conſtet tentatorius ſyllogiſmus, pertinet, aut refertur ad Dialecticum; ſi verò ex ſecundo genere, non eſt re uera à demonſtratione alienus, niſi ſine accidẽtario

Quot ſint ſpecies ſyllogiſmi.

tario diſputantis. Demonſtrator enim id maximè optat, ut doceat; tentator, ut alterius eruditionem exploret.

Secundum argumentum. Dictum eſt, ſyllogiſmum demonſtratorium eſſe eum, qui ex neceſſarijs enuntiationibus infert concluſionem. Certè hic ſyllogiſmus, Omnis oratio explicans quid res ſit, eſt definitio; ſed animal rationale eſt oratio explicans quid res ſit, ergo eſt definitio: conſtat ex neceſſarijs, ſed non eſt demonſtratio ergo demonſtrationis definitio alijs præter ipſam competit. Propoſitio ita probatur. Nam illius ſyllogiſmi prima enuntiatio componitur ex definitione & definito, ac proinde eſt neceſſaria: ſecunda verò eſt ſuperioris de inferiori prædicatio; ac ſubinde neceſſaria. Quemadmodum enim quia Socrates eſt quidam homo, ideo neceſſariò eſt homo; ita cùm animal rationale quædam ſit diffinitio, neceſſariò erit definitio. Iã probatur aſſumptio: quia Ariſtoteles 2. Poſter. à cap. 4. uſque ad 8. multis argumentis docet, quod quid eſt, aut definitionem non poſſe demonſtratione oſtendi. Quod præſertim cap. 6. docet de hoc ſyllogiſmo, quem modò adduximus. Reſpondetur primò, Ariſt. in omnibus ferè illis capitibus loqui diſputando, & vix quicquam ex propria ſententia aſſerendo: ut ipſemet cap. 8. teſtatur. Reſpondetur ſecundo, Ariſtotelem ſolùm velle docere, quod quid eſt, aut definitionem non poſſe de re definita demonſtratione potiſsima comprobari. Nos verò minimè diximus, omnem ſyllogiſmum conſtantem ex neceſſarijs eſſe potiſsimam, accuratiſsimamque demonſtrationem. Reſpondetur tertiò, illum ſyllogiſmum non eſſe demonſtrationem, nec conſtare neceſſarijs propoſitionibus. Quæ ſolutio expeditiſsima eſt. Patet enim, aſſumptionem illius ſyllogiſmi non eſſe neceſſariam, ſed accidentariam, & contingentem. Nam cùm nomina ſint voces ex hominum inſtituto, & non a natura ſignificantes, & profectò illæ duæ uoces, animal rõnale, nõ ſignificãt, aut explicant hominis eſſentiam neceſſariò, ſed contingenter. Simile autem quod in argumento adducitur, eſt vehementer diſsimile. Nam Socrates eſſentialiter eſt quidam homo; atq; ita neceſſariò eſt homo. At hæc oratio, Animal rationale, accidentariò eſt quædam definitio.

An omnis ſyllogiſmus neceſſarijs.

Enuntiationibus conſtans, ſit demonſtratio.

Mos Ariſtotelis.

Quotuplex ſit demonſtratio. *Cap. 2.*

DVo genera demõſtrationum ab auctoribus aſsignantur, Quia, & Propter quid. Demonſtratio Quia eſt, quæ demonſtrat aliquod prædicatum alicui ſubiecto neceſſariò conuenire; non tamen cauſam, quare ei tribuitur, explicat; ſed ab effectu, vel ſigno id probat: ut ſi quis demonſtraret, ignem accenſum eſſe, quia fumus egreditur; aut inſtare pluuiam, quia certæ quædam aues garriunt. Eſt etiam aliud genus demonſtrationis Quia, illud nempe, quod rem per cauſam remotam oſtendit; ut quũ demonſtramus virgulta nõ reſpirare, quia non ſunt animalia. Non enim cauſa proxima, quare aliquid reſpirat, eſt, quia eſt animal; quare nec cauſa proxima non reſpirandi erit, non eſſe animal. Vnde huiuſmodi demonſtrationes vocantur Quia, quoniam ſolùm demonſtrant, quia ita ſit; aut quod ita ſit. Vocabula enim antiqua adhuc retinemus. Demonſtratio Propter quid eſt, quæ demonſtrat aliquid alicui neceſſariò cõuenire; & cauſam præterea propriam & adæquatam explicat, ob quã ei conueniat: ut ſi probemus, hominem eſſe riſus compotem, quia eſt animal rationis particeps. A quibuſdam autem demonſtratio Propter quid dicitur Analogiſmus, & demonſtratio Quia Epilogiſmus.

Demõſtratio Quia.

Demõſtratio Propter quid.

Græca uocabula.

Hinc perſpicuum fit, vltimam diffinitionem demonſtrationis ſuperiùs traditam,

tan-

tantùm demonſtrationi Propter quid conuenire. De qua etiam demonſtratione intelligitur alia definitio, in qua dicitur, demonſtrationem eſſe ſyllogiſmum generantem ſcientiam. Etenim ſcientia nihil aliud eſt, quàm cognitio certa & euidens demonſtratione comparata. Scientiæ autem vocabulo vtimur nunc non pro habitu, ſed pro actu ſcientiæ. Nam habitus non eſt cognitio, ſed propenſio quædam & habilitas mentis: qua ex vna demonſtratione inclinatur, ac fit habilis animus ad huiuſmodi ſcientiæ actus. Actus ergo ſcientiæ eſt certus, in quo ab opinione, & ſuſpitione, & fide quoque humana diſtinguitur. Hæc enim omnia incerta ſunt. Eſt etiam euidens, in quo à Fide noſtra catholica, & à Chriſtiana etiam Theologia (quæ longè aliter ſcientiæ nomen eſt adepta) habitibus quidem certiſsimis, ſed minimè euidentibus ſeparatur. Tandem demonſtratione acquiritur, in quo à primorum principiorum cognitione diſcriminatur. Abſque vlla enim ratione in medium adducta ſolo intellectus agentis lumine aſſentitur puer huic principio, Omne totum eſt maius ſua parte, dummodo vocabula ipſa intelligat, ex quibus illud principium coaleſcit. Et quidem ſi hoc pacto accipiatur ſcientia, non eſt demonſtratio, quæ non generet ſciẽtiam. Nihilominus tres gradus ſcientiæ aſsignantur, qui tria demonſtrationum genera conſequuntur. Primus gradus eſt, cognitio certa & euidens ab effectu vel ſigno collecta; hic conſurgit ex demonſtrasione Quia primi generis: ſecundus ex cauſis remotis, quem efficit demonſtratio Quia ſecundi generis. Ad tertium verò gradum ſcientiæ pertinet cognitio certa & euidens ex proprijs & adæquatis cauſis; quæ demonſtratione Propter quid comparatur. Et Ariſtoteles quidem quum dixit, demonſtrationem eſſe ſyllogiſmum generantem ſcientiam, potuiſſet omnem demonſtrationem definire. Tamen ita expoſuit naturam ſcientiæ, vt manifeſtè oſtenderit; ſe noluiſſe, omnem demonſtrationem comprehendere: ſed eam tantùm quæ poſtremum ſcientiæ gradum generat; eam ſcilicet, quæ Propter quid dicitur. Verùm definitio, quæ initio libri à nobis poſita eſt, omni ſyllogiſmo demonſtratorio conuenit.

Quidnam ſit ſcientia

Tres ſcientiæ gradus.

Quæ ſit latè patẽs demõſtrãtionis definitio.

Hæc autem demonſtrationis diuiſio ad ipſam, vt demonſtratio eſt, pertinet; ſed quæ ſequuntur, quà ſyllogiſmus eſt quidam, ei accommodantur. Enimuero demonſtrationum aliæ aientes ſunt, aliæ negantes. Nam quæ concluſionem negantem habet, eſt negans; quæ aientem, eſt aiens. Porrò demonſtrationum aliæ vniuerſæ, aliæ particulares. Particulares vocantur non ſolùm illæ, quarum concluſio eſt particularis: ſed illæ etiam quarum concluſio tametſi vniuerſa ſit, non conſtat prędicato, quod poſsit cum ſubiecto reciprocari. Vnde fit, vt quę probat, omnem hominem eſſe ſentientem, particularis ſit (auctore Ariſtotele) iudicanda. At illa cuius concluſionis attributum omni, ſolique ſubiecto, de quo demonſtratur, conuenit, ac per propriam cauſam ei conuenire oſtenditur, vniuerſa dicetur. Denique diuiditur demonſtratio in directam, ſeu oſtenſiuam, & eam quæ vrget incommodo: illa progreditur ex ueris, hæc autem ex his quæ reſpondens concedere debet.

Aliæ demonſtrationis diuiſiones proponũtur.

Quæſtiones.

Num vni ca demon ſtratione ſcientia ha beatur.

QVæſtio prima. Dictum eſt omnem demonſtrationẽ generare ſcientiã. Dubiũ igitur eſt, an is qui habet vnam demonſtrationem, iam habeat ſcientiam. Poſita enim cauſa, effectus continuò ſequitur. Quare ſi homini ignaro Phiſoſophiæ naturalis proponatur demonſtratio ad res Phiſicas pertinens, & ille per-

percipiat vim demonſtrationis; iam habebit ſcientiam. Percunctor igitur, Habebitne Phyſicã, an aliam ſcientiam? Phyſicam ne? Ergo vna demonſtratione cognita erit Phyſicus. An aliam ſcientiam? Quam igitur? Reſpondetur, illum habere iam Phyſicam: ſed in rebus diſtinguendam eſſe eſſentiam à perfectione. Pomilio enim eſſentiam hominis habet, cùm non perueniat ad iuſtam hominis magnitudinem. Nõ aliter homo ille iam ſcientiam Phyſicam ſecundum eius eſſentiam habet; nondum tamen ad Phyſiologiæ perfectam, abſolutamq; cognitionem peruenit.

An ſingulis demonſtrationibus, ſingulæ ſcientię generẽtur.

Secunda quæſtio. Omnis demonſtratio generat ſcientiam? ergo quot erunt demonſtrationes, tot erunt ſcientiæ. Et cùm in Geometria infinitæ ſint demonſtrationes, infinitæ quoque ſcientiæ erunt, quæ appellentur Geometriæ. Reſpondetur negando conſequentiam. Nam calefactio eſt motus quidam generans calorem, nec proinde ſequitur, quot fuerint calefactiones, tot eſſe calores. Nam ſi aqua poſita in aheno, & mediocriter calefacta ignis remoueatur, & paruo tempore interiecto, alius ignis admoueatur, quo ſemoto tertius modico etiam interuallo facto ſupponatur; tres equidẽ calefactiones fuerunt, quia ter aqua calefacta eſt: & nihilominus in aqua non ſunt producti tres calores, ſed prima calefactio produxit calorem; reliquæ verò ſequentes, etſi quod in ipſis erat, poterant calorem nouum producere, non produxerunt tamen, quia iam inuenerunt productum; ſed tantùm auxerunt calorem. Non aliter quæuis demonſtratio Geometrica ſuapte natura poteſt habitum Geometriæ generare: ſed ſi iam gentium eum inuenerit, auget illum profectò, non generat. Hęc quidem dicta ſunt de ſcientia, ut eſt habitus demonſtratione acquiſitus; id eſt, facultas, aut vis, ſeu aptitudo, ad promptè, faciliter, & cum oblectatione intelligenda ea, ad obiectum, ad quod pertinet illa demonſtratio, attinent. Nam ſi ſumatur ſcientia pro actu, & aſſenſu, aut cognitione certa & euidenti ex ratione & diſcurſu comparata, dicendum eſt, quamlibet demõſtrationem Geometricam ſcientiam peculiarem generare. Verùm qui hoc aſſerit, non concedit plures Geometrias, ſed plures Geometriæ actus, atque aſſenſus.

Duo ſenſus quæſtionis.

De principijs demonſtrationis, ac primo in communi. Ca. 3.

VIdeamns nunc qualia eſſe debeant demonſtrationis principia: & initio quidẽ de principijs demonſtrationis in vniuerſum diſſeramus: poſtea de principijs demonſtrationi Quia, & Propter quid accommodatis. Principia demonſtrationis alia ſimplicia ſunt, alia compoſita. Appellamus ſimplicia, quæ non ſignificant verũ, aut falſum; vt homo, animal rationale, &c. compoſita dicimus, quæ verum, aut falſum ſignificant, vt ennntiationes. Simplicia autem tria ſunt, ſubiectum nimirum, & prædicatum concluſionis demonſtrandæ, & medium quo demonſtratur. Ab alijs appellantur genus ſubiectum, quæſitum, & medium. Subiectum ſemper eſt aliquod vniuerſum. Nam (vt dicemus capite vltimo) demonſtrationes non ſunt rerum ſingularium. Prædicatum autem concluſionis aut eſt propria ſubiecti affectio, aut aliquid ei neceſſariò coniunctum. Denique medium demonſtrationis debet eſſe aut effectus, aut cauſa. Cauſa, ut ſiquis demonſtraret, hominem poſſe reſpirare, quia eſt animal habens pulmonem: effectus, vt ſi quis demonſtraret, Orientem eſſe partem dexteram cœli, quia inde incipit motus. Non enim inde incipere motum, eſt cauſa, vt illa ſit pars dextera, ſed è diuerſo. Nomine autem effectus intelligimus etiam coëffectum, vt ſi quis demonſtraret, aquas puteales calidas eſſe, quia aquæ paludum

Duo genera principiorum.

Qualia ſint principia ſimplicia.

Quid nomine effectus intelligēdū ſit.

in glaciem ſunt conuerſæ. Eadem enim cauſa quæ vertit in gelu aquas ſub dio exiſtentes, efficit calidas ea, quæ in cauernis & puteis concluduntur.

Qualia ſint principia cōpoſita.

Duplex neceſſarij ratio.

Principia autem compoſita primùm vera eſſe oportet, quia ex falſis non procedit demonſtratio: deinde etiam neceſſaria, quoniam ſi enuntiationes ex quibus demonſtratio componitur contingentes forent, non poſſet ex eis cognitio certa & euidens generari. Cæterùm illud obſeruandum eſt, duobus modis aliquam enuntiationē veram & neceſſariam appellari, primùm quia ita ſe res habet perpetuò, nec poteſt vnquam aliter ſe habere; vt omnem figuram planam tribus lineis contentam habere tres angulos pares duobus rectis. Secundò quia ferè ſemper ita ſe res habet, nec poteſt aliter ſe res habere, niſi fortè raro; & ſumma cum difficultate: vt omne animal rationis particeps cum viginti digitis naſci. Vt igitur demonſtratio ex principijs veris & neceſſarijs conſtare dicatur, ſatis fuerit, ſi primo, aut ſecundo modo ſint neceſſaria. Demonſtrationes Mathematicæ, quales fiunt in Geometria & Arithmetica, conſtant ex principijs priori modo neceſſarijs: pleræq; autem Phyſicæ conſtāt ex principijs neceſſarijs poſteriori modo. Quemadmodum enim ex Ethicis conſtat, alia ratione Deum eſſe beatum, alia hominem, quippe cùm Deus beatus non ſit, niſi omnia penitus & poſsit, & norit; homo verò beatus ſit, tametſi minima quædā neſciat: ſic etiam ad neceſſarium Mathematicum exigitur veritas ſempiterna, ad Phyſicum autem ſufficit veritas; non ſempiterna illa quidem, ſed ferè perpetua. Quam ob cauſam dixit Ariſtoteles, ſtulti & indiſciplinati hominis eſſe, in omnibus quærere exactum Mathematicum: aut (vt alij vertunt) acribologiam Mathematicam.

Accōmoda Analogia.

De prænotionibus.

Vidimus qualia futura ſint principia demonſtrationis ratione ſui, dicamus iam qualia eſſe oporteat reſpectu noſtri. Sanè oportet illa ante concluſionem eſſe cognita. Duo aūt ſunt genera prænotionum, aliud quo rem eſſe cognoſcimus, aliud quo quid ſit intelligimus. Bifariam quoque intelligi poteſt quidpiam eſſe, primùm quia illud exiſtere nouimus, idq; vel in ſua cauſa, vt quum brumali tempore dicimus roſas eſſe, non quòd exiſtant ipſæ, ſed quia extant plantæ, ex quibus certè orientur. Certè inquam Phyſico more. Secundò quia illud verum eſſe deprehendimus, de quo prænotionis genere non multò poſt diſſeremus. Porrò totidem modis pōt cognoſci quid res ſit, nempe cognoſcendo aut eius definitionem eſſentialem, & dicitur prę notio quid rei; aut deſcriptionem, vel nominis tantùm expoſitionem, & hæc vocatur prænotio quid nominis. Quamuis enim apud tyrones deſcriptio appelletur definitio: tamen in libris Poſteriorum ſola definitio eſſentialis definitio rei dicitur.

De præmiſsis quid ſit ante demonſtrationē cognoſcendum.

Quid de ſubiecto.

Quid de prædicato

Igitur ex principijs ea quæ compoſita ſunt, debent prænoſci an ſint; id eſt, an ſint vera. Priuſquam enim ad concluſionem perueniamus, cognoſcere oportet præmiſſas eſſe veras. Enuntiationem autem, quatenus enuntiatio eſt, idem eſt eſſe, quod veram eſſe. De ſubiecto verò concluſionis oportet noſce, illud aut ratione ſui, aut ſuæ cauſæ eſſe in rerum natura. Eorum enim quæ non ſunt, ſcientia eſſe non poteſt. Præterea oportet prænoſſe, quid ſit. Quid inquam, vel rei, vel nominis iuxta demōſtrationum varietatem. De prædicato autem concluſionis docent autores non oportere prænoſci, an ſit; quia accidentis eſſe eſt ineſſe. Cùm ergo nondum peruentum ſit ad concluſionem, in qua prædicatum ſubiecto conuenire, aut ineſſe probatur, non oportet priùs intelligere, illud prædicatum eſſe. Docent etiam, de paſsione non oportere prænoſci quid ſit; ſaltem quoad deffinitionem quid rei. Cùm enim in eſſentiali paſsionis diffinitione debeat ſubiectum collocari, & nondum probatum ſit, quodnam ſit illius paſsionis ſubiectum, nō poteſt cognoſci eius definitio rei; diffinitio tamen

tio tamen

tio tamen nominis debet prænoſci. Sed hæc vera ſunt quando prædicatum quod de ſubiecto concludimus in demonſtratione, eſt propria eius paſsio; vt fit in perfectiſsimis demonſtrationibus: aliàs enim hæc falſa comprobantur. Nam ſi velimus, hominem eſſe animal, aut cœlum eſſe rotundum, demonſtrare, poſſumus ante demonſtrationem cognoſcere & quid eſſentialiter ſint animal & rotunditas, & præterea in rerum natura animal ac ſphæricam figuram exiſtere.

De principijs cuiuſque demonſtrationis in particulari. Cap. 4.

SED age, ab vniuerſis, & quæ omnium demonſtrationum principijs communiter accidunt, ad ſpecialia cuiuſque demonſtrationis principia deſcendamus.
Qualia eſſe debent principia cuiuſque demonſtrationis in particulari? Reſpondetur. Si demonſtratio ſit Quia primi generis, principia uera eſſe debent: ſi autem ſit Quia ſecũdi generis, oportet nõ ſolùm eſſe vera & neceſſaria, ſed cauſam præterea remotã concluſionis continere. Deniq; demonſtrationis Propter quid ſumptiones, aut pmiſſas, neceſſum eſt nec falſas eſſe, nec cõtingentes: quin potius tales eſſe, quales ſecunda demonſtrationis Ariſtoteles diffinitio poſtulat: ſeu (quod idem eſt) debent eſſe tales, vt earum prædicatum omni ſubiecto per ſe & primò conueniat. Quare explicandum eſt, quid ſit omni, & per ſe, & primò aut vniuerſè competere. Et quidem aliter in hoc libro dicimur, attributum conuenire omni ſubiecto, quàm in ſuperiore. Nam in ſuperiore illud prædicatum omni ſubiecto dicitur conuenire, quod omni contento ſub ſubiecto tribuitur; vt ſi omnes homines nunc eſſent albi, album competeret omni homini, quod attinet ad librum ſuperiorem, & ad libros Priorum Ariſtotelis. At in tractatione demonſtrationis illud ſolùm dicitur omni ſubiecto conuenire, quod & omni contento ſub ſubiecto, & ſemper conuenit; vt animal homini. Vt verò intelligamus, quod prædicatum conueniat ſubiecto per ſe ſciendum eſt triplex eſſe enuntiationis per ſe genus; primum in quo prædicatum eſt definitio, aut pars definitionis ſubiecti; vt Omnis homo eſt animal. Secundum quando ſubiectũ eſt definitio, aut pars definitionis prædicati; vt Homo eſt riſibilis; quia in diffinitione riſibilis ponitur homo. Tertium quando ſubiectum eſt cauſa prædicati, ut iugu latus interijt; Quamuis hoc tertium genus ad ſuperiora quodammodo referatur. Denique illarum enuntiationum prædicatum dicitur ſubiecto conuenire primò, aut vniuerſè, quod cõnuenit ei, quã tale eſt, vt in hac enuntiatione, Homo eſt animal rationis particeps. At verò prædicatum huius, Homo eſt particeps ſenſus, non conuenit ſubiecto primò, licet omni homini ſemper, ac per ſe conueniat. Dicimus igitur demonſtrationis Propter quid enuntiationes conſtare debere attributo, quod omni ſubiecto per ſe, ac primò conueniat; ut omne animal rationis compos eſt riſus particeps; at omnis homo eſt animal rationis compos, ergo omnis homo eſt riſus particeps. Quibus poſitis, perſpicuum eſt, principia demonſtrationis Propter quid ex illis attributis, ac ſubiectis conſtare, quæ inter ſe viciſsim commeant. Quod autem paulò ante dictum eſt, principia demonſtrationum debere eſſe vera, non eſt de illis intelligendum, quæ vrgent incommodo. Denique ſciendum eſt, inter demonſtrationes

Demõſtratiõis Quia qualia debeant eſſe principia.

De demõſtrationi, Propter quid principijs.

Omni cõuenire q d ſit.

Cõuenire per ſe.

Conuenire primo.

tiones Propter quid proprias eſſe maximam latitudinem, quædam enim potiſsimæ ac perfectiſsimæ ſunt, quarum principia qualia eſſe debeant, explicatur apud Ariſtotelem: aliæ verò non ita perfectæ. Quemadmodum enim non omne neceſſarium ex æquo neceſſarium eſt, ita non omne attributum, quod per ſe conuenire dicitur, æqualem (vt ita dixerim) perſeitatis gradum tenet.

Huius capitis difficultates.

An principia vera eſſe oporteat.

PRobatur principia demonſtrationis non debere eſſe vera, & neceſſaria. Nam apud Phyſicum, hoc eſt principium multarum demonſtrationum, ex nihilo nihil fit, at hoc principium falſum eſt, ergo principia poſſunt eſſe falſa. Propoſitio nota eſt. Probatur aſſumptio. Nam omnia ex nihilo facta ſunt, & creata. Idem argumentum fieri poſſet de illo principio, accidentis eſſe eſt ineſſe. Nā quantitas panis eſt accidens, & eſt in eo tanquam in ſubiecto, & tamen in ſupremo Euchariſtiæ ſacramento quantitas panis exiſtit, pane nō exiſtente. Reſpondetur, illa principia eſſe vera, vt ſumuntur in Phyſica; nam Phyſicæ non intereſt miracula conſiderare. Quare tantùm docet, ex nihilo vi naturæ nihil fieri; & accidens vi, cauſarumq; naturalium poteſtate non poſſe ſine ſubiecto permanere: quæ omnia veriſsima ſunt, quia nec naturæ viribus fit, vt accidentia ſine ſubiecto ſubſiſtant; nec rerum productio fuit actio, aut operatio Phyſica. Hinc collige, nec Phyſicam vti principijs falſis, nec fidei noſtræ myſteria Philoſophiæ naturali aduerſari: quanquam eam ſua nobilitate tranſcendant. Quò fit, vt imprudenter, ne dicam impiè, loquantur, qui dicunt, Deum (ſecundùm veram Philoſophiam) non poſſe hoc, aut illud agere; quia Philoſophia non poteſt Deo leges præſcribere. Quòd ſi interdum in aliquo graui auctore talis modus loquendi reperiatur, exponendus eſt ſana aliqua explanatione; nēpe in ſenſu negante: quia videlicet Philoſophia non aſſerit, Deum poſſe; ſed inde non ſequitur eam aſſerere, Deum id non poſſe. Quicquid enim Deus non poteſt, nihil eſt.

Fides non cōtra, ſed ſupra naturam eſt.

Nota difficultatē.

Aliam præterea difficultatem, quam in nullo tractatam reperi, hoc loco explicare volo: an ſcilicet quamprimùm conceditur, aliquod attributum conuenire omni cōtento ſub ſubiecto, & per ſe, & non ratione alterius; ſit dicendum conuenire ei primò, aut vniuersè. Videbitur enim fortaſsè alicui huius quæſtionis partem aiētem eſſe ſuſcipiendam. Nam ſi (vt docet Ariſtoteles 1. Poſter. cap. 4. & 5.) illud prædicatum conuenit ſubiecto vniuersè, aut primò, quod omni & per ſe ineſt, & hoc ipſo quod talis res eſt; certè quodcunque prædicatum conuenit omni ſubiecto & per ſe, & non ratione alterius conueniet ei primò. Sed pars negans propriùs ad veritatem uidetur accedere. Et vt meam ſententiam probem, ſic ordiar. Animal conuenit'ne homini vniuersè? Si ais; profectò contra Ariſtotelem & omnes Philoſophos ſentis. Si negas, iam ita diſputo, Animal conuenit omni homini, & per ſe, & nō ratione alterius prædicati; ergo (ſi uera eſt ſuperior ſententia) animal conuenit homini vniuersè, aut primo. Negabis ſat ſcio antecedens, quia poſterior pars falſa eſt: nam animal dicitur de homine quatenus eſt ſentiens (ſumamus enim ſentiens tanquam internam animalis differentiam; aut ſi id non placet,

vltimam

vltimam & propriam eius differentiam nominemus Peripatetico more B, aut C.) ac ſubinde medio aliquo prædicato. Ita'ne quæſo argumentum euadis? Sumo igitur hanc aliã enuntiationem, Homo eſt ſentiens, & rogo, an ſentiens dicatur vniuerſè de homine. Dicitur enim per ſe de omni homine (vt conſtat) & præterea non ratione alterius; alioqui dabitur progreſſus in infinitum in medijs demonſtrationũ contra Ariſt. Nam etiam illud quod dabis, de homine enuntiabo, & quæram an dicatur immediatè, &c. Meo igitur iudicio dantur multa prædicata, quæ conueniunt omni contento ſub ſubiecto, & quidem per ſe, & non ratione alterius prædicati: & non cõueniunt ei primò, aut uniuerſè, aut quatenus talis res determinatè eſt. Hiſce enim ego pluribus nominibus vnam rem declarari volo, ſed vt quam maximè ſignificem pluribus. Quocirca vt aliquod attributum ſubiecto conueniat vniuerſè, oportet illud omni contento ſub ſubiecto per ſe conuenire: ac præterea non modo exigitur, vt non ei conueniat ratione alterius prædicati; ſed etiam non illi, alteriq; ſubiecto accommodetur. Quare ſentiens, aut animalis differentia interna, non dicitur de homine, nec de animali rationali vniuerſè, quia licet non conueniat homini ratione alterius; conuenit tamen ei, & alteri: nempe ipſi & bruto. *Quid ſit uniuerſè cõuenire.*

Quorum ſit demonſtratio. Cap. 4.

INueſtigemus tandem, quæ ſint illa, quæ demonſtratione probari queunt. Principiò quidem concluſio demonſtranda debet eſſe vera, quoniam demonſtratio (non ago de ea, quæ vrget incommodo) conſtat antecedente vero: ex vero autem minimè ſequitur falſum. Deinde neceſſariam eam eſſe oportet, quia præmiſſæ demonſtrationis ſunt neceſſariæ: ergo concluſio non poteſt eſſe contingens, aut impoſsibilis. Præterea ſi demonſtratio eſt Propter quid, concluſio non poteſt eſſe immediata, id eſt, carens omni cauſa, qua poſsit probari. Demonſtrationis enim Propter quid antecedens concluſionis cauſam continet. Denique concluſio nunquam erit ſingularis, quippe cùm ſingularium non ſit ſcientia, aut definitio: proindeq; nec demonſtratio, quæ ſcientiam gignit. Nam ſingularia ſunt propemodum infinita, vt Porphyrius in ſua Iſagoge tradit; infinita autem mente percurri nequeunt: quomodo ergo ſciri poterunt? Præſertim autem hæc vera ſunt de ſingularibus iſtis caducis, atque incertis, quæ & ortui, & interitui obnoxia ſunt. *Nõ debet eſſe falſa concluſio. Nõ cõtingens. Nõ ſingularis.*

Argumenta in ſuperiora.

COntra id quod dictum eſt, ſcientiam omnem verſari circa neceſſaria, eſt argumentum. Nam diuus Thomas 6. Ethicorum lect. 3. ait, ſcientias practicas verſari circa contingentia. Quòd ſi dicas, ſcientiam poſſe verſari circa contingentia, non tñ quatenus contingentia ſunt perſpicua profectò ſolutio erit; ſed parum textui accõmodata. Subdit enim diuus Thomas, eas verſari circa contingentia, quatenus contingentia ſunt, quia ſunt artes. Reſpondent quidam falſum eſſe quod diuus Thomas ſentit artes eſſe ſcientias. Sed qui ita iudicant, potiùs ipſi falluntur. Nam Ariſtoteles 1. Poſterior. c. 10. artem nauigandi, artem conſtruendi domum & Muſicam, non modo eã quæ vna Mathematicarum eſt, ſed illam præterea quæ modos auribus demulcendis accommodat, ſcientias vocat. Non ergo adeò ſcrupuloſi eſſe debemus in nomine ſcientiæ artibus concedendo, ſi Ariſtotelem imitari cupimus. Denique in ſacro eloquio *Nũ ſcientia ſit contingentiũ. An artes debeãt dici ſcientiæ*

quo Exodi 31. & 35. peritia argentarij fabri, ſcientia nominatur. Hinc coniecturam quiuis mediocriter literatus faciat, quàm ſit eorum timor inanis, quia Dialecticæ nomen ſcientiæ verentur tribuere; quoniam ars quædam eſt, quaſi nulla ars poſſit ſciẽtia nominari. Cùm tamen diuus Hieronymus in epiſtola ad Paulinum multas artes, & Dialecticam ipſam ſcientias nuncuparit. Colligat etiam quàm timidior ſit eorum opinio, qui nec artis quidem nomen Dialecticæ accõmodandum iudicant, eiuſque appellationis cauſa in diui Thomæ diſcipulos fremunt. Quos ſi roges, quonã ſit nomine appellanda, reſpondent: Facultatis. Nam (inquiunt) ſicut illa animi vires, quę liberæ ſunt, mens ſcilicet atque voluntas facultates dicuntur, ſic Dialectica, quæ pro ſuo arbitratu ac liberè in vtranque partem de quauis re propoſita diſſerit, non alio quàm facultatis nomine debet gaudere. Solidam quidem demõnſtrationem more ſuo hi auctores afferunt. Primùm enim ita ſentire hominum eſt, quid Dialectica Docens ab Vtente differat, parùm intelligentium. Nam docens nihil magis in vtranque partem diſputat, quàm Phyſiologia, aut Metaphyſica: vtens verò nunquam à diui Thomæ diſcipulis (qui tamen eo nomine digni ſint) dicta eſt ſcientia. Mox cùm Vtens Dialectica, ſicut & Docens, in Demonſtratoriam & Topicam diuidatur, quo iure quaque iniuria, quod Topicæ vtentis proprium eſt in vniuerſam Dialecticã transferunt? Poſtremò quis eos docuit facultatis nomen ita perenne bellum cum artis nomine gerere, vt in nullam rem utrunque cadere poſſit, cùm Thomiſticæ ſcholæ Princeps Ariſtoteles in Elenchorum epilogo (Perionio, Boëthioque conſentientibus) Topicam Dialecticam, & facultatem ſimul, & artem nominet? Teneamus igitur id, quod verum eſt, ſcientię vocabulum, & Dialecticæ omnino, & mechanicis artibus quadam ex parte conuenire. Sed ut hoc extremum intelligatur obſeruandũ eſt ex diuo Thoma 10. Ethicorum lectione 16. artes appellari ſcientias, quia non temerè & fortuitò operantur, ſed ex certa & euidenti cognitione eorum, quæ agere volunt. Quod etiam 2. Ethicorum lect. 4. innuit. Et exemplis fiet manifeſtum. Nam domus conſtruendę architectus nonmodo curat polire lapides; & fornices perfectè circulares conſtituere, aut quodammodo complanatos, aut ita in altum ſurgentes, vt angulum conſtituant; ſed (ſi ſapiens ſit) conatur etiam cauſas reddere, quare ita parari debeant. Scire autem eſt, rei cauſam agnoſcere; & quia non contingit, ſaltem frẽquenter aliter ſe habere. Non aliter in arte frænifactoria artifex (ſi peritus eſt) intelliget certè in fræno collocari circulum, & clauiculos hamatos, ac vncinatos, hoc fine, vt equus ad ſeſoris nutum aut voluatur, aut in medio curſu, quum oportuerit, conquieſcat. Artifices igitur cauſas eorum, quæ agunt, conſiderant. Ad ſcientiam autẽ id ſufficit, quoniam virtute iam habetur demonſtratio: Eatenus ergo etiam mechanicæ artes ab Ariſtotele, & diuo Thoma ſcientiæ nominantur, quatenus cognitionem eorum, quæ agunt, certam habent; licet ex ea parte, qua hoc loco, hac die, circa hoc ferrum, aut aurum operantur, non ſint ſcientiæ; ſed verſentur circa contingentia, vt contingentia ſunt. Nos verò quum diximus, ſola neceſſaria ad ſcientias pertinere, agebamus ſcientijs, quà ſcentiæ ſunt, non quatenus quædam ipſarum circa hãc, aut illam ſingularem materiam operantur. Quare patet quid ſit ad diui Thomæ teſtimonium reſpondendum, ac ſimiliter conſtat, quid ſibi apud Ciceronem lib. 2. de Oratore M. Antonius velit, quum artem earum rerum eſſe ait, quæ ſciuntur: demum illud perſpicuum fit, quàm bene Cicero in Partitionibus artem diſputandi ſcientiam vocet.

Sitne Dialectica ſciẽtia.

Qua ratione artes, ſcientię appelationẽ recipiant.

Alterum argumentum aduerſus id, quod dictum eſt, ſcientiam non poſſe eſſe ſingula-

gularium. Nam eorum poteſt eſſe ſcientia, quorum & definitio, cùm diffinitio ſit medium demonſtrationis; at ſingularium poteſt eſſe diffinitio, ergo & ſcientia. Probatur aſſumptio. Nam Ariſtoteles 2. Poſter. cap. 15. ait, faciliùs ſingulare, quàm vniuerſale definiri: ergo ſingulare definiri poteſt. Reſpondetur, eo in loco ab Ariſtotele nomine ſingularis non intelligi indiuiduum, ſed ſpeciem; vt ſcilicet nomine ſingularis accipiatur homo, aut alia ſpecies; nomine vniuerſalis, animal, aut aliud quouis genus. Nihilominus eſt argumentum contra ſolutionem, nam ſic intelligendo ſingularis nomen, falſum eſt quod Ariſtotele docet, facilius eſſe ſingulare, quàm vniuerſale definire. Quod ita probatur. Definitio eſt oratio explicans quid res ſit, ſed non poteſt faciliùs explicari quid ſit homo, quàm quid ſit animal, ergo ſentẽtia Ariſtotelis ita explanata oſtenditur falſa. Propoſitio eſt manifeſta. Probatur aſſumptio. Quia partes definitionis priùs intelliguntur, quàm tota definitio; animal autem pars quædam eſt definitionis hominis. Optimum ſanè argumentum, ſed quod à Caietano diſſoluitur apertiſsimè 2. Poſter. cap. 10. ait enim, quum aliqua duo inter ſe comparantur, non tam conſiderandum eſſe illud, in quo conueniunt, quàm id quo differunt. Quò fit, vt cùm Ariſtoteles loco citato comparet genus ſpeciei, aut (exempli gratia) hominem animali, non ſit homo conſiderandus quoad id quod ei cum animali conuenit, ut eſſe ſentiens; ſed quoad id quod illi, quatenus ab animali diſtinguitur, eſt tribuendum; ſcilicet eſſe rationale. Et quia facilius eſt inueſtigare quid ſit id, in quo omnia indiuidua eiuſdem ſpeciei conueniunt, quàm illud quod omnibus indiuiduis omnium ſpecierum, aut formarum ſub vno genere contentarum, eſt commune (ſicut faciliùs cognoſcuntur omnia indiuidua ſpeciei, quàm generis) ideò dixit Ariſt. facilius eſſe definire ſpeciem, quàm genus; cõſiderando illa tantùm quoad ſuas vltimas differentias.

An ſingularia definiri põſſint.

Faciliuſne ſit ſpeciẽ an genus definire.

Sed ne aliquid offerat ſe lectori, quod dubitationem moueat, currentemque detineat, alia quæſtiuncula breuiter explicanda eſt. An inquies demonſtrator locos habet, vnde rationes ſuas colligat? Habet planè; ſed qui non ita latè patent, vt illi de quibus in ſequenti libro diſputabimus. Nam demonſtratoriæ rationes ſolùm poſſunt colligi ex loco à diffinitione, à cauſa, ab effectu, & ſi quis fortè alius eſt huiuſmodi. Nec tamen ab omni definitione, ab omni cauſa, ab omnique effectu deſumuntur. Siquidem nec à nominis definitione petuntur, nec à cauſa, aut effectu contingenti: alioqui non generarent ſcientiam. Ideo enim libris Poſter. adeo curioſè Ariſt. de definitione, de cauſa, de effectis denique egit: quia & ex his, tanquam promptuarijs, demonſtrationes ſumendas eſſe intelligebat: & minimè ignorabat, iſta non debere eſſe incerta, atque vulgaria, quum in demonſtrationis vſum veniunt.

De locis demõſtratorijs.

Dictum igitur eſt, quid ſit demonſtratio; oſtenſum eſt, quot ſint eius ſpecies, atq; formæ; præceptum eſt, qualia debeant eſſe eius principia, ac traditum eſt, quænam ea ſint, quæ demonſtratione colligi poſsint. Hęc autem omnia quamuis (ut quiuimus) ſtudioſè tractauimus, nobis ipſis minimè ſatisfecimus. Nam etſi in quatuor his capitibus inuitamenta inſint, quibus ad grauiora cognoſcenda iuuenes accedãtur, multæ ſunt tamen prætermitæ quæſtiones, quas vtinam (Dei ope adiuti) aliquando vulgare poſsimus. Sed dum illas accuratè, diligenterq; perpurgamus, ſatis in præſentia de monſtratione dictum uidetur: deincepsque probabilis argumentationis vis & natura ſcientia conſideranda eſt.

Epilogus

COMMENTARIORVM IN VNIVERSAM LOGICAM

LIBER SEPTIMVS:

IN QVO DE SYLLOGISMO Probabili diſputatur.

Quid ſit Dialecticus ſyllogiſmus. Cap. 1.

OPORTET ſanè in Dialectica non tantùm de ſyllogiſmo demonſtratorio agi, ſed etiam de probabili. Quemadmodum enim in ſacris, aut prophanis potiùs Gentiliũ certaminibus hi qui primam obtinere palmam non poterant, ſecundam aſſequi contendebant; ita qui certam rerum ſcientiam adipiſci nequit, ſaltem cõiecturas quærat oportet; dummodo illæ à probabilibus non diſcrepent rationibus. Et quidem ſyllogiſmus probabilis, aut Dialecticus, eſt, qui ex enuntiationibus probabilibus conſtat. Sed explicat Ariſtoteles 1. Topic. cap. 1. quæ enuntiatio ſit probabilis. Probabile, inquit, eſt, quod probatur omnibus, aut pluribus, aut certè ſapientibus: atque his, aut omnibus, aut plurimis, aut ijs quorum maximè ſpectata eſt, & perſpecta ſapientia. Probabile eſt, quod probatur: id eſt, quod ita videtur, quod ita apparet, cum formidine tamen nonnulla, vtrumne verum ſit id quod creditur. Siue enim propoſitio vera ſit, ſiue falſa; neceſſaria, ſiue contingens, aut impoſsibilis, poteſt probabilis appellari; ſi ita appareat omnibus, aut plurimis, &c. Nam ſæpe accidit duas opiniones inuicem contradicere, & nihilominus vtranque eſſe probabilem: & quidem quod ad veritatẽ attinet, vna earum debet eſſe falſa; nam duæ contradicentes enuntiationes ſimul veræ aut falſæ nequeunt inueniri: ergo tam verum, quàm falſum poteſt eſſe probabile. Quamuis enim Cicero in oratione pro Cluentio falſitatem dicat parum habere roboris: tamen ut Ariſtoteles ait, ſæpe falſa ſunt probabiliora veris. Sed in hac re diligentiſsimè annotandum eſt, quod Ariſtoteles ait, probabile eſſe, quod probatur omnibus, &c. Non enim eſt probabile, quod vni, aut alteri indocto videtur; ſed quod videtur omnibus, aut plurimis, aut certè ſapientibus; atq; ex his vel omnibus, vel ſaltẽ ijs quorum egregia eſt ſapientia. Hæc quidem omnibus vtile erit cognoſcere, ſed Philoſophis Moralibus neceſſarium. Ipſi enim docent, cuique liberum eſſe amplecti quamuis opinionem probabilem; ſaltem quæ practicè probabilis iudicetur. Eſſet aũt hominis temerarij amplecti ſententiam vnius, aut alterius ſcioli: at quum aut omnes, aut maior pars hominum vnà cum doctis, aut ſoli quidam eruditione præſtantes viri aliquam ſniam mordicùs tenent; illa demum põt probabilis appellari. Sed intelligẽda ſunt hæc quãdiu nõ ſubeſt euidens, aut quaſi euidens ratio, quæ aduerſam ſententiam per-

Quid ſit probabile

Nõ idem ſunt verũ, atq; probabile.

De probabilib. opinionib. digноſcẽdis.

tiam per-

tiam perſuadet: aut certè experientia ipſa compertum ſit eorum exiſtimationem falſam fuiſſe. Vt ſi duo, aut tres, immo verò centum, aut mille Coſmographi peritiſſimi, vltra columnas Herculis nullam eſſe aut inſulam, aut continentem, aſſeruerunt, ea ſententia olim probabilis fuit: poſtquam verò nouus ille orbis inuentus eſt, iam deſijt eſſe probabilis: & qui eam nunc aſſereret, non diceretur opinari, ſed errare, ac inſanire; quia iam oppoſitum experti ſumus. Eodem pacto, tametſi mille auctores cœlum nequaquam moueri autumarent, ſed terram impetu volui circa illud, nunquam apud nos illa ſententia poſſet eſſe probabilis; quoniam euidenti (quam nunc non eſt tractandi locus) repugnat experientiæ. Quod autem de perſpicua ratione, experientiaq́; dictum eſt, apud omnes, idem apud nos Chriſtianos de auctoritate ſacræ ſcripturæ, aut traditionum ſacrarum, ſummive Pontificis, aut Concilij generalis intelligatur. Nam qui aſſereret, mundum ab æterno fuiſſe, quamuis proferret, Ariſtotelem & antiquiores Philoſophos, non probabilem opinionem ſequi diceretur, ſed errorem & hæreſim. Quum autem nec euidens ratio, nec experientia, vel fides impediunt, illud probabile eſt, quod aut videtur omnibus, vt omnem matrem diligere filium ſuum; aut plurimis, vt voluptatem dolori eſſe anteponendam (ita enim plerique ſentiunt) aut ſapientibus: ijsq́;, aut omnibus, vt bona animi bonis fortunæ eſſe anteponenda; aut plurimis, vt virtutem per ſe dignam eſſe amore, tametſi ex ea nulla oblectatio ſequeretur; aut tandem ijs, quorum celebrata eſt, & vulgata ſapientia, vt cœlum non componi ex materia elementorum: quod Ariſtoteles, noſtriq́; Peripatetici docent.

Probabilis definitio explicatur.

Ex his colligitur primò, ſyllogiſmum Dialecticum valde à demonſtratorio ſeparari: nam demonſtratio ex neceſſarijs enuntiationibus conſtat, Dialectica autem ratiocinatio aut ex contingentibus coaleſcit, aut, ſi ex neceſſarijs componitur, oportet earum neceſsitatem eſſe incertam ei, qui tali vtitur ſyllogiſmo: quod quum accidit id, quod ratione ſui neceſſarium eſt, reſpectu illius eſt tantùm probabile. Colligitur ſecundò falſam eſſe eorum ſententiam, qui totius Dialecticæ finem eſſe dicunt, ex probabilibus argumentari, aut fidem, quæ probabilibus argumentis colligitur. Nam in Dialectica non modò vtimur argumentis probabilibus, ſed neceſſarijs quoque; etiáſi comperta ſit nobis illorum neceſsitas. Reſpondent tamen ipſi, ſyllogiſmum demonſtratorium ſub probabili cõprehendi, quia omne neceſſarium eſt probabile. Verùm hic nominum vſus manifeſtè pugnat cum Ariſtotele 1. Topic. cap. 1. & diuo Thom. 1. Poſter. lect. 1. & in opuſc. de Fallacijs cap. 3. vterque enim probabiles enuntiationes diſtinguit ab illis, quæ in demonſtratione ponuntur; ſcilicet à neceſſarijs, & perſpicuè veris. Quam etiam ſententiam ex Cicerone lib. 1. Rhetoricorum confirmare poſſumus. Ait enim argumentationem eſſe quæ rem aliquam aut probabiliter oſtendit, aut neceſſariò demonſtrat.

Quid differat demõſtratio à Dialectico ſyllogiſmo.

De fine Dialecticæ.

Quæſtio.

QVVM diſtinguitur ſyllogiſmus in Dialecticum & demonſtratorium, eſtne diuiſio generis in ſpecies? Dixi quum diſtinguitur in Dialecticum & demonſtratorium, quia ſi diuidatur in Dialecticum, Demonſtratorium, & Sophiſticum, manifeſta res eſt, non eſſe diuiſionem generis in ſpecies, ſed analogi in analogata: genus enim ſimpliciter, & abſque adiectione de omnibus ſuis formis dicitur; at ſyllogiſmus non dicitur ſimpliciter de ſyllogiſmo Sophiſtico: quippe cùm 1. Topi. cap. 1. ſyllogiſmum Sophiſticum non eſſe ſyllogiſmum, ſed malum ſyllogiſmum, doceat Ari-

De ſyllogiſmo Sophiſtico.

ceat Ariſtoteles. Et quamuis eo in loco quaſdam ſophiſticas ratiocinationes concedat eſſe ratiocinationes; meo tamen iudicio illæ nō ſunt ſophiſticæ, ſed potiùs ad Dialecticas ſunt referendæ; cùm cōſtent ex probabilibus ſaltem reſpondenti. Relicto igitur ſyllogiſmo Sophiſtico, quærimus, an ſyllogiſmus genus ſit demonſtratorij, ac probabilis. Et ſi quidē pars aiens quæſtionis placet, eſt argumentum, quo probabitur negans. Species rerum à forma accipiuntur, non à materia ſola; ſed ſyllogiſmus Dialecticus & demonſtratorius ſola materia differunt: ergo non differunt ſpecie. Propoſitio eſt manifeſta: quia ſpecies ſumuntur ab eo, quod ſe habet vt actus, non à potentia. Probatur aſſumptio. Nam duo ſyllogiſmi fieri poſſunt in eadem figura & modo, eorumque hic erit demonſtratorius, ille Dialecticus; ob id ſcilicet, quòd materia huius eſt neceſſaria, illius probabilis. Si autem propoſitæ quæſtionis potiùs pars negans eligatur, non deerit argumentum, quo eam refellamus. Proprietates enim conſequuntur ipſas ſpecies, ſed ſyllogiſmus Dialecticus & demonſtratorius habent diſtinctas proprietates; ergo differunt ſpecie: aut (ſi mauis) genere. De propoſitione conſtat. Aſſumptio verò probatur. Quia affectio propria demonſtratorij ſyllogiſmi eſt, generare ſcientiam; contra Dialectici opinionem.

An ſyllogiſmus in demōſtratorium, & Dialecticū tanquam in duas ſpecies diuidatur.

Reſpondetur ſyllogiſmum Dialecticum & demonſtratorium poſſe bifariam conſiderari, primùm ratione ſolùm propoſitionum ex quibus componuntur, deinde ratione omnium quæ eis ſuperaddi oportet, vt vnus generet opinionem, alter verò ſciētiam. Conditiones verò neceſſariò requiſitæ hæ ſunt: vt ſcilicet qui habet ſyllogiſmum demonſtratorium, cognoſcat ſe habere demōſtrationē; eo ſaltē modo, quē 1. lib. cap. 3. expoſuimus. Etenim ſiquis habeat demonſtrationē, & putet ſe habere tātū rationē probabilem, is nō ſcientiā, ſed opinionē habebit. Non aliter ſi alicui ſyllogiſmus probabilis proponatur, ipſe verò exiſtimet demonſtrationem ſibi eſſe propoſitam, non proinde eſt adeptus ſcientiam, nec propriè etiā opinionē; ſed in prauæ diſpoſitionis ignorantiā incidet. Prętereа ſi habet ſyllogiſmū probabilē, & putet ſe nō habere probabilem rationem, ſed leuiſsimam coniecturam, propriè non dicitur opinari, ſed ſuſpicari. Denique ſi occurrat ei aut demōſtratio, aut probabilis ratio, & exiſtimet eſſe argumentum ſophiſticum, nec opinio in ipſo generabitur, neque ſuſpicio: Ergo ut ſyllogiſmus probabilis generet opinionem, non ſufficit illum conſtare enunciationibus probabilibus; ſed illud præterea neceſsū eſt, ut qui eū habet, cognoſcat ſe habere ſyllogiſmum probabilem; vel ſi habeat demonſtratoriū, exiſtimet ſe probabilē habere ratiocinationē. His ita cōſtitutis, reſpōdetur, ſyllogiſmū demōſtratorium & probabilē ſi cōſiderētur primo modo, non differre ſpecie, nec vnum generare ſciētiam, & alium opinionem; vt oſtenſum eſt: ſi verò ſecundo modo, differre quidē ſpecie, & habere diſtinctas proprietates; ſed iā nō diſtingui ſola materia, cū etiā forma diſcriminentur. Forma inquam, non ſyllogiſtica ſemper, ſed cognitione eius qui habet demonſtrationem, quæ profectò cognitio habet ſe tanquā forma reſpectu ſyllogiſmi; vt generare poſsit aut ſcientiam, aut opinionem. Alia ratione poteſt quæſtio ſolui, dicendo Dialecticum, demonſtratoriumque ſyllogiſmum non differre ſpecie. Non enim ſemel accidit, aliqua habere diuerſas proprietates, & nō differre forma, nec propriè ſpecie. Exēpla rem ante oculos ponent. Fixæ ſtellæ non differūt ſpecie, nec à ſe inuicem, nec à cælo Sidereo, alioqui ex illis & cœlo vnum corpus continuum minimè efficeretur: attamen alios effectus ex ſua natura producunt ſtellæ Vergiliæ, alios Canicula, aut Arcturus. Præterea in homine nō eſt niſi vna forma ſubſtantialis, nēpè animus rationis particeps, & ab ipſo, ob variā materiæ qualitatem, ac diſpoſitionē, in vna

Quid exigatur, vt demōſtratio generet ſciētiā.

Nō perpetuò ſyllogiſmus probabilis opinionē efficit.

Quomodo ſyllogiſmus probabilis & demōſtratorius ſpecie differat.

An omnia quæ proprietatibus diſtinguntur, differat iā dē ſpecie.

vna corporis parte manat facultas videndi,in alia audiendi,in alia vegetandi.Item cum vna ſecundum eſſentiam ſpecificam ſit anima humana in viro & fœmina,ex varia corporis diſpoſitione efficitur,ut vir actiuè generare poſsit,fœmina verò concipere: quare variæ ſunt proprietates viri ac fœminæ.Sed hoc loco proprietates voco etiam accidentia quædam inſeparabilia, quæ certam in rebus cauſam habent,ut nigredo corui, &c. ac proinde quoniam frequentiſsima in talibus ſubiectis ſunt,& cauſas(Phyſico ſaltem more)certas habent,in eorum ſpeculatione ſcientiæ verſari poſſunt: Vt docet Ariſt. 1.Prior.cap.10.in Perionio,& 12.in Boëthio.Nam in Philoſophia naturali demonſtratur,quare corui ſint nigri,& cygni albi:quare animalia quædam ſexum habeant fœmineum,& tamen concipere nunquam poſsint, ut mulæ quæ ſuaptenatura ſteriles ſunt; & ſi pariunt aliquando (præterquam quòd id rariſsimum eſt) tanquam monſtruum ab omnibus exiſtimatur. Quæ omnia ideò à me dicta ſint, ut lectori perſuadeam, multa non differre ſpecie, aut forma, quæ tamen diuerſas habent proprietates,aut quaſi proprietates ex illa forma diuerſæ materiæ applicata manantes. Quare nihil improbabile mea ſententia diceret, qui doceret demonſtratorium & probabilem ſyllogiſmum propriè ſpecie non differre;quamuis habeant diuerſas proprietates. Procedunt enim illæ ex eadem forma ſyllogiſtica, diuerſis materijs applicata.Nam ſyllogiſmi forma ex ſua natura habet,ut applicata materiæ contingenti opinionem,& iuncta materiæ neceſſariæ ſcientiam generare poſsit;quamuis actu non generet,niſi alia concurrant. Sicut homo ex ſua natura eſt riſibilis, quamuis ſi prudens ſit,actu non rideat,niſi aliæ cauſæ accedant. Eligat ex his duabus ſolutionibus lector eam, quæ potiùs ei probabitur; ego tamen poſteriorem præfero.

Proprietatis nomen quæ ratione interdum accipiatur.

Probabilis ſanè opinio.

De vtilitate libri. Cap. 2.

CVm doceat hic liber, quonam pacto argumentis probabilibus abundare poſſimus,magna erit eius vtilitas ad diſputationes & colloquia familiaria.Si enim huius generis argumentis inſtructi,veniamus,nihil improbabile aſſeremus. Vtilis eſt quoque ad veritatem in omni ſcientia inquirendam. Propoſitis nanque in vtramque partem quæſtionis probabilibus argumentis, facilè erit veritatem coniectari. Nam prouerbium eſt, *Eum qui dubitat,proximum eſſe veritati:* Item *Eum qui non dubitat, aut omnia ſcire, aut omnia penitus ignorare.* Poſtremò vtilis erit ad principia ſcientiarum explicanda. Cùm enim illa non poſsint demonſtratione Propter quid comprobari, & demonſtratio Quia aliquando ſit inutilis(tum ſcilicet quum effectus non ſunt cauſis notiores) optimum erit argumenta probabilia ſumere, ad ea diſcipulis exponenda. Quemadmodum enim ſeta filum introducit,& illa non coſuit,ſed filum potiùs eſt,quod corium corio firmiſsimè nectit;ſic(abſq; dubio) certiſsima quarundam ſcientiarum principia probabilibus rationibus in tyronum animis infingenda ſunt;poſtea enim & conſuetudine audiendi,& ſenſu, atque experientia ipſa ita ille aſſenſus quaſi altera natura efficietur, ut iam principia ipſa per ſe coprehendant;tametſi intelligant,priores rationes, quibus olim magiſter vtebatur,parum firmitatis habuiſſe. Nam hoc vſus habet, vt lapidei fornices, quibus tota domus ſtructura incumbere debet, minimè erigantur; niſi ſuppoſitis quibuſdam infirmioribus tabulis. At poſtquam ſemel arcus conſtituti ſunt,ligneæ machinæ auferuntur;nec tamen domus fornicibus nixa corruit. Multæ igitur ſunt, & latè manãt huius libri commoditates, ſed cunctæ eò referuntur,ut omnis quæſtio propoſita ex-

Modus tradendi principia ſcientiarum.

Notanda ſimilitudo.

eſt animal rationale? eſſe quæſtionem Quid res ſit, cùm potiùs ſit quæſtio Qualis res ſit, hunc facilè refellemus, tum quia ſecundùm rem quid aliud quærit, qui interrogat, quid ſit homo, quàm ſi roget, vtrum homo ſit animal rationale? tum etiam quia ut docet Ariſtoteles 2. Poſter. quæſtionem Qualis res ſit, è veſtigio ſequitur apud demonſtratorem quæſtio Quamobrem talis ſit; ſed poſt illam quæſtionem, Vtrum homo ſit animal rationale, expeditam, ſtultus iudicaretur à demonſtratore, qui percũctaretur, quare homo ſit animal rationale: Ergo ea quæſtio non eſt Qualis res ſit. Sed his conſtitutis, ampliùs vrget argumentum initio huius diſputationis poſitum. Si hæc quæſtio, Vtrum homo ſit animal rationale, & hæc alia, Vtrum homo ſit animal, ſunt quæſtiones Quid res ſit, & præterea paſsim huiuſmodi quæſtiones in Topicis pertractantur, quomodo ait diuus Thomas, pleraſque Topicas quæſtiones eſſe quæſtiones Qualis res ſit? Reſpondetur, diuum Thomam interpretandum eſſe quoad modum, non ſecundùm rem ipſam; quia ſcilicet vniuerſæ propemodum quæſtiones proponuntur in Topicis, quaſi per enuntiationes tertij adiacentis, ut an homo ſit animal; aut potiùs, an animal ſit hominis genus. Eſt quoque alia huius argumenti ſolutio, quam in ſequenti capite adducemus.

Reſpondetur ad præcipuũ dubium.

Quid ſit Locus, & quotuplex ſit. Cap. 3.

Dicitur aũt præſens diſputatio vtilis ad omnem explicandam quæſtionem, quià indicat locos Dialecticos, ex quibus erui poſſunt argumenta ad omnem quæſtionem abſoluendam. Exponendum eſt igitur, quid ſit locus Dialecticus, & quotuplex ſit. Cumq; locus res continere ſoleat, viri ſcientiarum periti loca argumentorũ ea vocauere, in quibus tanquam in receptaculis omnia probandi inſtrumenta ſunt poſita; ut videlicet Locus, communis quædam nota ſit, cuius admonitu quid in quaque re verum, aut probabile ſit, poſsit idoneis rationibus inueniri. Dixi verum, aut probabile, id eſt, id quod aut certiſsimè verum eſt, aut ſaltem probabile: ne à me ipſo diſſentiam, qui ſupra neceſſarium ſub probabili contineri negaui: & tamen habẽt demonſtratores locos, ex quibus demonſtrationes colligunt: demonſtratio verò neceſſarijs conſtare debet. Sanè diſertiſsimus Pater & magiſter noſter Melchior Cano Canarienſis Epiſc. librum de Locis Theologicis ſcripſit, in quo notauit vnde neceſſariò, undeq; probabiliter argumentetur Theologi. Et Cicero lib. 1. Rhetor. ſeu de Inuent. circa medium ait, omnem argumentationem, quæ ex locis colligitur, aut neceſſariam eſſe, aut probabilem. In Dialectica igitur, quæ ars eſt artium, & omniũ ſcientiarum ductrix, notari oportet locos, ex quibus in omnibus ſcientijs argumentari poſsimus tum demonſtratoriè, tum etiam probabiliter, & (ut aiunt) Dialecticè. Et quidem de locis vnde petuntur demonſtrationes, diximus libro ſuperiore ad finem: nunc de locis tantùm Dialecticis diſſeramus. Eſt autem locus Dialecticus ſedes argumenti Dialectici. Vt definitio Totum, Contrarium, &c. loci ſunt Dialectici, quia ex his colligit Dialecticus argumenta ad res dubias explicandas. Eſt enim argumentum ratio rei dubiæ faciens fidem; vt ſi quis ita argumentetur, Omne animal rationale gaudet virtute, quia eſt rationi conſentanea; ſed omnis homo eſt animal rationale, ergo omnis homo gaudet virtute. Loci aut ad res pertinent, aut ad auctoritatem & teſtimonia. Qui pertinent ad res, alij interni ſunt, alij externi, alij medi. Loci interni ſunt, qui ad rei eſſentiam, aut ſubſtantiam attinent; nẽpe loci à definitione, genere,

De loco vniuersũ.

Quid ſit locus Dialecticus.

Locorũ diuiſio.

genere, differentia, toto, partibus, à concomitantibus ſubſtantiam, &c. Loci externi ſunt omnino extra res, vt ab oppoſitis, à comparatis, à ſimili, & à proportione. Modij verò illi dicuntur, qui partim attingunt rei ſubſtantiam, partim extra ipſam vagãtur, vt à coniugatis, & à caſibus.

Alia diuiſio. Sed quemuis horum in duos diuidunt, ſcilicet in locum Maximam, & locum Differentiam maximæ. Locus Maxima eſt receptiſsimum axioma atque principium, quo multa argumenta nituntur; vt hoc theorema, Cui competit definitio, competit definitum: item & hoc aliud, Poſita cauſa ponitur effectus, Locus Differentia maximè eſt illud, quo vna maxima differt ab alia. Vt duæ ſuperiores Maximæ diſtinguntur, quia una tractat de definitione, alia de cauſa. Ac proinde cauſa & definitio appellantur Loci differentiæ maximæ. Nec miretur lector, quod hanc locorum diuiſionem

Occupatio. ſequar. Non enim me præterit, quàm aliter Cicero in Topicis ad Trebatium locos diuiſerit. Sed cùm in hac re videã quot ſunt capita, tot eſſe ſenſus, nec deeſſe veriſimiles rationes, quibus ſententiam quiſque ſuam tenere poſsit, non multùm fui in tradenda locorum diuiſione ſolicitus: præterquam quod ſentio totam hanc, quæ inter auctores vertitur, controuerſiam, ad nominis quæſtionem deuolui. Eam igitur, quã adduxi, ſectionem elegi, quoniam faciliùs poterit memoriæ commendari. Præterea quoniam dantur quidam loci, qui tametſi diuerſi admodum ſint, à Doctoribus coniungi ſolent. In hoc eos duces ſequemur.

Quæſtiones.

An locus à definitione ſit Dialecticus. QVare inter locos de quibus argumenta probabilia eruuntur numeratus eſt locus à definitione & genere, cũ ex his argumenta neceſſaria & firmisſima ſæpe colligantur? Reſpondetur. Quia tametſi ita ſe res habeat, non tamen agitur de eis in hoc libro, niſi vt ſuppeditant nobis argumenta probabilia, ita videlicet, vt quod probabiliter definitioni tribuitur, definito etiam tribuatur: vt Animal rationale gaudet virtute, ergo homo gaudet uirtute. Reſpondetur ſecundò, quæſtiones generis, & definitionis, atque proprietatis poſſe tractari per voces primæ & ſecundæ notionis. Quæ autem ſint primæ notionis vocabula, & quæ ſecundæ, diximus lib. 2. cap. 1. Tractantur per voces primæ notionis, vt quũ quærimus, Vtrum homo ſit animal. Tractantur per uoces notionis ſecundę, vt quum percontamur, utrũ animal ſit genus hominis. Ex his autem modis ſecundus eſt, qui petiſsimè pertinet ad libros Topicorum. Quod ex eo patet, quia omnia ferè loca, quę ab Ariſtotele traduntur in libris Topicorum, conſtant aliqua uoce ſecundæ notionis. Si autem iſtę quęſtiones proponantur per uoces ſecundę notionis, certè cùm ſint in materia contingenti (nam ſecundæ notiones competunt rebus ex opere intellectus) non poſſunt niſi argumentis probabilibus pertractari. Quia igitur in hoc libro agitur de his vocibus potiſsimùm, quatenus ex eis eruuntur argumenta ad tractandas quæſtiones, quatenus proponuntur per voces ſecundæ notionis, meritò dictum eſt, huiuſmodi locos ſedes eſſe argumentorum probabilium. Atque hęc ſolutio poteſt dubio capitis ſuperioris accommodari; ita ſcilicet, vt dicamus illam quęſtionem eſſe Quid res ſit, ſed ut pertinet ad libros Topicorum, eſſe Qualis res ſit; quia proponitur per voces ſecundæ notionis.

Duo modi proponendi quæſtiones definitionis, ac generis.

Ad argumentum ſupioris capitis quidnam ſit reſpondendum.

De locis à Definitione, Deſcriptione, Etymologia, Differentia, Proprietate, & Polionymis. Cap. 4.

Loci interni alij ſunt, qui totam rei eſſentiam explicant, vt locus à definitione; ali qui licet eam non omnino explicent, ad eam tamen pertinent, vt locus à toto à cauſis, ab ortu & interitu, ab vſu, & ab his quæ communiter accidunt. Locus à definitione eſt connexio definitionis, & rei, quæ ſub definitionem cadit. Locus enim eſt ſedes argumenti: & ex connexione, quam habet definitio ad rem definitam petuntur varia argumenta. Hoc etiam in omnibus ſequentibus locis intelligatur; ita videlicet, vt locus à cauſa ſit connexio cauſæ & effectus; & locus a toto ſit connexio totius ad partes ſuas: ne eadem ſint ſæpiùs repetenda. Diuiſio internorum locorum.

Iam autem locus a definitione quatuor habet maximas, duas aientes, & duas negantes, quibus omnia argumenta definitionis ad definitum ſunt innixa. Prior aiens Cui tribuitur definitio, eidem & definitum, vt Plato eſt animal rationale, ergo Plato eſt homo. Poſterior. Quod definitioni conuenit, competit etiam & definitio, vt Animal rationale ambulat, ergo homo ambulat. Ex negantibus autem vna in hunc modum ſe habet. Cui repugnat definitio, repugnat & definitum, ut Leo non eſt animal rationale, ergo leo non eſt homo. Altera eſt huiuſmodi. Quod repugnat definitioni, repugnat & definito, vt Animal rationale non indiget alijs, ergo homo non indiget alijs. Qnanquam autem liber hic de Syllogiſmo Probabili nuncupetur, nemini mirum videatur, ſi præceptiones, quas tradimns, exemplis interdum neceſſarijs illuſtremus: id enim facimus, quia & apertiora ſunt, & vſui accommodatiora. Maximæ huius loci

Locus à deſcriptione eadem norma definiendus eſt, & eaſdem maximas habet. Nam cui competit deſcripto, competit & deſcriptum, vt Plato eſt animal riſus particeps, ergo Plato eſt homo, &c. Locus ab Ethymologia, id eſt à definitione nominis eodem modo definiendus eſt, & eaſdem maximas habet, quando nominis ethymologia valde cũ re ipſa conuenit. Vt de natura diſputat, ergo eſt Phyſicus. Phyſis enim naturam ſignificat. Quando verò ethymologia eſt remotiſsima, argumentum ab ea ſumptum parum firmitudinis habet. Non enim ſequitur. Lædit pedem, ergo eſt lapis Tametſi hoc exemplum durius fortaſsè videbitur; ſed teneamus, & luſiſſe putemur, ſi nil ſit. Ad hos locos reducuntnr alij tres, qui codẽ modo definiendi ſunt, & eaſdem maximas habent: ſcilicet locus à differentia eſſentiali, vt Petrus eſt rationalis, ergo Petrus eſt homo. Et hic ad locum à definitione eſſentiali refertur. Item a proprietate, qui reducitur ad locum a deſcriptione, a Polyonymis, quæ ab alijs Synonyma appellantur: reduciturque ad locum a diffinitione nominis: ut ſi quis ita argumẽtetur Tullius docet, ergo Cicero docet. Locus à deſcriptione. Nota de Ethymologia, quas uires habent.

Sub iſtis ſex locis latent alij ſex. Primus eſt a definitio ad definitionem, vt lapis non eſt homo; ergo lapis non eſt animal rationale. Secũdus a re deſcripta ad deſcriptonẽ. Tertius, a re cuius eſt etymologia ad etymologiam ipſam; & ita de reliquis. Habentq; hi loci tot maximas, quot præcedentes. Alia loca ſub ſupioribus comprehenſa.

Difficultates.

An quicquid definitioni tribuitur, definitio ſit etiam tribuendum.

QVamuis pleræque huius capitis dubitationes tractatæ ſint, iam lib. 1. cap. 8. & li. 2. cap. 6. & 7. placuit tamen has ſupperaddere. Prima eſt. Aliquid competit animali rationali, quod non quadrat in hominem; ergo prior maxima nõ eſt vera. Probatur antecedens. Nam animal rationale eſt definitio, & homo nõ eſt definitio. Reſpondetur, maximam non eſſe intelligendam in his quæ ad ſecundas pertinent notiones. Sicut enim non ſequitur, Homo eſt prædicatum ſimplex, ergo animal rationale eſt prædicatum ſimplex; quia eſſe prædicatum ſimplex pertinet ad ſecundas notiones, ita non bene infertur, Animal rationale eſt definitio, ergo homo eſt definitio; quia eſſe definitionem in ſecundis notionibus eſt ponendum.

An ſemp. definitio cõueniat, cui definitum cõuenit.

Alia difficultas. Hæc argumentatio nihil probat, Eſſentia Diuina eſt pater, ergo eſſentia Diuina eſt generans filium: ergo a definito ad definitionem non valet argumentum. Conſecutio eſt manifeſta. Quia definitio patris (eo modo, quo definiri à nobis poteſt) eſt eſſe generans, aut habens filium. Probatur antecedens. Quia eſſentia Diuina non generat; ut docent Theologi 1. part. quæſt. 39. ar. 5. hoc argumentum ideò proponere libuit, ne arbitrentur Dialectici fidem noſtram Logicæ repugnare. Reſpondendum eſt ergo, à definitione ad definitum, & è contrario ſemper valere argumentum, niſi quum definitio proponitur ad modum adiectiui nominis; & definitum ſubſtantiui. Equidem hanc cauſam Theologi reddunt, cùm etiã Dialectici eam reddere debuiſſent. Sed iam noſtra ætate quicquid Dialectici non intelligunt, appellant Sophiſma: tametſi Dialecticæ ſit fundamentum.

De numeris.

Verùm his prætermiſsis, vt ea quæ diximus, planiora fiant, propono tertiam difficultatem. Nam verè dici poteſt, tres eſſe perſonas habentes deitatem, cùm omninò falſum ſit, eſſe tres Deos: Ergo aliquo dicitur definitio, de quo non dicitur definitum. Et quidem propoſitio & aſſumptio ex diuo Thoma 1. parte quæſt. 39. artic. 3. ad 1. deſumuntur. Conſequentia verò ita probatur. Nam definitio Dei (ſaltem nominis) eſt habens deitatem. Reſpondetur, negandam eſſe conſequentiam. Nos enim minimè diximus, de quocunque definitio cum alicuius numeri adiectione prædicatur, poſſe etiam definitum ſub eodem numero ei tribui: ſed de quocunque dicitur definitio, poſſe definitum efferri, atque enuntiari. Argumentum autem oſtendit prius eſſe falſum, non poſterius. Nam in diuinis de quocunque dicitur res habens deitatem, dicitur Deus, licet non in eodem numero. Nam habens deitatem, poteſt dici in plurali, & Deus non: cuius hæc eſt ratio.

Adiectiui, ſubſtantiuiq; diſcrimẽ Theologicum.

Eſt latum diſcrimen inter nomina adiectiua & ſubſtantiua, quòd nomen adiectiuum vt prædicari queat in plurali numero, ſat ſit ſuppoſita, ſeu indiuidua, de quibus prædicatur, eſſe plura. Vt ſi in duobus hominibus eſſet unica albedo, nihilominus dicerentur duo albi. At nomina ſubſtantiua, vt dicantur in numero plurali, requiritur ſuppoſita eſſe plura; & præterea eſſe plures formas, quæ per talia nomina ſignificantur. Vt Ariſtoteles & Plato ſunt duo homines, non ſolùm quia ſunt duo indiuidua, ſed quia duplex eſt in ipſis humanitas. Nam ſi vnicã tantùm naturam humanam haberent, eſſent vnus homo. Ex quibus perſpicuum fit, quare habens diuinitatem poſsit prædicari in numero plurali, & hoc nomen Deus tantùm in numero ſingulari efferatur de tribus perſonis, in quibus una tantũ eſt deitas; quia illud prædicatum eſt adiectiuum, hoc ſubſtãtiuũ. Cõſule, obſecro, diuũ Thomã 1. par. quæſ. 36. artic. 4. & quæſ. 39. artic. 3. & 3. parte quæſ. 3. art.

art.6.& 7.Caietanumq; in eiſdem locis,inſuper & Ferrarienſem 4.Contra gent.cap. 11.ab his enim Patribus omnia ſum mutuatus. Nihilominus præterea id à me accipe; quum dixi,nomina ſubſtantiua non prædicari in numero plurali,niſi ſuppoſita ſint plura,& formæ etiam ſignificatæ plures, id intelligendum eſſe, quando nomina ſubſtantiua ſunt concreta,ut Deus,homo,& leo:nam abſtracta, vt ſcientia & virtus, poſſunt dici in numero plurali, etiamſi ſuppoſita non ſint plura: dummodo formæ ſint plures. Vt ſi in me eſſent tres ſcientiæ, illis deſignatis, iure dici poſſet. Ecce tres ſcientias.

Aliorum reſponſio.
De nominibus adiectiuis.

Quarta difficultas. Ariſtoteles 1.Topi.cap.3. reducit locum differentiæ ad locũ generis, quomodo ergo nos reducimus illud ad locum definitionis? Reſpondetur. Quia nos loquimur de differentia vltima, quæ ita eſt rei propria, vt nullam in aliam rem transferri poſſit; vt rationale reſpectu hominis. Ariſtoteles verò agebat de differentia communiore,ut ſi ſenſibile cum homine conferatur. Aut dic aliter: differentiam aliquando comparari cum eo,de quo primò ac per ſe effertur,vt ſenſibile reſpectu animalis. Qua ratione pertinet ad locum definitionis, quia eiſdem maximis conſtat. Aliquando verò conferri cum inferioribus eius,de quo primò & per ſe dicitur,vt ſenſibile cum homine & bruto. Sub qua conſideratione pertinet ad locum generis,ſeu totius vniuerſi,de quo ſtatim diſſeremus. Sit igitur iam huius loci finis. Sed lege præterea cap.11.libri ſequentis.

Locus à differentia an fuerit in loco definitionis tractãdus.

De loco à toto vniuerſo & integro. Cap. 5.

A Toto etiam ad partes argumenta colligi ſolent,potiſsimùm verò ex toto vniuerſo. Et licet ex varijs vniuerſis ſolùm genus,ſpecies, ac differentia ad loca interna pertinere videantur: nos tamen breuitatis gratia accipimus vniuerſum nũc ut libro ſecundo:poſtquam eaſdem leges in argumentando ſeruare debemus in omni genere vniuerſi,quatenus vniuerſum eſt. Sed hoc totum vniuerſum aut abſque nota vniuerſitatis accipitur,ut quum dico, Animal ſentit; aut cum nota vniuerſitatis, ut Omne Animal ſentit. Dicamus primùm de toto vniuerſo abſque nota vniuerſitatis.

Qua ratione vniuerſum accipiatur.

Locus à toto vniuerſo ita accepto, nihil valet ad quidpiam de aliqua certa parte probandum,aut refellendum: id eſt, ab eo non poſſumus argumentari affirmatiuè, aut negatiuè. Non enim ſequitur,Animal currit, ergo homo currit:nam quieſcentibus cunctis hominibus,ſi currat Leo, verè dicetur, Animal currit: non autem Homo currit. Item non ſequitur, Animal non currit, ergo homo non currit. Currentibus enim omnibus hominibus, ſi vnus Leo non currat, eſt vera enunciatio, Animal non currit, quia eſt indefinita; & idem ualet atque particularis: ſcilicet Aliquod animal non currit: & falſa eſt hæc, Homo non currit. Ad omnes tamen partes disiunctim argumentari poſſumus,probando & refellendo; ut Animal mouetur,ergo homo aut brutum mouetur.Similiter Nigrum eſt,ergo vel eſt coruus,vel ebenum,&c. ſi omnia nigri inferiora numerari poſſent. Item Animal non currit,ergo homo aut brutum non currit; quicquid alij ſentiant.Itaq; qñ procedimus à toto vniuerſo abſque nota vniuerſitatis ad eius partes,nullũ eſt diſcrimẽ inter argumentũ aiẽs & negãt.Huic loco cõiũctus eſt alius,à partib. ad totũ vniuerſũ abſque nota vniuerſitatis.Enimuero à qualibet parte per ſe,vel ab oĩb. ſimul efficax ducit argumẽtũ, ad aſſerẽdũ aut negãdũ aliq̃d de toto,vt Hõ nõ currit,ergo animal nõ curritéq; Hõ

De loco à toto uniuerſo indefinitè ſumpto.

A partib. ad totũ indefinitè.

P currit,

currit,ergo animal currit;quia hmôi enũtiationes ſũt indefinitæ,particularibusq́; ex æquo reſpondent. Sed quòd attinet ad negatiuam argumentationem,intelligendũ eſt id quod diximus; ſi pars illa exiſtat: alioqui mala erit argumentatio. Nam ſi omnia quæ ſunt animalia,alba ſint,ſed nullus exiſtat in rerum natura leo,eſt vera hęc enuntiatio, Leo non eſt albus; & falſa hæc,Animal non eſt album,quia eius contradicens eſt vera, Omne animal eſt album.

A toto vniuerſo vniuerſim ſumpto.

A partib. ad totũ in vniuerſũ acceptum.

A toto vniuerſo cum nota vniuerſitatis licet argumentari ad eius partes affirmatiuè,aut negatiuè;ſiue ſingulæ partes accipiantur,ſiue oẽs:vt Omne animal currit:ergo oĩs homo currit: itemq́; Nullum animal currit,ergo nullus homo currit. Nunquam enim antecedens verum & conſequens falſum in huiuſmodi argumentis reperietur. At verò à partibus ad totum vniuerſum cum nota vniuerſitatis inutile eſt argumẽtum aiens,aut negans,niſi omnes partes numerentur,in aiente quidem coniunctim, in negante diſiunctim: vt Omnis homo eſt rationalis, ergo omne animal eſt rationale. Itemq́; Nullus homo eſt quadrupes,ergo nullum animal eſt quadrupes. Hæc autẽ optima ſunt,Nullus homo,aut brutum e[ſt],quod omnibus ſenſibus careat; ergo nullum animal eſt inſenſibile. Similiter Omnis homo,omneq́; brutum tactu præditum eſt,ergo omne animal habet tactum.

A toto integro ad eius partes.

Sequitur ut de toto integro differamus, ut intelligatur quomodo ex ipſo argumenta depromi queant. Igitur ab illo ad eius partes aut ſimul,aut diuiſim acceptas,optimum eſt argumentum aiens;vt Domus eſt,ergo parietes ſunt &fundamẽtum, ac tectum eſt. Negatiuè autem nõn bene argumentabimur ab ipſo ad aliquam partem certam ac definitam. Non ſequitur, Domus non eſt, ergo parietes nõ ſunt. Valebit tamen argumentum ad omnes partes diuiſim, vt Domus non eſt; ergo vel parietes non ſunt,aut tectum non eſt, uel fundamentum non extat. Ex quo intelligitur enuntiationem diſiunctam, cuius omnes partes ſunt veræ, eſſe veram: ut docuimus quum de ſyllogiſmo Hypothetico ageremus. Ac nunc denuò ita probatur: In medio mari verum eſt domum non eſſe,ergo verum etiam erit,vel ibi tectum nõ eſſe; vel deeſſe parietes,aut fundamentum: cuius profectò argumentationis conſequens eſt enuntiatio diſiuncta,cuius omnes partes ſunt veræ. Qui igitur ſentiunt, enuntiationem diſiunctam,cuius omnes partes veræ comprobantur,falſam eſſe;hũc locum,in quo verſamur, è veterum monumentis ſibi delendum intelligant.

De enũtiatione diſiũcta.

A partib. ad totũ integrũ quo modo ſit progrediendum.

Sed quum à partibus ad totum integrum ratiocinari cupimus, has leges ſeruemus. Prima,ne argumentemur ab vna parte ad totum affirmatiuè: vt Fundamentum eſt,ergo domus eſt; ſed coniungamus priùs omnes partes. Nam optimè ſequitur,Fundamentum,parietes,& tectum bene ſibi coaptata ſunt,ergo domus eſt. Secunda,ab omnium,aut vnius etiam partis negatione totum ipſum infirmare, ac deſtruere debemus; vt Parietes non ſunt ergo domus non eſt. Intelligitur autem hæc præceptio, ſi pars illa ad totius conſtitutionem neceſſaria ſit: alioqui non probè argumentaremur, Hoc ædificium non conſtat trabibus, ergo non eſt domus.

Non deſunt auctores,qui his locis nectant alios quatuor, à toto in quantitate, à toto in locoà, toto in tempore, & à toto in modo. Sed totum in quantitate nihil differt à toto vniuerſo cum nota vniuerſitatis,de quo iam egimus. Præterea totum in tempore eſt ipſum tempus,cum nota vniuerſitatis. Perinde enim eſt dicere, Semper ſunt leones,ergo modò ſunt leones: ac dicere, Omni tempore ſunt leones, igitur hoc tempore ſunt leones. Porrò totum in loco, eſt locus cum nota vniuerſitatis. Nullum enim diſcrimen eſt inter has argumentationes, Vbique eſt Deus, ergo

hic

hic eſt Deus. Item, In omni loco eſt Deus, ergo hic etiam eſt. Quare nihil amplius circa huiuſmodi loca dicendum occurrit, præterea quæ de toto vniuerſo cum nota vniuerſitatis antea ſcripſimus. At verò totum in modo eſt, totum vniuerſum reſpectu ſuarum partium, quæ quibuſdam accidentibus coarctantur, ac (vt ita dixerim) modificantur; vt homo reſpectu hominis albi. Hoc verò totum duob. modis accipi ſolet, aut cum nota vniuerſitatis, aut abſque illa: id eſt, aut vniuerſim, aut indefinitè. Et quidem qua ratione poſsimus ab hoc loco argumenta depromere, his præceptionibus explicatur. Prima, à toto ad aliquam partem determinatè non licet argumentari probando, aut refellendo: vt non ſequitur, Homo ambulat, ergo homo albus ambulat. Item mala eſt argumentatio, Homo nō ambulat, ergo homo albus non ambulat; quia antecedens æquipollet particulari. Altera præceptio. A toto vniuerſo ad omnes partes diſiunctim ſumptas poſſumus affirmatiuè, aut negatiuè ratiocinari, vt Homo ambulat: ergo homo albus, aut ater, aut medio colore affectus ambulat. Idem patet in negante argumentatione. Tertia, à parte ad totum efficax ducitur argumentum affirmatiuè; vt Homo albus ambulat, ergo homo ambulat: negatiuè nequaquam: ut non ſequitur, Homo ater non ambulat, ergo homo non ambulat. Si enim in mundo tantùm ſint homines albi, & omnes ambulent, verum eſt antecedens, & falſum conſequens. Si tamen illa pars exiſtat in rerum natura, tolerari poterit argumentum: vt Aliquis homo eſt albus, & ille non ambulat, ergo homo non ambulat. Quarta præceptio. Ab omnibus partibus diſiunctim acceptis ad totum in modo valet argumentum negatiuè: ut Aliquis homo albus, vel niger, aut medio colore affectus non ambulat, ergo homo non ambulat. De his igitur hactenus.

De toto in modo.

Quum autem adhibita vniuerſitatis nota diſputamus, hæc erunt aſſertiones memorię commendandæ. Prima. Non ſatis conſtat argumentum à toto ad aliquam partem certam affirmatiuè, ut Omnis homo ambulat, ergo homo albus ambulat. Quia ſi omnes homines ſint nigri, antecedens poterit eſſe verum, & conſequens falſum. Cæterùm ſi ea pars in rerum natura exiſtat, optimum erit argumentum. Altera. Ad omnes partes diſiunctim argumentum rectè ex hoc loco procedit affirmatiuè, ſiue cunctæ exiſtant, ſiue aliquę earum perierint: vt mortuis omnibus Aethiopibus, eſt bona argumentatio. Omnis homo ambulat, ergo candidus homo, uel niger, &c. ambulat. Tertia. Negatiuè bene argumentamur à toto ad quamuis partem, etiam certam, tametſi illa nōn exiſtat. Quarta. A partibus uerò ad totum nec affirmatiuè, nec negatiuè bene argumentamur; niſi omnes partes ritè numerentur: ut Nullus homo currit, ergo nullus homo albus currit. Sed prorſus cauendum eſt ne in fallaciam, quæ à dicto ſecūdùm quid ad dictum ſimpliciter nominatur incidamus: idq; maximè quum à partibus ad totum procedimus. Vt ſi dicamus, Omnis homo albus currit, ergo omnis homo albus ſecundùm dentes currit. Itemq; Nullus homo albus dentibus currit, ergo nullus homo currit. Hæc itaque præſcripta ſeruanti, licebit grauiter & abſque errore à toto ad partes, & à partibus ad totum argumentari.

De eodem toto vniuerſim poſito.

Huius capitis quæſtiones.

An omne uniuerſale ad hunc locum pertineat.

PRima. Nunc agimus de locis internis, quomodo ergo diximus, accipi totum uniuerſum ut comprehendit ſuo ambitu quinque uoces Porphyrij? Nam locus

ab accidente non poteſt eſſe locus internus. Reſpondet quidam, duobus modis aliquid dici internum: primùm quia pertinet ad rei eſſentiam, ut anima ad eſſentiam hominis; vel ſaltem ad eius ſubſtantiam, ut auris, quæ pars eſt humanæ ſubſtantiæ: ſecundò quia licet ad neutrum horum pertineat, eſt tamen accidens in re ipſa exiſtēs. Quomodo in Categoria Quantitatis dicitur ab auctoribus lineam, ſuperficiem, ac corpus menſurare internè; locum uerò & tempus externè. Reſpondent igitur, locū à toto uniuerſo (quod eſt quintum prædicabile) uocari internum, aliqñ primo, interdum verò ſecundo modo. Facilè tamen hæc ſolutio refelletur, quia ſaltem locus à toto in tempore, & à toto in loco non debuerunt inter locos internos enumerari, quippe cum locus & tempus non ſint interna nec primo, nec ſecundo modo: menſurant enim externè. Quare aliter reſpondendum eſt, non omnes hos locos eſſe internos reuera, ſed vnà cum internis de ipſis diſputari; quia eodem modo petuntur argumenta ex eis, atque à toto vniuerſo, quòd ad rei ſubſtantiam pertinet. Quemadmodum etiam in capite ſequenti de cauſa efficiēte agemus, & fine; non quod loci interni ſint, ſed ut omnes cauſas ſub vno loco comprehendamus. Similiterq; in Categoria relatorum agitur de relatis ſecundùm dici, cùm alioquin in ea Categoria minimè collocentur: & in hoc libro cap. 4. ſequuti morem grauiſsimorum virorum, egimus de loco à proprietate, cùm tamen proprietas non explicet rei eſſentiam.

Solutio ꝓpria.

An à toto indefinitè ſumpto argumētum negans valeat ad quamuis partem deſtruēdam.

Altera difficultas. Quomodo dictum eſt, à toto vniuerſo abſque nota vniuerſitatis non duci efficax argumentum negans ad aliquam certam partem eius, cùm hoc ſit optimum argumentum, Hæc res non eſt animal, ergo nō eſt homo; & in eo animal ſumatur abſque nota vniuerſitatis? Reſpondetur, optimum ſanè eſſe argumentum, ſed in antecedente ſumi animal cum nota vniuerſitatis, quia ante animal ponitur negatio, & æquiualet huic propoſitioni, Hæc res nullum animal eſt. De his lege cap. 6. lib. 4.

De toto & parte in modo.

Tertia. Dictum eſt hanc conſequentiam non valere, Omne animal currit, ergo omnis homo albus currit; quia etiam ſi antecedens eſſet uerum, nullo tamen homine albo exiſtente, conſequens eſſet falſum: quod à ueritate alienum uidetur. Nam hic ſyllogiſmus eſt optimus, Omne animal currit, omnis homo albus eſt animal, ergo omnis homo albus currit. Sed etiam nullo homine exiſtente albo, maior eſt uera, & (ut docuimus lib. 4. cap. 13.) minor quoque eſt uera in eodem euentu: ergo etiā concluſio eſt uera. Quare ſi concludamus omne animal currere, protinus concedere oportet omnem hominem album currere; tametſi nullus homo albedine præditus inueniatur. Reſpondemus, illum ſyllogiſmum non eſſe bonum, quamuis in Barbara eſſe videatur, quia aliqua uox in eo continetur Homonyma. Nam in maiori (ſcilicet Omne animal currit, quæ reſoluitur in hanc, Omne animal eſt currens) verbum Eſt neceſſariò dicit exiſtentiam, quia non poteſt animal currere, niſi exiſtat: at in minori dicit ſolam eſſentiam, ut conſtat: ergo ea Hypotheſi data ille ſyllogiſmus, non eſt bonus. Alia dubia poterunt ex cap. 9. 1. lib. in hunc locum transferri.

De loco à cauſa. Cap. 4.

Locus à materia.

TErtiò ſequitur locus à cā. Quid aūt ſit cā, & qua rōne diuidatur, diximus li. j. c. 8. Cumq; quatuor ſint cauſarū genera, nēpe Materia, Forma, Efficiēs, & Finis, ſingula perſequēda ſunt. Initio igit̄ cōſentaneū eſt explicare, quonā pacto ex materia pro-

batio-

bationes colligantur. Rt quidē triplex eſt materia. ¶ ex qua aliq d fit, ut ex farina panis; & circa quam aliqua potentia ſeu habitus verſatur, ut circa colores viſus, & numerum Arithmetica; deniq; materia in qua, id eſt ſubiectum, in quo forma recipitur, vt corpus animæ, & homo cādoris, Rurſum materia ex qua alia eſt, quæ permanet in effectu, ut ferrū in enſe; alia quæ non permanet, ut farina in pane. Sit igitur prima aſſertio. A materia q̄ pmanet in effectu ad effectū ipſum bene argumētamur refelēdo, nō tamen probādo; ut ferrū nō eſt, ergo enſis nō eſt. Nō tamē ſequitur, Ferrum eſt, ergo enſis eſt. Ab effectu verò ad ipſam ducitur efficax argumētū aiēs, nō itē negās: vt Enſis eſt, ergo ferrum eſt. Non tamen ſequitur, Enſis non eſt, ergo ferrum non eſt. Secunda aſſertio. A materia quæ non permanet haud bene argumentamur ad effectum, neque ab effectu ad ipſam. Omnia enim hęc argumenta nulla ſunt, Farina eſt, ergo panis eſt: Farina nō eſt, ergo panis non eſt. Item Panis eſt, ergo farina eſt; Panis non eſt, ergo farina non eſt. Cæterum ab effectu præſen ti, aut præterito ad materiam pręteritam bene argumentamur: ut Panis fuit, ergo farina fuit: item panis eſt, ergo farina fuit.

Locus à materia, quæ permanet in effectu.

Locus à materia, quæ non permanet.

Ex materia inſuper circa quam multa argumenta deſumuntur, à Moralibus præſertim Piloſophis, qui tamen has ſolent præceptiones amplecti. Prima. Cuius obiectum bonum eſt, ipſum bonum eſt: cuius verò obiectum eſt malum, ipſum eſt malū: vt Temperantię obiectum bonum eſt, ergo bona eſt temperantia. Item, Inurbanitatis obiectum malem eſt, ergo ipſa non eſt bona. Et quidem in Moralibus habitibus certus eſt canon, in actibus nequaquam. Datur enim actus, cuius obiectum bonum eſt, & ipſe eſt malus ex circunſtantia, ut pauperibus in Xenodochio ob inanem gloriam miniſtrare. Secunda pręceptio. Inter virtutes illa eſt præſtantior, cuius obiectū eſt præſtantius, vt Virtutes Theologicæ præſtantius obiectum habent, quā Cardinales; ergo ſunt præſtantiores. Inter vitia quoque illa peiora ſunt, quæ peius obiectū reſpiciunt, ut Deteſtabilior eſt hæreſis gula. Similiter in ſcientijs illa eſt præſtātior, q̄ habet nobilius obiectum; illa accuratior, cuius materia eſt ſimplicior: vt habes 1. Poſterior. capit. 23. Denique hic locus inſeruit Theologis in voti, iuramentique tractatione. Votum enim, aut iuramentum, cuius obiectum malum eſt, aut indifferens, neminem tenet deuinctum: vt quum Rex Iſraelis (4. Regum capite 6.) iurauit ſe caput Eliſæi amputaturum.

Locus à materia circa quā aliquid uerſatur.

Materia demum in qua; vel ſubiectum, duplex eſt, alia cui ſemper conuenit illa forma, uec poteſt extra ipſam inueniri, vt in homine ſemper eſt riſibilitas. Et ab hac materia petuntur argumenta, ſicut à ſubiecto proprietatis ad proprietatem ipſam. De quo argumenti genere iam 4. capite diximus. Alia eſt, cui forma conuenire poteſt, & non conuenire; ut homo reſpectu albedinis. Et ab hac materia quonam pacto argumenta petantur, non occurrit certa aliqua regula.

Locus à materia in qua.

Secundo de forma eſt differendum. A forma autem ad effectum, & ab effectu ad formam rectè probamus quæ volumus, & refellimus alia: ut Albedo eſt, ergo album eſt; Albedo non eſt, ergo album non eſt. Sola anima rationalis eſt, quæ hanc regulam ſuæ naturæ viribus efficit falſum. Ex ea enim ad effectum non ducitur efficax argumentum aiens, ſed tantùm negans: vt non ſequitur, Anima rationalis eſt, ergo homo eſt. Anima enim Ariſtotelis eſt, & nunc Ariſtoteles non eſt, neque porrò erit, vſq; ad extremum iudicij diem. Rurſum ab effectu ad animam rationalem firmū ſumitur argumentum aiens, nō equidē negās. Bene enim ſequitur, Homo eſt, ergo anima rationalis

Locus à forma.

tionalis eſt. Non autem ualet, Homo non eſt, ergo anima rationalis non eſt. Licet enim animus rationalis minimè exiſtat, priuſquam humano corpori infundatur (niſi uelimus Pythagoræorum Metempſychoſim: id eſt ex uno corpore in aliud tranſmigrationem ab inferis ſuſcitare) permanet tamen vi ſuæ naturæ, etiam pereunte corpore.

Triplex cauſæ efficientis genus.

At cauſa efficiens triplex eſt, prima, qua poſita, continuò ponitur effectus; & qua ſublata, aufertur; vt efficax Dei uoluntas, cui reſiſti non poteſt. Si enim Deus vult efficaciter nunc eſſe roſas, certè nunc roſæ exiſtent: & ſi efficaciter vult nunc non eſſe, non erunt proculdubio. De rebus naturalibus ago: nam ea quæ hominum libero arbitrio fiunt, quo pacto ex Diuina pendeant aut uoluntate, aut permiſſione, Theologorum eſt explicare. Altera, qua poſita, effectus ponitur, ſed ea non exiſtente poteſt etiam effectus eſſe; vt iugulatione peracta, neceſſariò ſequitur mors; at etiam abſque iugulatione accidit frequenter interitus. Tertia eſt, qua non exiſtente effectus nõ erit, ſed ea poſita non neceſſum eſt effectum conſequi; ut uirtus Solis reſpectu murium in naui. Sine uirtute enim Solis, nunquam erunt mures: poſita nihilominus urtute Solis non ſtatim erũt mures, ſi deſit materia ex qua generentur Prior poteſt uocari certa cauſa affirmationis & negationis; ſecunda ſoliùs affirmationis certa; tertia denique negationis tantùm certa. Quibus ſemel comprehenſis, hic aſſertionibus argumentandi ratio expedietur. Prima. A cauſa primi generis ad effectum ſumitur ualidum argumentum aiens, aut negãs; & ab effectu ad cauſam ſimiliter: ut Deus vult roſas eſſe, ergo ſunt roſæ: nõ vult eſſe, ergo nõ ſunt. Itẽ ſunt, ergo Deus vult eſſe; nõ ſunt, ergo Deus non vult eſſe. Secunda aſſertio. A cauſa ſecundi generis ad effectum eſt efficax argumentum aiens, non tamen negans, ut patet. Tertia. Ab effectu ad cauſam ſecundi generis licet argumentari negatiuè, non affirmatiuè: ut Non interijt, ergo non eſt iugulatus. Non tamen ſi interijt, illico ſequitur illum iugulatum fuiſſe. Quarta. A negatione cauſæ efficientis tertij generis optimè colligitur negatio effectus; non tamen ex affirmatione illius ſequitur huius etiam affirmatio: verùm ex parte effectus contra ſe res habet. Nam qui effectũ cõcedit, cauſam affirmat; quamuis poſsit effectus negari, nec ſubinde negari cauſa. Hæc apertiora ſunt, quam ut exempla deſiderent.

Quomodo ab efficienti cauſa argumẽtari poſsimus.

Locus à Fine.

A fine denique ſæpe argumentamur ad media comprobanda in omnibus artibus. Talia enim debẽt eſſe media, qualia poſtulat finis, in quem deſtinãtur. Vt quia dentes anteriores dati ſunt ad ſcindẽdum cibum, acuti eſſe debent, tametſi molares ſint obtuſi: & aliter domus ædificanda eſt ad voluptatem, aliter ad reſiſtendum inimicis: quia aliud eſt otium atque uoluptas, aliud negotium & conflictus. Sed profectò in Morali Philoſophia, non modica eſt de fine ſpeculatio. Quare in ea hæ regulę poterunt obſeruari. Prima. Omnis actus cuius finis eſt uitioſus, ipſe quoq; eſt malus; ſaltem quatenus ab agente procedit: ut ieiunat propter cenodoxiam, ergo malè agit. Secunda regula. Non omnis actus qui in bonum finem dirigitur, eſt bonus; quia præter finẽ multæ aliæ circumſtantię deſiderantur, ut actus aliquis bonus iudicetur, nempe ut fiat vbi oportet, quando oportet, ac qua ratione oportet. Siquidem bonum ex integra cauſa conſurgit, malum ex ſingulis defectibus; & ad collineandum una tantùm eſt uia, ad aberrandum à ſcopo multæ.

Ob-

Obſeruatio.

CIrca genera cauſarum,& earum cum effectis connexionem,varia dubia proponũtur ab auctoribus 2. Phyſic.Igitur eo in loco requirantur. Præterea de materia circa quam, id eſt,de ſcientiarum obiecto, multas,ac graues admodum quæſtiones proponit ingenioſiſsimus Caietanus 1.Poſterior.cap.22.

De loco ab Ortu & Interitu, ab Vſu,atque ab his quæ communiter accidunt.
Cap. 7.

PRoximus eſt locus ab Ortu & Interitu,deinde à communiter accidentibus. Ab ortu quidem & interitu, his obſeruatis ſententijs, argumēta ſumuntur. Res enim quam bonum eſt oriri, bona eſt; quam malum,mala. Vt Mercatori malum eſt mures in domo naſci,ergo mures ei mali ſunt. Præterea rem quam interire bonũ eſt, malum erat permanere;ſicut eam quam malum eſt perire, bonum erat permanere:vt Bonum eſt perire latrones, ergo malum eſt eos viuere: Malum eſt pios homines interficere,ergo bonum eſt eos ſeruare. Ab uſu quoque argumentamur, & id cuius vſus bonus eſt,colligimus eſſe bonum,cuius verò uſus malus eſt; colligimus eſſe malum. Vt Mala eſt ars Magica, quia eius vſus malus eſt. Prouidendum eſt tamē ne abuſus pro uſu accipiatur. Praui enim homines malè utuntur ſacris literis,quæ tamen optimę ſunt. Vltimus locus eſt à communiter accidentibus, id eſt, ab his quæ ferè ſemper inter ſe coniunguntur,vt in quibuſdā arboribus florere, & fructus emittere. In quibus ſi argumentemur à priori ad poſterius non ita eſt certum argumentum aiens,bene autem negans.Non ſequitur,Floruit,ergo fructus producet:tametſi in huiuſmodi arboribus optimè colligatur, Non floruit;ergo non producet fructus. A poſteriori autem ad prius,ſi argumenum eſt aiens,recipi debet; ſi negans,repudiari. Optimè ſequitur,Producit fructus,ergo floruit:non tamen ſequitur,Non producit fructus,ergo non floruit.Locos,de quibus in hoc capite egi,libentiùs ego medios, quàm internos,dicerem. Sed nolo in re parui momenti lectorem detinere. Vnum tamen verbum ſubijciam,nempe locum,quē Rhetores ab adiunctis vocant,ſub iſto cōprehendi: quamuis ex illo rarò admodum neceſſariò argumentemur; niſi ea quæ a nobis in hoc loco dicta ſunt, obſeruentur. Alioqui tantùm vulgarem & forenſem coniecturam præſtabit.

Ortus, & Interitus.

Vſus.

Communiter accidentia.

Adiuncta

Dubia huius capitis.

PRimum.Mors iuſtorum bona eſt,cùm ab ipſimet,tāquam res optimā, ſæpe deſideretur;ſed vita eorũ nō eſt mala:ergo nō omne id,cuius interitus bonus eſt, debet quaſi malũ haberi.Reſpōdetur,in morte hominis iuſti duo inneniri, alterũ cōuenit morti,quatenus mors eſt,nēpe vita priuare,deſtruereq́; ſuppoſitũ;& hoc quidē malum eſt;alterum eſt,è maximis eum periculis,anguſtijsq́;eripere;ac(ſi omni debito

A perpetuò cuius interitus bonus eſt, vita ſit mala.

liber egrediatur)ſtatim ſummæ Beatitudinis compotem reddere.Itaque mors iuſtorum eſt mala quoad primum,ac ſubinde illorum vita erat bona;quoad ſecũdum autem mors eſt bona. Dices.Ergo vita erat mala,ſaltem quoad ſecundum. Reſpondetur,malũ nihil aliud eſſe, quàm boni priuationem. Quare non videtur abſurdum concedere, vitam eſſe malam;non tamen malam,id eſt uitioſam, ac prauam.Item dico, aliquando appellari malum id,quod re uera bonum eſt,comparatione melioris boni. Hac enim ſignificatione loquebatur Deus, quũ ſe dediſſe Hebræis præcepta non bona (Ezech.20.) aiebat. Conferebat enim ea, cum legibus noui teſtamenti, quæ multò ſunt præſtantiores. In quo ſenſu uita iuſtorum non eſt bona,ſi conferatur cum ſtatu perfectæ Charitatis,ad quam in cœleſti patria euehuntur.

An cũ affirmatio eſt affirmationis cauſa,etiã negatio negationẽ efficiat.

Alterum dubium. Ex Ariſtotele 1. Poſteriorum cap.10. ſi affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio erit etiam cauſa negationis: ergo ſi ex hac affirmatione, Hæc arbor fructus emiſit,ſequitur hæc affirmatio,ergo floruit: etiam hæc negatio, Non emiſit fructus, erit cauſa huius negationis,ergo non floruit. Reſpondetur,illã Ariſt.ſententiã veram eſſe,ſi affirmatio eſt propria & adæquata, cauſa affirmationis: at fructus producere non eſt cauſa adæquata floritionis arboris. De locis itaq; internis hactenus.

De locis externis. Et primum de Oppoſitis. Cap. 8.

QVomodo Oppoſita definiãtur,& quot ſint oppoſitorũ genera,diximus in Poſt prædicamentis:nunc(quoniam locus ab oppoſitis primus eſt inter externos) dicamus,quo pacto ex quouis oppoſitorum genere argumentari debemus. Ex contradicentibus optimè colligitur vnum,ſi negemus aliud; & contra etiam rectè alterum negatur, ſi affirmemus aliud.Verbi gratia;Lapis non eſt homo, ergo eſt nõ homo: & Lapis eſt non homo,ergo non eſt homo. Præterea Plato eſt homo, ergo non eſt non homo: & Plato non eſt non hemo, ergo eſt homo. In priuantibus autem ex affirmatione vnius ad negationem alterius reſpectu cuiuſcunque rei, non inaniter diſputabimus: vt Hæc res eſt uidens, ergo non eſt cæca. Tamen non licet ex negatione vnius ad affirmationem alteriùs, reſpectu cuiuſcunque rei progredi. Non enim ſequitur, Lapis non eſt uidens,ergo eſt cæcus. At reſpectu ſui proprij ſubiecti, & temporis à natura conſtituti certiſsimè colligitur ex negatione vnius alterius affirmatio: vt Hic adoleſcens nunquam habuit dentes,ergo eſt edentulus. Iam verò ex contrarijs argumentari poſſumus,his legibus obſeruatis. Prima. Ex affirmatione vnius contrarij ad negationem alterius efficax argumentũ ducitur reſpectu cuiuſcunq; rei: ſiue contraria mediata ſint,ſiue immediata. Vt Hoc eſt album,ergo non eſt atrum. Secunda regula.Ex contrarijs mediatis non ſemper licet ex negatione vnius ad alterius affirmationem reſpectu cuiuſque rei progredi. Itemque in contrarijs immediatis ex negatione vnius ſequitur alterius affirmatio in ſubiecto,quod neutrius eſt capax,Non ſequitur,Homo non eſt albus,ergo eſt niger. Nec quicquã valet hæc conſecutio,Lapis non eſt ſanus,ergo eſt æger: quanquam ſanum & ægrum ſint contraria immediata. Vltima regula.In contrarijs immediatis,reſpectu ſubiecti, quod eorum eſt capax,affirmatio vnius ex negatione alterius ſequitur.Vt Hoc animal non eſt ſanum,ergo eſt ægrum. Coniunctus eſt huic contrariorum loco,locus à repugnantibus,ſeu diſparatis. Homo enim & brutum(vt ex Categorijs conſtat) non ſunt contraria, ſunt tamen diſparata:quia nulli ſimul rei humana:

Locus à contradicẽtibus.

Locus à priuantibus.

Locus à contrarijs

Locus à repugnantibus.

&

& belluina natura conuenire poteſt. Omnium autem repugnãtium alia immediata, alia mediata ſunt. Immediata voco vt corporeum & ſpirituale, quia nulla res eſt in mundo, quæ non ſit aut corporea, aut ſpiritualis. Mediata appello vt animal & lapis, quia planta nec animal dici poteſt, neu lapis. In his igitur repugnantibus eaſdem ferè leges, ac in contrarijs obſeruabimus. In relatis deniq; hi canones teneantur. Primus. Reſpectu vnius & eiuſdem ſubiecti non licet colligere ex negatione vnius affirmationem alterius, vt Hic non eſt filius, ergo eſt pater: quia poteſt nõ eſſe pater, aut filius. Secundus. Vno relatorum poſito, alterum negandum eſt in eodem ſubiecto; reſpectu vnius & eiuſdem termini: vt Plato eſt filius Petri, ergo non eſt pater Petri Tertius. Reſpectu diuerſorum ſubiectorum ex affirmatione vnius relati alterius efficitur neceſſariò affirmatio: Itemq; ex negatione negatio: vt Pater eſt in rerum natura, ergo filius quoq; exiſtit. Rurſum Pater nõ exiſtit, ergo filius non exiſtit: Filius inquã non exiſtit, quamuis ille viuat, qui filius antea dicebatur.

Locus à relatis.

Argumenta in ſuperiora.

EX his quæ in Poſtcategorijs cap. 21. ſcripſimus, poſſunt colligi nonnulla argumẽta: ſed præterea quædam alia ſunt tractanda maximè circa contradicentia. Primùm igitur impugnatur ex negatione vnius contradicentis ſequi affirmationem alterius, hoc argumento. Iſtud enthymema, Homo ſecundùm ſuam eſſentiam non eſt albus, ergo homo ſecũdùm ſuam eſſentia eſt non albus, procedit ex negatione vnius contradictorij ad affirmationem alterius, atqui eius antecedens eſt verum, & conſequens falſum: ergo inania ſunt quæ ſcripſimus de contradicentium conſequentijs. Propoſitio manifeſta eſt. Probatur aſſumptio. Etenim ſi homo eſſet ex ſua eſſentia albus, omnis homo eſſet albus: & ſi ex ſua eſſentia eſſet non albus, omnis quoq; homo eſſet non albus: quæ ipſis rerum experimentis, quamuis nulla eſſet Philoſophia, falſa deprehenduntur. Ad hoc argumentum reſpondetur, vocabula contradictoria poſſe duobus modis cùm aliqua re comparari: primùm ita ut ea res ſimpliciter accipiatur, quemadmodum ſi quæramus, Vtrum homo ſit albus, vel nonalbus, Qua pro fectò ratione neceſſe eſt, aliquem ex terminis contradictorijs de ea efferri. Quiuis enim homo aut eſt albus, aut nõalbus. Secundò poſſunt comparari cum ipſa, ſub aliqua peculiari conſideratione, vt quum dicimus, Vtrum homo, quatenus homo, ſit albus, aut non albus. Hoc enim non eſt percũctari, Vtrum homo ſit albus, aut non albus, ſed vtrum homo præciſè, ac reſtrictè conſideratus, ratione ſuæ eſſentiæ, ſit albus, aut non albus. Et hoc pacto non oportet alterum ex terminis contradictorijs de qualibet re neceſſariò prædicari, vt docet Caietanus de Ente & Eſſentia cap. 4. Ex hac ſolutione patet quid reſpondendum ſit ad plurima, quæ in alijs diſputationibus proponi ſolent argumenta. Etenim contra diuiſionem animalis in hominem & brutum ita quidam argumentãtur, Animal in communi eſt animal, ſed ita ſumptum non eſt homo, neque brutum; ergo aliquod animal nec eſt homo, nec brutum. Aſſumptio probatur (propoſitio enim liquidò uera eſt.) Quia animal in communi eſt abſtractum à rationalitate, & irrationalitate; ergo nec eſt homo, nec brutum. Reſpondendum eſt tamen, hoc argumentum nihil efficere; nam illa diuiſio, qua dicitur, omne animal eſſe hominem, aut brutum, tantùm ſignificat non dari animal in rerũ natura, quin ſit homo, aut brutum: non tamẽ eſt neceſſe, ut quid animal ſub quauis cõſideratione ſit homo, uel brutũ. Nam ego quatenus albus, nec ſum homo, nec

An ex negatione unius cõtra dicentis alterius affirmatio confeſtim ſequatur.

Duplex cõtradicẽtiũ applicatio

Nũ bene animal in ſuas ſpecies diuidatur.

bru-

brutum; alioqui omne album vel eſſet homo, vel brutum. Ita etiam animal in communi, ideſt quatenus abſtrahens ab homine, vel bruto, nec eſt homo, nec brutum.

Num idē & diuerſum diuidant omne ens.

Similiter intelligendus eſt Ariſtoteles in Metaphyſica, quum ait, idem & diuerſum diuidere omne ens, id eſt omne ens mundi aut idem eſſe cum alia re, aut diuerſum ab illa. Sanè vera ſententia, ſi idem & diuerſum accipiantur ſine aliqua adiectione. Nam ſi cum adiectione ſumantur, falſa deprehendetur. Si enim ego percũcter à te, Vtrum ſis idem, an alius equus ab illo, qui in Hippodromo currit, ſi ſapis, reſpondebis, te nec eſſe eundẽ equum, nec alium equum, quamuis ſis ab illo alius: Hæc reputent iſti, qui vt probent contra diuum Thomam ante opus mentis non modò (vt aiunt) fundamentaliter, ſed formaliter etiam vniuerſa dari, ſimili cauillo iuuenes circumueniunt. Omni mentis opera circunſcripta, homo & bos non ſunt eiuſdem ſpeciei formaliter, ergo ſunt diuerſorum ſpecierum formaliter: atque ita fiet, vt ante opus mentis homo ſit vnius ſpeciei, & bos alterius; idque formaliter: quoniam (inquiunt) idem & diuerſum diuidunt omne ens. Rudiſsimum profectò argumentum. Reſponderi ſiquidem poteſt, nulla intellectus operatione præcedente hominem & brutum nec eſſe eiuſdem, nec diuerſæ ſpeciei formaliter, ſicut nec Deus eſt eiuſdem ſpeciei cum materia prima, neque diuerſæ: quia cùm Deus incircumſcriptam eſſentiam habeat, à nulla ſpeciei contineri poteſt: & materia quam diuus Auguſtinus ferè nihil appellat, indigna eſt, quæ in Categoria ponatur, licet ad eam reduci poſsit. Latiùs hæc; quàm decreueram, pertractaui; ſed non erunt (vt exiſtimo) inutilia.

Sententia diui Thomæ de Vniuerſis defenditur.

An de re minimè exiſtẽte alterum contradicẽtiũ perpetuò efferatur.

Secundum præterea in eandem ſententiam poteſt proferri argumentum. Loquẽdo enim de re quæ non eſt, verbi gratia de chimæra, nullius ponderis eſt hæc argumentatio, Chimæra non eſt homo, ergo chimæra eſt non homo. Quomodo ergo dictum eſt, ex negatione vnius vocabuli contradictorij poſſe alterius affirmationẽ colligi? Vt autem appareat illam argumentationem eſſe malam, ſolùm mihi probandum eſt, conſequens eſſe falſum, cùm tamen antecedens ſit verum apud omnes. Id autem ita efficiam. Nam ex Dialecticorum communi, vulgataque ſententia conſtat, ab enuntiatione tertij adiacentis ad enuntiationem ſecundi, eſſe validum argumentũ. Quare bene ſequetur, Chimæra eſt non homo; ergo chimæra eſt; ſed chimæra non eſt, (ut conſtat) ergò chimæra non eſt non homo. Præterea alia ſubeſt cauſa, quare illud conſequens falſum videatur. Ariſtoteles enim 1. Priorum capite vltimo docet, hãc conſequutionem eſſe nullam, Lignum non eſt album, ergo lignum eſt: hanc verò aliam eſſe bonam: Lignum eſt non album, ergo lignum eſt. Quare ſi Ariſtoteli credimus, hæc conſequutio erit bona, Chimæra eſt non homo, ergo chimæra eſt.

Quorũdã iuniorum opinio.

Auctoris opinio.

Igitur his rationibus conuincti quidam, aſſerunt poſſe vtrunque enuntiationem aientem ex contradicentibus prædicatis conſtitutam, falſam eſſe; ſi non exiſtat, aut extet potiùs ſubiectum. Quorum profectò ſententia Ariſtoteli aduerſatur; & quum Ariſtotelici videri velint, Principi contradicunt. Etenim 1. Perihermen. cap. de Nomine docet, nomen infinitum ita dici de re quæ non eſt, ſicut de ea quæ eſt: ſed hæ voces non homo, non animal ſunt nomina infinita, ergo poſſunt etiam dici de re, quę non eſt. Præterea in Poſtcategorijs tradens Ariſtoteles diſcrimẽ inter oppoſita cõtradicentia, priuantia, contraria, & relata, hoc præcipuum profert, quòd priuantium, aut contrariorum alterutrum non ſit neceſſum dici de re quauis, ſiue ſit, ſiue non ſit; contradicentium verò oporteat alterum de quauis re, etiam non extante, efferri. Accedunt etiam hùc diui Thomæ (cui tantùm ego tribuo, ut quamuis nihil de ea re Ariſtoteles docuiſſet, ſola eius auctoritate frãgerer) apertiſſima teſtimonia. Nã. 10.

Meta-

Metaphyſicorum lect.6.aſſerit,quoduis tam exiſtens, quàm non exiſtens,aut æquale,aut non æquale eſſe:non tamen quiduis eſſe æquale aut inæquale. Denique 1.Perihermen.lec.4. non modò hanc ſententiam approbat,ſed Boëthij prætерea & Ammonij auctoritate confirmat. Quare ſatisfaciendum eſt aduerſariorum rationibus. Et ad primam quidem reſpondeo, falſum eſſe, ex enuntiationibus tertij adiacentis ſemper colligi poſſe enuntiationes ſecundi adiacentis. Etenim Ariſtoteles 4.Topicorum cap.1.docet,opinabili ita efferri de eo quod eſt, ſicut de eo quod non eſt; ergo apud Ariſtotelem hæc conſecutio eſſet ridicula, Talis res eſt opinabilis,id eſt, ſub opinionem cadere poteſt,ergo talis res eſt.Iam verò apud diuum Thom.dantur quædam attributiones,quæ æternæ veritatis eſſe dicuntur,ut Homo eſt animal,quę rebus etiam non exiſtentibus,nec adhuc creatis veræ erant.Ergo apud hunc grauiſſimum iudicem non bene ſequetur,Homo eſt animal,ergo homo eſt. De enũtiationibus perpetuò veris.

Intelligo ſanè,quid poſsint iuniorum quidam huic argumento reſpondere. Negabunt vllam propoſitionem dari,quæ æternam veritatem enuntiet;niſi quæ ad Deũ pertineat. Quamobrem hanc enuntiationem, Homo eſt animal,ea ſolùm cauſa ab antiquioribus Dialecticis neceſſariam appellatam eſſe dicent, quia homo quum exiſtit,neceſſariò animalis natura ei debet conuenire.Sed horum quàm ſit vana opinio, non diui Thomæ(quem contra eius aduerſarios citare nolumus)ſed Porphiryj,denique Auguſtini, atque Alberti Magni teſtimonijs demonſtrabo. Ac de alijs quidem non ita multò poſt,Auguſtinum prius audiamus. Secundo libro Soliloquiorũ capite 2.probat dari quaſdam enuntiationes,quæ veræ eſſent,tametſi totum vniuerſum in nihilum redigeretur:vt hoc pronuntiatum,Veritas eſt. Quoniam inquit,aut, ea Hypotheſi data,veritas erit,aut non erit:ſi erit,mea ſententia vera eſt:ſi non erit, ergo tum verum ſaltém erit,veritatem non eſſe. Fiet igitur, vt aliquid verum ſit. Prætеrea libr. 2.de Libero arbitrio capite 8. Euodij orationem laudat, quòd quandiu res hæ corporeæ permanſuræ eſſent,ingenuè ſe ignorare fateretur: contra autẽ certiſsimum ſibi eſſe diceret, tria & ſeptem eſſe decem; nec vnquam futurum,ut tria & ſeptem non eſſent decem.nullumque fuiſſe tempus quum tria & ſeptem non fuerint decem.Iam libro 4.in Geneſ.ad literam capite 7.docet,ſenarium perfectum numerum fore,etiamſi mundus non eſſet futurus.Ibidemque aſſerit,facilius multò effici poſſe, ut cœlum ac terra pereant, quàm ſenarium non eſſe numerum ſuis partibus conſtitutum.Ita ſanè diſertiſsimus Pater Auguſtinus ſentit. Porphyrius quoque in Iſagoge, de communitatibus & differentijs generis & differentię tradit, pereuntibus omnibus rationis compotibus & expertibus animalibus,poſſe intelligi, animal eſſe ſubſtantiam corpoream,animatam,ſenſusque participem.Loquitur autẽ de vera,rebusque ipſis conſentanea intellectione; nam ſi de inani, commentitiaque loqueretur,ridiculus planè Philoſophus eſſet, nec id probaret,quod probare eo in loco inſtituit. Sed intimiùs,quęſo,hanc Porphirij ſententiam diſcutiamus. Si omnia animalia rationalia,irrationaliaque deficerent, quis eſſet,qui verè poſſet concipere,illud pronuntiatum,Animal eſt ſubſtãtia,maximè cùm Porphyrius etiam Deos (ita enim ipſe Gentili more ſeparatas ſubſtãtias nominat)animalia eſſe putet? Quare(niſi me me fallit opinio)tantùm Porphyrius ſenſit,etiamſi nullum ſupereſſet animal,quod illam enuntiationem exprimeret,eam nihilominus veram eſſe cenſendam, quia eius ſignificatum eſſet verum.Hoc denique Albertus ille Magnus,homo ex ipſius ſcientiæ ſtirpe generatus, docuit in Poſtprædicamentis cap.9. Exiſtimat enim, nullo homine,nulloque animali ſuperſtite,hanc enuntiationem eſſe veriſsimã, Homo

mo eſt animal. Perſpicuum itaque fit, non immeritò eam regulam à nobis repudiari, nullaque probabilitate à noſtræ ætatis Dialecticis has perpetuæ veritatis enuntiationes reprehendi. Ceterùm explicatio, quam iſti probatis auctoribus adhibent, multam præ ſe fert bonarum artiũ ieiunitatem. Nam ſi ob eam cauſam dixerunt veteres, hanc enuntiationem, Homo eſt animal, eſſe cùm neceſſariam, tum perennis etiam veritatis, quia homo eſſe nequit, niſi ſit animal: eadem profectò ratione dicere debuiſſent, pronuntiatum, Homo exiſtit: itemq; hoc aliud, Mundus eſt creatus actu à Deo, fuiſſe ꝑpetuò vera, quia ſi homo exiſtit, neceſſum eſt vt exiſtat, & ſi Mundus eſt, neceſſe eſt ut actu ſit creatus à Deo. Hæc autem concedere impudentis eſt hominis, auditorumque patientia abutentis. De his itaque hactenus, nunc alia ratione ſuperiorem illam regulam impugnemus.

De enuntiationibus quarũ prædicata rationem ſubiecti deſtruunt.

In enuntiationibus etiam, quarum prędicata deſtruunt ſubiectorum rationem, non eſt vera illa regula. Non enim qui concedit hanc enuntiationem, Leo eſt mortuus, protinus & hanc concedere debet, Leo eſt. Cùm igitur toties illorum regula falſa comprobetur, quid incõmodi erit, ſi nos eas quoq; enuntiationes excipiamus, quarum prędicatum eſt nomen infinitum? Denique ad ſecundam cauſam poſſem aliter reſpondere, pręſertim cum non omnium interpretum verſiones conſentiant: ſed reſpondeo aliter, in illo capite multa Ariſtotelem diſputando dixiſſe. At quum Ariſtoteles argumentatur, multa falſa dicere ſolet, ut patet ex toto lib. 3. Metaphyſicę. Inſuper ex 2. Poſter. vbi cùm à cap. 3. vſque ad 7. multa de definitionis demonſtratione diſputando docuiſſet, deniq; octauum caput ſic orditur. Videamus ex his omnibus quid verum, quid non verum ſit. Item cap. de Quantitate probat, in quantitate eſſe contrarietatem, ſed quia diſputando id dixit, quamuis argumentum non ſoluat, nemo illud recipit. Tempus me deficiet, ſi omnia loca commemorare voluero, in quibus Ariſtoteles ex propria ſententia loqui videtur: nec loquitur tamen.

Ariſt. frequenter quaſi diſputans loquitur.

De loco à Comparatis. Cap. 9.

Alter locus externus dicitur à Comparatis, quo tum vtimur, quum ex vna re ad aliam argumentamur, quia inter ſe comparantur. Et quoniam maius poteſt comparari minori, ac minus maiori, & par pari, conſurgit triplex locus à comparatis, à maiori nempe ad minus, à minori ad maius, & à pari. A maiori ad minus argumentamur, quando procedimus ab eo, quod probabilius eſt ad id, quod minùs eſt probabile. Nunc enim non appellamus maius id, quod eſt latius, aut longius, aut numeroſius; ſed quod probabilitate aliud ſuperat. Oportet autem argumenta à maiori ad minus eſſe negantia, ſi firma eſſe debent: vt Rex non potuit debellare oppidulũ, ergo nec poterit munitiſsimam ciuitatem. Credibilius enim erat à Rege oppidum fuiſſe debellandum, quàm ciuitatem munitam. Et eſt optimum argumentum, quia aufert veriſimilius, ut id quod non vſqueadeo veriſimile eſt, tollere poſsit. Quare ſi fuiſſet aiens, nihil collegiſſet. Vt ſi diceretur, Rex potuit expugnare vicum, ergo etiam ciuitatem muratam. Innititurq; hoc genus argumentationis huic maximæ: Si id quod magis videtur ineſſe non ineſt, id quod minùs videtur ineſſe non inerit. Hoc genere argumenti vſus eſt Ieremias Propheta quum 12. cap. dixit, Si cum peditibus currens laboraſti, quomodo poteris contendere cum equis?

Locus à maiori.

Trifariam hoc loco vti poſſumus.

Poſſunt autem proponi argumenta à maiori ad minus tribus modis. Primus quũ maior probabilitas ſumitur ex parte ſubiecti; ut Exercitus non potuit debellare hãc ciuita-

ciuitatem, ergo neque vna legio poterit. Secundus quum oritur ex parte prædicati, hoc pacto. Rex oppidum nequiuit debellare, ergo nec poterit ciuitatem munitam. Tertius quum ex parte ſubiecti & prædicati, vt Rex magno exercitu fultus non potuit capere oppidum, ergo nec Phylarchus minori exercitu, imbecilliorique ſtipatus ciuitatem munitiſsimam capiet. In promptu erat variare exempla: ſed vt res tota melius perciperetur, idem retinere malui. A minori autem ad maius oportet argumentari affirmatiuè. Nam ſi procedamus ex negatione minùs probabilis ad negationem probabilioris, nihil efficiemus. Hoc argumētum bonum eſt. Licet proculdubio pertinacem hæreticum viuentem adhuc ignibus tradere, ergo licet cum flagellis cædere. Et fulcitur hoc argumentum contrario axiomate præcedenti, Si id quod minùs videtur ineſſe ineſt, inerit quoq; id quod magis videtur ineſſe. Poſſumuſq; hoc loco vt (ſuperiori) tripliciter vti. Deniq; à pari argumētamur, quum ex re probabili æquè probabilem, aut quæ ferè eandem probabilitatem habet, colligimus. Poteſtque a pari argumentum aiens & negans ſumi. Vt Fratrem occidere turpiſsimum eſt, ergo & ſororem. Item non eſt peccatum mortale furari obolum, ergo nec etiam erit lethale crimen leuiſsimum verbum in amicum prolatum. Item Phyſica non eſt mala, ergo nec Aſtrologia.

Locus à minore ad maius.

Locus à pari.

Obiectiones.

1. DIctum eſt, hoc argumentum, Rex non potuit debellare oppidum, ergo nec ciuitatem munitam, eſſe à maiori ad minus. In quam ſententiam illud mihi in mentem contra venit, quòd probabilius ſit conſequens, quàm antecedens: probabilius enim eſt, Regem non poſſe debellare ciuitatem, quàm non poſſe oppidum capere. Reſpondetur, argumentum eſſe à maiori ad minus. Sed vt intelligamus quæ enuntiatio ſit altera probabilior, in hoc loco non ſunt conſiderandæ negationes, ſed affirmationes. Et quia hæc affirmatio, Rex poteſt expugnare oppidum, eſt probabilior illa altera, Rex poteſt ciuitatem capere, ideo argumentum dicitur procedere à probabiliori ad minùs probabile negatiuè.

Quid notandū ſit ut maior, minorve probabilitas agnoſcatur.

Altera obiectio. Videtur hanc diſputandi formam explodendam eſſe, quia ſæpe antecedens verum in falſum conſequens procedit. Primùm, quia ſi oppidum ſit bellicis machinis Inſtructum, frumento, cibiſque abundans, & optimis militibus plenū; ciuitas autem his præſidijs deſtituatur, poterit Rex ciuitate potiri, non oppido. Itē quia non ſequitur, Hic eſt optimus Theologus, ergo eſt optimus Arithmeticus; quā uis facilius ſit multò Arithmeticam, quàm Theologiam comprehendere. Reſpondetur, in his locis ſubintelligendum eſſe, ſi cætera ſint paria: nam ſi imparia fuerint reliqua, non ducitur efficax argumētum: ut in priori exemplo obiectionis patet. Præterea illud ſciendum eſt, in his quæ ex hominum libero arbitrio pendent, potiùs cōſiderandam eſſe poteſtatem, quàm actum. Nam cùm actus ſit liber, poteſt homo agere id, quod minùs probabile erat eum acturum; quod verò probabilius erat, dimittere. Vt quum beatus Dauid peccauit, profectò id egit, quòd vix credi poterat, hominem adeò ſanctum, ac Dei amicum acturum. Denique aſſero, etiam ſi argumēta huiuſmodi ad poteſtatem referantur, captioſa reddi; ſi ad ea quæ diuerſi generis ſint referantur. Vt Hic poteſt eſſe ſumus Philoſophus, ergo poterit eſſe præclarus citharœdus, non ſequitur: nam quidam ſuapte natura ſunt ad artem citharizandi habiles

Primo lex huius loci.

Secunda.

Tertia.

biles,& inepti ad Philoſophicas ſpeculationes,ac contra: Quod optimè explicat Iauel.1.Meta.c.1. cùm igitur eſſe citharœdum & Philoſophum diuerſæ admodum rationis ſint,non poteſt ex vnius affirmatione alterius affirmatio colligi; nec ex negatione negatio. Quare ſecundum argumentum malum eſt, tum quia ad actū pertinet,tum quia de rebus diuerſæ rationis tractat.

De loco à Proportione, vel à commutata proportione. Cap. 10.

Locus à ſimili.

LOcus à proportione, qui ab alijs à ſimili dicitur, eſt habitudo vnius rei ad alteram,eandem proportionem habentem. Ex quo efficitur,ut quod vni competit,alteri etiam accōmodetur;& quod negatur vni,ab altera quoq; remoueatur;ut ſicut ſe habet nauta ad nauim, ita Prætor ad ciuitatem: ſed nauta non eligitur ſorte, ergo nec Prætoris electio fortunæ debet committi.

Locus à diſsimili.

Patet hinc quonam pacto ex loco à diſsimilitudine argumentemur. Nam ſi cùm duæ res eandem proportionem habent,& ſimiles eſſe dicuntur,quod in vna inuenimus, de altera quoque colligere poſſumus;cur non licebit,quum aliqua inter ſe diſsimilia ſunt,oppoſita eis tribuere, hac ratione,Beluæ in diem viuunt,nec futura cogitant;ergo hominis eſt prouidere futuris?

Cautio in his locis retinēda.

Sed cauendum eſt prorſus, ne ea quæ ad diſsimilitudinem nihil pertinent, aſſumantur. Quare reijcitur hic ſyllogiſmus:Belua & homo valde inter ſe diſtinguūtur,at beluæ quotidie comedunt;ergo homines,niſi interiectis aliquot diebus, cibū non debent ſumere. Quod nunc de diſsimilibus dico,idē de ſimilibus intelligatur. Non enim id ſumendum eſt,quod à ſimilitudine longè abeſt, cùm aut à ſimili,aut à proportione argumentamur.

Locus à commutata proportione.

Huic loco finitimus eſt alius,qui dicitur à commutata proportione:quando ſcilicet,quia duæ res inter ſe eandem proportionem habēt, quam duæ aliæ,colligimus eandem proportionem eſſe inter ſecundam & quartam, quæ inter primam & tertiam. Vt ſicut ſe habet duodenarius ad ſenarium,ita quoq; octonarius ad quaternarium;vtraque enim habent proportionem duplam;ſed duodenarius ad octonarium habet proportionem ſequialteram:ergo etiam ſenarius ad quaternarium habebit proportionem ſeſquialteram.

Proportionū quędam per tranſennā explicātur.

Eſt autem proportio dupla; quæ inuenitur inter,duo,quorum vnum bis tantùm continet alterum,ut duodenarius ex ſenarij duplicatione conſurgit. Item proportio ſeſquialtera tunc inter duos numeros reperitur,quum maior continet minorem ſemel, & alteram eius partem, vt ſenarius continet ſemel quaternarium,& medium quaternarij. Sicut etiam proportio ſeſquitertia eſt,quum numerus maior continet minorem,& tertiam eius partem:qualis eſt inter octonarium & ſenarium. Continet enim octonarius ſenarium, & præterea binarium,qui eſt tertia pars ſenarij. De his proportionibus niſi ad manum habeas auctores Arithmeticæ, lege diuū Thomam 5. Metaph.lect.17.& Dominicum à Soto 7.Phyſ.quæſt.2 in digreſsione:& noſtrum Patrem Fratrem Iſydorum de Iſolanis in opuſculis,quæ habentur ad finem Capreoli in epitomen redacti.

Proportionalitas

Sed interim illud intellige,locum à proportione meliùs appellandum eſſe à proportionalitate;quia proportio eſt habitudo inter duo, proportionalitas uerò duorum ad duo:vel(vt alij dicunt)eſt proportio proportionis ad proportionem, quod fit in hoc loco. Non enim ſumitur argumentum à proportione nautæ ad nauim,ſed à proportione quæ eſt inter proportionem nautæ ad nauim, & proportionem Prætoris ad ciuitatem.

Ob-

Obſeruatio.

OBiectiones quædam in hos locos adduci potuiſſent, & quidem perdifficiles, ex motuum proportione ſumptæ, quibus manifeſtè oſtenderetur, argumẽtum à cõmutata proportione interdum nihil inferre: ſed vide eas in Soto, & Iſydoro.

De loco à Paronymis, vel Coniugatis. Cap. 11.

EXternis locis explicatis, occurrit locus medius, qui dicitur à coniugatis, aut à Paronymis, ſed, denominatiuis. Et nihil aliud eſt, quàm connexio inter formam denominantem & Paronymum, ab ea denominatum. Verbi gratia, inter iuſtitiam & iuſtum. Argumentamur ex hoc loco ita; ut quod formæ denominanti conuenit, in ipſum paronymum transferamus, aut contra: vt Iuſtitia bona eſt, ergo iuſtus bonus eſt. Locus de nominatiuis.

Reliquus eſt locus à caſibus, qui eſt habitudo inter duo paronyma, quę ab aliqua forma denominante deſcendunt; vt iuſtus, & iuſtè à iuſtitia. Itaque præcedens locus erat habitudo paronymi ad formam denominantem: hic verò eſt habitudo vnius paronymi ad alterum; ex quo argumentamur hac lege, ut quod vni paronymo competit, vel repugnat, alteri etiam paronymo intelligatur conuenire, aut repugnare; proportione tamen ſeruata. Vt iuſtus eſt bonus, ergo iuſtè operari etiam bonum erit. Dixi autem proportione ſeruata, quia non ſequitur, Iuſtitia eſt virtus, ergo homo iuſtus eſt virtus; ſed eſt virtute præditus. Locus a caſibus.

Dubitatiuncula.

QVid de loco à diuiſione, quem nonnulli inter medios numerant? Reſpondetur, illum non eſſe medium, ſicut nec locus à toto vniuerſo, aut à toto integro, ad quos reducitur. Dico igitur, ob eam rem multos me dimiſiſſe locos ab alijs enumeratos, quia ad ſuperiores referuntur; vt locus ab antecedentibus & conſequentibus (voco autem antecedentia & conſequentia illa eadem, quæ lib. 5. quũ de medij inuentione differerem.) ad locum totius ad partes, & partis ad totum: Sed in hac re diſsimulare nolo quod ſentio: nempe ſi accipiantur antecedentia & conſequentia, ut Cicero ad Trebatium, & ferè omnes Rhetores ſumunt, referenda eſſe antecedentia & conſequentia, ut modò nos retulimus ad loca totius vniuerſi, & partes ei ſubiectas, aut neceſſariò coniunctas. Tamen eſt noua quædam horum vocabulorum acceptio, à quibuſdam noſtræ ætatis Philoſophis vſurpata, quæ non ſtatim, quia noua contemni debet. Aliquandò enim Pythagoricorum præceptum, à Philone Alexandrino relatum, ſeruandum eſt; ne ſcilicet vias publicas ingrediamur. Dicunt enim illud eſſe alicuius antecedens, quod aliud præcedit, & ſine ipſo poſterius nulla ratione eſſe poſsit: & tamen non eſt eius genus, ſpecies, differentia, proprium, aut accidens, neque verò cauſa: vt ſpoliationem neceſſariò præcedit veſtitio; nihil enim poteſt ſpoliari, niſi veſtitum antea fuerit. Item ex-

Locus a diuiſione ſub quo ponendus ſit.

Noua quędã opinio.

excæcatione prior eſt facultas videndi: nullus nanque excæcabitur, niſi fuerit priùs videns. Denique reconciliationem debent inimicitiæ antecedere. Quare nemo in alicuius gratiam redire poteſt, niſi qui priùs ei inuiſus fuerit. Si ergo ita accipiamus antecedentia & conſequentia, peculiarem locum conſtituunt; & ex poſterioris affirmatione ſequitur prioris affirmatio; non tamen è contrario: vt Spoliatus eſt, ergo veſtitus fuit. Item ex prioris negatione ſequitur poſterioris negatio, non autem cōtra. Vt nunquam habuit facultatem videndi, ergo non poteſt excæcari. Non tamen valet, Habet facultatem videndi, igitur excæcabitur.

Proprius locus ab antecedētibus, & conſequētibus.

De loco ab auctoritate. Cap. vltimum.

QVum non ſuppetit ratio ad ſententiam noſtram probandam, ſolemus interdū confugere ad grauiſsimorum hominum teſtimonia. Ideoque hic locus ab Auctoritate dicitur, valetq; plurimùm, ſi auctor, cuius teſtimonio vtimur, grauis ſit; quales profectò multi ſunt; ſed præcipui exiſtimantur in rebus quidem naturalibus Ariſtoteles, in Theologicis verò Auguſtinus; Hieronymus, Gregorius, Ambroſius, ac diuus Thomas Aquinas, qui nuper ſanctæ Romanæ Eccleſiæ auctoritate quatuor prioribus Eccleſiæ Doctoribus meritò eſt adiunctus: vt patet in Bulla beatiſsimi & ſanctiſsimi Patris & domini Pij Papæ quinti, cuius nunc egregia facta miramur, memoriam autem ſumma veneratione excipient omnes anni conſequentes. In rebus tamen moralibus hic locus multum firmitudinis habet, quia virtus moralis in mediocritate poſita eſt, ac tali, quam uir ſapiens & prudens conſtituerit. Præterea res morales in probabili opinione plerunque conſiſtunt. Probabile autem eſt, quod probatur omnibus, aut plurimis, aut certè ſapientibus; atq; his præcipuè, quorum ſpectata, & perſpecta eſt ſapientia. Sed non modò ad hunc locum pertinent virorum doctiſsimorum teſtimonia, ſed plebis etiam aliquando, & fabularum, &c. præſertim apud Rhetores.

Qualis ſit loci ab auctoritate firmitudo

Denique ſciendum eſt, ex hoc loco firma ſumi argumenta aientia paſsim, negantia autem rariſsimè: vt hæc argumenta, Scriptura ſacra hoc non dicit, ergo non eſt verum; Ariſtoteles non numerat niſi tot locos Dialecticos, ergo non ſunt plures, nihil probant.

Dubitatio.

QVæritur, an ex diuinis teſtimonijs argumenta probabilia deſumantur? Reſpondetur, per ſe quidem non ſumi probabilia, ſed neceſſaria omnino, atque certiſsima: accidentariò tamen fieri poſſe, vt probabile tātùm argumentum ex eis ſeruatur, quandiu non conſtat de germano ſenſu ſcripturarum. Quæſtio enim eſt inter Caietanum & alios, vtrum terra ſit mari ſuperior, an è diuerſo. Et profert equidem Caietanus teſtimonia ſacræ ſcripturæ, vt propriam opinionem corroboret: ſed quia nondum manifeſtum eſt, an in eo ſenſu ſcriptura ſit accipienda, nondum Caietani opinio certa fide tenetur. Hic igitur finis ſit locorum diſputationi, in qua nō ſum neſcius multa deſiderari: potiſsimumque vſum locorum explicandum fuiſſe, vt mediocriter res tractata videretur. Sed non omnia poſſumus omnes. Ego quidem quotidianis lectionibus, alijsque ſtudijs præpeditus, tantumque horis ſucceſsiuis

An ex ſano eloquo probabilia interdum argumenta petantur.

has

has inſtitutiones colligens, non potui abſolutam eorum, quæ diſputo, notionem tradere. Sed nemo deſperet ante multos dies omnia hæc accuratiùs, doctiusq́; ita ut nihil ſupra addi poſsit, vulganda; non ſanè à me (qui enim poſſem?) ſed (ut ſpero) à Reuerendo admodum Patre, atque Magiſtro Fratre Franciſco Garcia, qui de locis tum Dialecticis, tum Oratoribus neceſſarijs integrum iam volumen abſoluit: in quo quáta fieri potuit eruditione, ac ſermonis elegantia, omnia pertractauit. Nos interim accingamur, vt contra ſophiſtarum ſpicula, noſtros Dialecticos muniamus. Superioribus enim libris multis eos armis inſtruximus, quibus alijs poſſent obeſſe, & veritatis aduerſarios vi argumentorum confodere; nunc prouidendum eſt, ne ipſi vllis poſsint vulneribus ſauciari.

BENEDICTVS DEVS.

Q COM-

COMMENTARIORVM IN VNIVERSAM LOGICAM

LIBER OCTAVVS:

IN QVO SOPHISTARVM LOCA, fonteſq; obruuntur.

De instituto libri, & Sophiſtarum finibus. Cap. I.

Quāobrē de locis ſophiſticis diſputemas.

POSTQVAM à definitione à totò,à cauſis,ab euentibus, à cõiugatis,& ab omni Dialectico loco, quemadmodum probabilia argumenta ducerentur, ſatis explicauimus libro ſuperiore; ſequitur,vt locos, fontes,officinasq; vnde Sophiſtæ aculeatas, contortasq; ratiocinationes petunt, captiones quaſi putidas aquas hauriunt, ac tela venenata proferunt, oſtendamus: & ne ab eis offendi poſsimus, dicamus breuiter,qua methodo, atque arte illis ſit occurrendum. Etenim vt præclari Medici eſt,non modo ſalutares herbas oſtendere,ſed etiam peſtilentes,vt illæ aſſumantur, iſtæ vitentur; ſic periti eſt Dialectici, non ſolùm de ſyllogiſmis probabilibus, & demonſtratorijs agere, ſed de Sophiſticis ratiocinationibus diſputare; ut deceptiones uitentur. Facit hoc diligentiſsimè Ariſtoteles in libro de Reprehenſionibus ſophiſtarum, quum oſtendit fontes & locos unde argumenta petunt ſophiſtæ. Sed antequam de his diſſeramus, fines ſophiſtarum demonſtrare oportet: ut ex finibus intelligatur qualia ſint argumenta. Quinque ſunt autem præcipui eorum fines, ſcilicet Reprehenſio,Falſum, Incredibile, Solœciſmus,& Nugatio. Et quidem Reprehenſio,ſeu Redargutio, eſt affirmatio eius,quod negatum fuerat; aut negatio rei affirmatæ,vi argumenti extorta. Vt ſi in diſputatione alicui probatum fuiſſet, Regem ab eo minimè cognoſci,& poſtmodum contrarium probaretur hoc ſyllogiſmo, Tu cognoſcis venientem,ſed ueniens eſt Rex,ergo cognoſcis Regem. Tum ſi ille concederet,ſe cognoſcere Regem, diceretur redargui. Falſum autem uocatur in præſentia id, quod apertè falſum eſt; nam ea quæ obſcurius falſa ſunt, & probabilia exiſtimantur,ſæpe Dialecticus colligit. At ſophiſta cùm hominum laudes,admirationemq; optet,nõ ſatis muneri ſuo ſe feciſſe arbitratur, ſi falſum concludat: niſi ita falſum ſit,ut à circunſtantibus intelligatur. Vt ſi hoc pacto argumentetur, Omnis canis latrat, ſed quoddam aſtrum eſt Canis,ergo quoddam aſtrum latrat. Inopinabile,ſeu incredibile dicitur,quod ſeu verum ſit, ſeu omninò falſum, eſt tamen præter eorum opinionem,quibus præſentibus ſophiſta diſputat. Quare hic finis à præcedenti diuerſus eſt,quia ſæpe accidit, veritatem ipſam incredibilem videri; præſertim ruſticis,plebeiſq; hominibus,quibus ſpectantib. libentius ſophiſtæ diſputationes iniunt.Contra verò

Quinque peculiares fines ſophiſtarū.

Quid falſum ab inopinabili differat.

tra verò etiam apud ſapiẽtes multa falſa ſunt probabiliora,& credibiliora veris. Hinc colligunt diui Thomæ diſcipuli 1. parte q. 1. & 2. 2. quæſt. 1. hoc argumentum eſſe nullius ponderis. Myſteria fidei noſtræ ſunt euidenter nobis credibilia, ergo ſunt, reſpectu noſtri, euidenter vera. Etenim veritas ex re ipſa ſumitur; at probabilitas ex aſſerentium teſtimonijs, uel rationibus pendet: vt (quamuis omne exemplum inferius ſit) Indiam eſſe perſpicuum eſt, atque euidens ijs, qui Oceanum mare prætemauigarunt: nobis autem, qui in hoc alio hemiſphærio ſumus, id non eſt euidenter uerum; eſt tamen euidenter opinabile, euidenter credibile, & euidenter probabile: quia perſpicuum eſt nobis, ita videri oĩbus, aut plurimis, aut certe ſapientibus. Deniq; reſpectu eorum, qui nihil vnquam de Antipodis audierunt, incredibile eſt, ſub pedib. noſtris homines habitare. Igitur ad hunc finem pertrahit ſophiſta hoc, aut ſimili argumento. Quem accidit capi ab hoſtibus, infœlix eſt, ſed Regem aliquando accidit capi ab hoſtibus, ergo Rex infœlix eſt. Hoc enim eſt improbabile apud vulgares, quorum opinione, nullus viuit Rege fortunatior. Solœciſmus error eſt contra Grãmaticam. Conatur autem ſophiſta, in huiuſmodi incommodum adigere reſpondentem, hoc genere argumenti: Tu ſcis hoc, ſed hoc eſt lapis, ergo tu ſcis lapis. Et quidem hoc loco omnis error contra Grammaticam Solœciſmus vocatur. Nugatio denique eſt eiuſdem uocis in eadem parte orationis inutilis repetitio. Eiuſdem inquam vocis repetitio; quia ſi alia vox idem ſignificans fuerit, vana quidem locutio erit ſed nugatio non erit. Vt ſi dicas, Animal ſenſibile currit. Item in eadem parte orationis: nam ſi in alia atque alia fiat, nequaquam dicetur nugatio, vt Homo eſt homo. Denique inutilem dixi, quoniam ſi vtilis ſit ad effectus commouendos, non erit nugatio. Ita Cicero in Epiſtolis, Mi frater, mi frater, mi frater, &c. Nugationem hac methodo ſophiſtæ colligunt. Iſtæ naſus eſt naſus ſimus, ſed ſimum idem eſt quod naſus concauus, ergo iſte naſus eſt naſus naſus concauus. At ſub nugatione comprehenditur omne uitium contra Oratoriam facultatem. Et quidem ſophiſta cùm præcipuè ob cenodoxiam diſputet, hos quinque fines ſibi præſtituit, ut in omni ſcientia illo, contra quem diſputat ſuperior, habeatur. Nam ſi reſpondentem redarguit, oſtendit Metaphyſicæ ignarum. Docet enim Metaphyſica nihil ſimul eſſe, & non eſſe. Si perducit ad falſum, conuincit eum tanquam Mathematicæ, aut Philoſophiæ naturalis imperitum: iſtæ ſiquidem diſciplinæ de rebus manifeſtè ueris, & quæ ſenſuum beneficio facilè comprobantur, agunt. Si cogit ut quidpiam incredibile fateatur, arguit illum quaſi Topicæ Dialecticæ inſcium, quæ maximè in probabilibus cernitur. Denique ſi inferat ſolœciſmum, aut nugationem, taxat illum ut ab Oratoria facultate, aut Grammatica alienum. Bona quidem finium ad diuerſas ſcientias accommodatio, quam diuus Thomas in opuſculo Fallaciarum tradit. Negare tamen non poſſumus, tres priores ad quamuis ſcientiam pertinere. In quauis enim diſciplina rudis, hæbesq;, ac illius imperitus iudicatur, qui aut duo contradicentia recipit, aut id quod manifeſtè falſum, ac incredibile eſt, aſſerit. Cæterùm præter hos fines alius eſt finis ſophiſtarum, qui omnes ſuo diſiunctione ambit, diciturq; Silentium, Taciturnitas, aut Infantia. Paria enim ſunt apud Cauillatorem, aut redarguere, aut uſqueadeo aduerſarium deterrere, ut reprehenſionis metu obtumeſcat, maximè cùm taciturnitas confeſſionem imitetur. Idemq; de falſo, & inopinabili, ac de reliquis finibus intelligatur.

Theologorũ doctrina.

De Nugatione.

Supremus finis ſophiſtarum.

Finiũ ad uarias diſciplinas accõmodatio.

Dubium huius capitis.

An quod eſt euidenter credibile, ſit quoque perſpicuè verũ.

Contra illud quod dictum eſt, hanc conſequentiam nõ valere, Hoc eſt euidenter opinabile, credibile, aut probabile; ergo hoc eſt euidenter verum, occurrit argumentum. Nam hæc alia conſequentia bona eſt, Hoc eſt nobis euidenter falſum, ergo hoc eſt nobis euidenter incredibile, & inopinabile. Nam ſi euidenter cognoſceres, te eſſe Valentiæ, ac ſubinde falſum eſſe, te eſſe Romæ, quandiu ita animatus eſſes, quandiu ita ſentires, quibus obſecro argumentis in eum errorem induci poſſes, ut tibi ipſi probabile, ac incredibile videretur, te non eſſe Valentiæ? Profectò nullis; niſi ita ſtolidus eſſes, vt ille ruſticus, cui (vt fertur) cùm ſanus eſſet, Salmantini quidam ſcholaſtici, non equidem vi argumentorum, ſed arte, doliſq; perſuaſerũt, ipſum iam eſſe mortuum. Ita vt miſeriam ſuam rudiſsimus homo deploraret, quòd inſalutatis amicis, conſanguineiſq; obijſſet. Si igitur hæc eſſet bona conſequutio, profectò ex oppoſito conſequentis, ſequeretur oppoſitum antecedentis; & ita bene ſequetur, Hoc eſt euidenter opinabile, credibile, aut probabile; ergo hoc eſt euidenter verum. Reſpondetur, hanc vltimam conſequentiã nullius eſſe momenti, tametſi prior ſit bona, quia non procedit ex oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedẽtis. Nomine enim oppoſiti conſequentis non intelligitur quæuis enuntiatio illi repugnans, aut ab ea diſſentanea; ſed quæ verè eſt contradicens. Iſtæ autem duæ enũtiationes, Hoc eſt euidenter improbabile, & Hoc eſt euidenter probabile, non ſunt contradicentes, cùm ambæ ſint aientes. At verò ſi ſumatur ea, quæ eſt verè contradicens, bona erit argumentatio; ſcilicet, Hoc non eſt nobis euidenter incredibile, ergo hoc non eſt nobis euidenter falſum. Inde autem non concluditur, ergo eſt euidenter uerum. Multa enim nec ſunt nobis euidenter uera, nec euidenter falſa: ut Catholicum Regem noſtrum Philippum eſſe nunc Matriti, nec perſpicuè verum eſt, nec manifeſtè nobis falſum videtur. Notent argumentũ, qui Theologiæ ſunt initiãdi: nam ad 1. articulum 2. 2. diui Thomæ non erit inutile.

Notanda reſponſio.

Quid ſit locus Sophiſticus, ac quotuplex ſit. Cap. 2.

Quot ſint argumẽtorum genera, quibus Sophiſtæ libenter vtuntur.

IAM argumenta, quibus ſophiſtæ vtuntur, vt optatos fines conſequantur, triplicia ſunt: alia conſtant antecedente falſo, aut improbabili; ſed conſequutione bona alia: antecedente vero, ſeu probabili; ſed cõſequẽtia mala: alia ad extremum antecedente falſo, & conſequutione mala. Quum itaque argumenta ſunt primi ac tertij generis, facilè eſt interdum ea ſoluere, negando antecedens. Quòd ſi difficilè vnquam fuerit, non pertinet ad præſentem librum id oſtendere; ſed oportet in ſcientijs hominem eſſe bene doctum, ut intelligat quæ ſententia ſit apud cuiuſque facultatis, diſciplinæq; peritos apertè falſa, & quæ incredibilis. At quum ſecundi generis argumenta proponuntur, neganda eſt conſequentia, ſed quia ſtatim cauſam, ob quam negetur, quærent, ideò in hoc libro de locis Sophiſticis diſputandum fuit; ut citò poſsimus reſpondere, ideò conſequentiam eſſe negatam, quia innititur tali, aut tali loco ſophiſtico. Quare dicendum eſt, quid ſit locus Sophiſticus: ac eius ſpecies, atque formæ tractandæ ſunt. Sicut autem locus Dialecticus eſt duarum rerũ connexio, ob quam neceſſaria argumentatione colligimus uni eorum quidpiam cõuenire,

uenire, quia conuenit alteri: ſic locus Sophiſticus eſt apparens duorum connexio, cuius cauſa id quod vni conuenit, malè tribuitur alteri. Quamobrem ait diuus Thomas in libello citato, omnem locum ſophiſticum conſtare & cauſa apparentiæ, & cauſa non exiſtentiæ: id eſt, quemuis locum ſophiſticum habere aliquid, ratione cuius uidetur rectè inferri concluſio; & aliquid inſuper, quod ne bene colligatur, efficit. Sumamus in exemplum primum locum Sophiſticum, qui eſt vocis Homonymia, ſeu Aequiuocatio. Certè in hoc argumento, Omnis taurus habet cornua, ſed quidam mons eſt Taurus, ergo quidam mons habet cornua; cauſa apparentiæ eſt unitas nominis in monte & animali: cauſa verò non exiſtendi, aut falſitatis, eſt rerum magna diuerſitas. Quamobrem loci ſophiſtici appellantur fallaciæ, quia ſpecie & imagine bonæ connexionis fallunt reſpondentes; non ſecùs quàm homo cibis veſtito, facilè piſces ineſcantur. Quæ etiam cauſa fuit, vt ab alijs Captiones appellarentur. Sed hæc quidem aculeorum tegumenta nonnunquam ex vocibus, aliquando ex rebus ipſis petuntur. Quocirca ſophiſtici loci meritò diuiduntur in eos, qui ad voces pertinent, & qui ad res ipſas. Quum enim technæ à voce oriuntur, appellantur captiones, aut fallaciæ ex dictione; quum ex rebus, dicuntur captiones extra dictionem. Porrò in has (ut ita dicam) ſalebras incurrere poteſt quiſque aut cum alio diſputans, aut ſecum res tractans: quemadmodum accidit his, qui ſoli aut rerum ſpecie, aut vocum Homonymijs ignoranter, imprudenterq; decipiuntur. At facilius eſt his incommodis apud ſe quenque occurrere, quàm quum ad aduerſariorum argumenta reſpondet. Nam qui in ſolitudine poſitus legit, canem eſſe animal, poſtmodumq; in alio auctore reperit, quoddam aſtrum appellari Canem, vnde ſtatim colligit, quoddã aſtrum eſſe animal, in ipſo momento aſſenſum retinet, & quaſi iudicium continet, dereq; ipſa cogitare diligentiùs incipit. At ſi idem argumentum alius, ſpectante populo, ei propoſuiſſet, quando ventum eſſet ad cõſequens quid ageret? Quamuis enim certiſsimè noſſet falſum eſſe, quod infertur, nec rectam eſſe argumentationem, non ſatisfaceret, multitudini, niſi ex tempore cauſam redderet, quare eo argumento nihil efficeretur. Vt igitur facilè, prompteq; deceptionis cauſas & explorare quiſque poſſit, & his, qui diſputationi interſunt, patefacere, explicantur à Dialecticis loci omnes ſophiſtici. Sed priùs hi qui uocibus innituntur, quoniam potiſsimùm hic labor ab ipſis ſuſcipitur, ut diſputantibus, altercantibusq; in nos ſophiſtis occurramus. Diſputationes autem uocibus proximè & immediatè habentur.

Sophiſtici loci definitio.

Sophiſtici loci diuiſio.

Libri partitio ordoq; diſputationis.

Dubitatiuncula.

An ex Dialect. locis argumenta neceſſaria ſeruantur.

QVomodo poteſt defendi, locos Dialecticos ſuppeditare nobis argumenta neceſſaria; cùm dictum ſit libro ſuperiore, tantùm ex eis ſumi argumenta probabilia, & contingentia? Reſpondetur, argumenta Dialectica eſſe neceſſaria, neceſsitate conſequentiæ, non autem antecedentis & conſequentis. Aut alijs verbis dicimus, argumenta Topica neceſſaria eſſe quoad conſequutionem, aut formam; licet quoad materiam ſint probabilia & contingentia. Sunt nihilominus argumenta Topica, quæ quoad conſequutionem etiam ſunt probabilia; ſed illa non ſunt ſyllogiſmi. Quid igitur inquies erunt? Sæpe inductiones imperfectæ, ut Hic Germanus eſt albus, & ille; itemque alius, & ita cæteri quos Hiſpaniæ

Quedã argumenta Dialectica conſequẽtię neceſſitatẽ non exigunt.

vidimus; ergo omnes Germani ſunt albi: non enim antecedens ſolùm eſt contingẽs, ſed & conſequentia aliquantulùm dubia. Præterea ſæpe erunt enthymemata, ſæpe exempla, quæ (ut conſtat) quamuis cùm ſunt firmæ argumentationes, neceſſariò inferunt concluſionem; tamen nonnunquam aliquantulùm ſunt remiſſæ: tumq́ ne non neceſſariò inferunt concluſionem, ſed probabiliter: niſi adeo a recto deuient, vt potiùs ſophiſmata debeant appellari. Quare (meo iudicio) diſcrimen eſt vel maximum inter ſyllogiſmum, & tres alias argumentationis ſpecies, qnod ſyllogiſmi ſiue perfecti ſint, (vt qui ad quatuor priores modos primæ figuræ pertinent) ſiue imperfecti, vt cæterorum modorum, neceſſariò ſemper concluſionem inferunt; quod profectò ab alijs tribus formis longè abeſt. Nam (vt lib. 5. cap. 15. diximus) dantúr quædam imperfectæ inductiones, quibus in varijs negotijs vtimur, quæ nõ neceſſariò conſequẽs inferunt. Quod idem de enthymematibus, exemplisq́ue ita perſpicuum eſt, vt exẽpla adhibere nolim. Si autem à me cauſam diſcriminis exigis, aliam aſsignare non poſſum, quàm ſyllogiſticæ formæ pręſtantiam. Vt enim in rebus humanis videmus in mercibus pretioſis nullum admitti defectum: in alijs autem vilioribus tolerari minuta quædam vitia: ſic in ſyllogiſmo (quod ad neceſsitatem conſequutionis attinet) nulla toleratur probabilitas, aut contingentia: in alijs fertur. Hinc perſpicuũ eſt, multa recipi enthymemata, multa exempla, multas inductiones, quæ non ſunt bonæ argumentationes.

Quid ſyllogiſmus ab alijs argumentationis formis differat.

De fallacia Homonymiæ. Cap. 3.

CAptiones autem quæ ex vocibus oriuntur, quinque recenſentur, nempe Homonymia, Amphibolia, Compoſitio & Diuiſio; Accentus & Figura dictionis. Fallacia autem Homonymiæ, vel æquiuocationis in eo ponitur, vt quod vni conuenit, alteri conuenire dicatur, ob eam ſolùm cauſam, quòd nomen commune habeat. Cõmittiturq́ue tribus modis, primus eſt, quando nomen vnum competit multis, ſed diuerſis penitùs rationibns: vt Omnis canis latrat, ſed quoddam ſydus eſt Canis, ergo quoddam ſydus latrat. Secundus, quum tametſi nomen illud non conueniat eiſdem penitùs rationibus, tamen vni propriè alteri per Metaphorã conuenit: vt Omnis qui ridet, aperit os, atqui pratum ridet, ergo pratum aperit os. Tertiò, quia licet nomen eadem ratione varijs rebus conueniat, accipitur tamen vt diuerſa tempora adſignificat. Vt Qui ſurgebat, ſtat; ſed ſedens ſurgebat, ergo ſedens ſtat: nam ſedens in aſſumptione accipitur, vt participium temporis præteriti, & ſignificat eum qui priùs erat ſedens, poſtea ſurrexiſſe; at in conſequente accipitur vt participinm præſentis; & idcircò eſt falſum conſequens. Is enim qui nunc ſedet, non ſtat.

Quot modis hæc captio ſophiſtis ſit in vſu.

Omnibus autem his argumentis vna eſt communis reſponſio. Negari enim debet conſequntio, protinuſque adhibenda eſt ratio, cur negaueris; nempe quia in ea cõſequutione fallacia Homonymiæ continetur. Idem in omnibus ſequentibus locis faciendum eſt, ne ſæpius idipſum inculcem. Verbi gratia, adducitur ſyllogiſmus ſumptus ex loco figuræ dictionis, ſtatim reſpondeto: Nego conſequentiam, quia cùm fallacia figuræ dictionis nitatur, uitioſa eſt. Deinceps verò quomodo ea fallacia in argumento lateat, explicabis.

Generalis captionũ ſolutio.

Dif-

Difficultas quæ circa ſuperiora ſe offert.

CONtra ſecundum modum huius captionis eſt argumentum. Nam ille non procedit ex nomine Homonymo, ſed Analogo, nempe riſu, qui de homine atque prato analogicè dicitur. Ex analogis autem argumenta probabilia deſumuntur. Probabilia dixi? Immò & demonſtratoria: vt ſtatim explicabitur. Ad hoc argumentum reſpondent quidam, ex analogis non duci firma argumenta. Cumque videant in Metaphyſica & Theologia multa probari de Deo ex creaturis (quod reuera eſt ex analogis argumentari) negant ea, quæ Deo & creaturis communia ſunt, vt Ens, atque Bonum analogicè de ipſis efferri, quin potiùs eſſe vniuoca. Quòd ſi eis Ariſtotelem proferas, vbique entis analogiam prædicantem, ab ipſo etiam ſe diſſentire gloriantur. Sed horum ſententiam acutè (vt ſolet) Caietanus refellit, quum opuſculi de Ente, & Eſſentia caput ſecundum interpretatur. Alij reſpondent, quædam eſſe analoga, quorum ſignificatum propriè competit ſui analogatis, vt ens ſubſtantiæ & accidēti; Deo & creaturæ; alia quæ vni analogato propriè tribuuntur, alijs verò impropriè, vt hoc nomen Leo cuidam bruto & homini feroci. Concedunt igitur, ex analogis primi generis colligi firmiſſima argumenta, ſæpeq; demōſtrationis in Theologia & Metaphyſica; ex analogis aūt ſecundi generis nihil aliud quàm captiones & dolos colligi. Verùm tertia occurrit ſolutio multò præſtantior. Dicendum eſt enim, ex analogis tā primi, quàm ſecundi generis optimas raciocinationes oriri, dumtamē ſeruēt proportionem, aut proportionalitatem, ratione cuius illa analoga inter ſe conueniunt. Contra autem ex analogis primi generis, aut ſecundi nunquam ſequi neceſſariò concluſionem, ſi limites proportionis, aut proportionalitatis egrediatur. Verbigratia. Illud argumentum de riſu hominis & prati, quod pertinet ad ſecundum modum analogorum, fuit nullum, quia riſus non dicitur de homine & prato, quoniam os aperiunt; ſed quia ſicut homo quum ridet eſt lætus (excipiatur ſardonicus riſus) ſic pratum florens videtur præ ſe ferre lętitiam: atque ideò ridere dicitur. Aut certè riſus ei tribuitur, quia coloris amœnitate ſpectantium oculos oblectat, & quaſi ridentes facit. Igitur ſi intra huius proportionis fines perſiſtamus, bene argumentabimur hoc pacto: Omnis ridens eſt lætus, uel ſecum fert quandam lætitiam; ſed pratum ridet, ergo aut lætū eſt, aut præ ſe fert quandam lætitiam: non illud prius, ergo poſterius. Item in analogis primi generis hoc argumentum eſt nullum, Homo iuſtus dicitur, quia iuſtitiæ habitu præditus eſt; at Deus eſt etiam iuſtus, ergo Deus eſt habitu iuſtitiæ præditus; nihil valet: quia proportio Iuſtitiæ humanæ & diuinæ non in eo cernitur, quòd utraque ſit habitus, aut qualitas animi; ſed quia ſicut homo iuſtus ius ſuum vnicuique tribuit, ſic Deus ex ſua eſſentia talis eſt, vt neminem iure ſuo (ſi tamen reſpectu Dei Iuris nomen certa quadam ratione, quam Theologi docent, intelligatur) defraudet. Hoc autem argumentum bonum eſt, Homo iuſtus neminem fraudat iure ſuo, ſed Deus eſt iuſtus, ergo neminem fraudabit. Item Homo ſapiens cognoſcit litem & amicitiam, ſed Deus eſt ſapiens, ergo intelligit amicitias atque lites. Quo argumento vtitur Ariſtoteles aduerſus quendam Philoſophum, vt probet Deum non ignorare litem & amicitiam, quas nec homines ipſi ignorant.

Quomodo ex analogis argumentari poſſumus.

Prima opinio.

Secunda opinio.

Auctoris opinio.

De fallacia Amphibologia. Cap. 4.

Triplex deceptio.

FAllacia Homonymiæ (quoniam in vna voce accidit) ſimplicior eſt, ac priùs tractanda fuit, quàm fallacia Amphiboliæ, quæ compoſitior eſt, & in oratione cernitur. Eſt enim Amphibolia, alicuius ſententiæ ambiguitas. Ex hoc aũt loco tum argumenta petunt ſophiſtæ, quum quidpiam de aliquo colligant, ratione Amphibologicæ orationis, quæ illi accommodari poteſt. Et fit tribus modis. Primus eſt, quum partes illius orationis retinent eandem ſignificationem, eandemq́ue cõſtructionem; ſed diuerſam habitudinem, vt fit in hoc argumento: Liber Ariſtotelis poſsidetur ab Ariſtotele, ſed liber quem habes in manu eſt Ariſtotelis (cùm non ſit Platonis, alteriuſve auctoris) ergo poſsidetur ab Ariſtotele: nam in propoſitione vox Ariſt. dicit relationem poſſeſſoris, in aſſumptione verò cauſæ efficientis. Secundus eſt, quum partes ambiguæ orationis reinent eandem conſtructionem, tametſi earum ſignificatio non penitus immutetur: vt Omnes Epiſcopi ſunt homines, ſed iſti canes ſunt Epiſcopi, (eos enim uenandi gratia alit) ergo iſti canes ſunt homines. Siquidem in propoſitione vox Epiſcopi eſt in nominandi caſu, in aſſumptione nequaquam. Tertius, quando vna met oratio pluribus competit, ſed vni propriè, alteri verò impropriè: vt Quicunque arat littus, arenam ſcindit: ſed qui docet indocilem, littus arat; ergo qui docet indocilem, arenam ſcindit. In propoſitione enim, arare littus, retinet ſignificationẽ propriam; in aſſumptione autem Metaphoricam. Item enim ſignificat ac Oleum & operam perdere.

Dubitatio.

Pluriũ argumentorum correctio.

QVæritur, quomodo ſyllogiſmus poſitus in ſecundo modo huius fallaciæ fiat bonus? Reſpondetur, facillimum id eſſe, ſi prædicatum conſequentis ponatur in eodem caſu, in quo prædicatum maioris, id eſt in gignendi caſu; dicendo, Ergo omnes iſti canes ſunt hominis. Ob eam autem rem hoc à me poſitum eſt, vt ex una ratiocinatione lector intelligat, quomodo alię multæ ſint corrigendæ, quę antecedens habent ritè diſpoſitum, & propter ſimiles defectus malè concluſionem colligunt.

De Compoſitionis & Diuiſionis captione. Cap. 5.

Primus huius fallaciæ modus.

FAllacia Compoſitionis committitur, quum ea quæ oportebat eſſe diuiſa, coniunguntur: fallacia verò diuiſionis è diuerſa. Fiunt autem hæ captiones tribus modis. Primo, ſi enũtiationes modificæ compoſitæ mutentur in diuiſas, aut cõtra. Quid ſi autem enuntiatio compoſita, & quid diuiſa. libr. 4. cap. 10. diximus. Exemplum diuiſæ in compoſitam mutatæ. Quicunque poteſt eſſe albus, illum eſſe album eſt poſſibile, ſed niger poteſt eſſe albus, ergo nigrum eſſe album eſt poſsibile. Compoſita mutantur in diuiſam in hoc ſyllogiſmo. Quemcunque eſſe album eſt impoſsibile, ille non poteſt eſſe albus; ſed nigrum eſſe album eſt impoſsibile, ergo niger non poteſt eſſe albus. Ad hunc deceptionis modum innumera, quę in diſputationibus occurrunt,

runt,dubia pertinent; ſcilicet vtrum homo albus per ſe conſtet albedine,an accidentariò. Reſpondendum eſt enim,ſi illa interrogatio proponatur in ſenſu compoſito, hominem album per ſe conſtare albedine;ſicut Leo quatenus Leo, anima Leonina: ſi per Grammaticos ita loqui licet. Si verò interrogatio in ſenſu diuiſo accipiatur: reſpondendum eſt,per accidens habere albedinem;ſicut accidentariò eſt albus. Eodem pacto ſoluitur argumentum illud,quo ſolet probari contra diuum Thomam, hanc enuntiationem,Animal eſt vniuerſum,eſſe per ſe; ſi vera eſt. Nam vel intelligitur de animali,quod munere intellectus abſtractum eſt à proprietatibus indiuiduantibus, aut de eo quod non eſt abſtractum à talibus proprietatibus. Si poſtremum detur,iam illa enuntiatio eſt falſa apud diuum Thomam: Si autem prius illud concedatur,enuntiatio eſt vera,& per ſe. Nihil enim veriùs per ſe conuenit animali,quod eſt abſtractum à proprietatibus indiuiduantibus,quàm eſſe vniuerſum. Reſpondẽdum eſt autem,eam enũtiationem eſſe veram de animali,quod eſt abſtractum a proprietatibus indiuiduantibus;ſed etiam loquendo de tali animali non eſſe per ſe,quia non accipitur in ſenſu compoſito,alioqui eadem ratione probari poſſet,omnem hominem,de quo verè dici poteſt eſſe album: habere per ſe albedinem. Quare nulla daretur enuntiatio vera,quæ poſſet eſſe contingens. Hinc etiam liquet,quid reſpondẽdum ſit ad dubium Theologorum, An homo prædeſtinatus poſsit damnari. De qua re conſulantur ſapientiſsimi quique Theologi:nobis enim ſatis eſt rem attigiſſe.

Vtrum homo albus per ſe conſtet albedine.

Opinio diui Thomę de Vniuerſis defenditur.

Secundò vtitur hoc genere captionis ſophiſta,quando ea quæ competunt alicui coniunctim,tribuit diuiſim;aut ea quæ repugnant diuiſum,remouet coniunctim:aut contra exemplum fallaciæ diuiſionis. Quicquid conſtat ex binario & ternario,eſt binarius & ternarius;ſed quinarius non eſt ternarius,neque etiam eſt binarius;ergo quinarius non conſtat ex binario & ternario. Exemplum fallaciæ compoſitionis. Quod conſtat ex binario & ternario, eſt ternarius & binarius;ſed quinarius conſtat ternario & binario, ergo quinarius eſt ternarius,& eſt quoque binarius. Denique committitur hæc fallacia, quando aliqua pars orationis in vna enuntiatione iungitur alicui,& in alia ab eo ſeparatur;aut è diuerſo:vt in hoc ſyllogiſmo,Quicũque viuit ſemper,erit,hic ſenex viuit,ergo hic ſenex ſemper erit.

Secundus modus huius fallaciæ.

Tertius modus.

Dubia huius capitis.

PErcũctabitur aliquis an hoc argumentum,Iſte canis eſt pater, & eſt tuus, ergo eſt pater tuus, pertineat ad hanc fallaciam. Reſpondetur,pertinere ad ſecundũ eius modum,tametſi, quia in eo reperitur captio accidentis, diuus Thomas illud reducat ad locum accidentis:vbi nos de eo tractabimus.

Item rogabit aliquis,quomodo tertius modus differat à captione Amphibologię, nam illa oratio,Omnis qui viuit,ſemper erit,eſt Amphibologica,ſicut illæ, de quibus cap.4.egimus.Reſpondetur,non pertinere tertium hunc modum ad Amphiboliam, quia Amphiboliæ fallacia accidit quum pars orationis,quæ eſt deceptionis cauſa,eidem voci coniungitur in antecedente & in conſequente; quod haud fit in hoc tertio modo.

Diſcrimen tertij modi ab Amphibologia.

De

De fallacia Accentus. Cap. 6.

De accentu.

QVum non attenditur accentuum diuerſitas, facilè erratur, ut in hoc argumento, Quicunque verè dicit occidi, interficit hominem, ſed homo quum moritur, verè poteſt dicere occidi; ergo interficit hominem. Itaque in vocibus diligenter conſiderari debet, vtrum'ne ſyllabæ accentu graui, an acuto, an circumflexo proferantur: item an producantur, an potiùs corripiantur. Ad hanc fallaciam reducitur captio pronuntiationis, ex aſpiratione addita, aut detracta, vt fit in hoc argumento, Quemcunque amamus, diligimus; ſed quem fallimus hamamus, ergo quem fallimus diligimus. Denique ad hunc locum pertinet argumentum, quum vox in vna enuntiatione pronuntiatur quaſi vna dictio, in alia vt duæ: vt Quicquid fit inuitè, fit coactè; ſed Deus vinum fecit in vite, ergo vinum fecit coactè.

Quæſtiunculæ.

De ordine tractationis fallaciarum.

QVare cùm fallacia Accentus pertineat ad vnam dictionem, & Fallacia compoſitionis & diuiſionis ad integram orationem, non eſt præpoſita fallacia Accentus fallaciæ compoſitionis; maximè cùm ob eam cauſam præpoſita ſit fallacia Homonymia fallaciæ Amphilogiæ? Reſpondetur, in his fallacijs non tam conſiderari quæ ſit ſimplior, quàm quæ maiores deceptionis occaſiones præbeat. Et quia minùs latet deceptio accentus, quàm compoſitionis & diuiſionis, ideò fallacia accentus inferiorem locum obtinet. At fallacia Homonymiæ & Amphibologiæ, quoniam pares ſunt in dolis, ideò ad ſimplicitatem & compoſitionem confugiendum fuit Doctoribus: & illis prælata eſt, quæ eſt ſimplicior, nempè Homonymiæ.

Aliquis præterea quæret: vltimus modus in hoc capite à nobis relatus, quomodo non ſit fallacia compoſitionis & diuiſionis. Sed (vt prætermittam aliam non cõtemnendam ſolutionem) reſpondeo, id fieri, quia fallacia compoſitionis & diuiſionis ex vnius dictionis ad diuerſas dictiones applicatione conſurgit: at tertius hic modus ex vnius dictionis diuiſione fit.

De fallacia Figura dictionis. Cap. 7.

REliqua eſt captio ex forma, aut figura dictionis orta, qua tum reſpondens irretitur, quum ex eo quod duæ res habent nomen ferè ſimile, id quod vni cõuenit, alteri poſtea accommodatur. Id au tem tribus modis committitur. Primus, ſi nomen fœmininum mutetur in maſculinum; aut è diuerſo: aut genus neutrum malè accipiatur. Exemplum: Omnis res prædita albedine, eſt alba, ſed Paulus eſt res prædita albedine, ergo Paulus eſt alba. Secundus, ſi id quod pertinet ad vnam Categoriã, ob nominis ſimilitudinem, in aliam transferatur; ut Quod heri emiſti, hodie comediſti: ſed carnes crudas heri emiſti, ergo carnes crudas hodie comediſti. Mutatur enim Quod in Quale; id eſt ſubſtantia in qualitatem. Quod enim iſte emit heri, illud idem comedit; ſed non quale erat, quum illud emit. Cruditas autem & aliæ huiuſmodi

Primus modus huius fallaciæ.

Secundus.

ſuſmodi ad qualitatem pertinent. Nec ſolùm in diuerſarum Categoriarum attributis hic fallaciæ modus accidit, verumetiam in his quæ cùm eiuſdem ſint Categoriæ, diuerſimodè prædicantur. Vt ſi quantitas continua vertitur in diſiunctam, aut contra. Exempli gratia. Quantos digitos puer habuiſti, tantos habes modò; ſed paruos digitos puer habuiſti, ergo paruos habes modò. Propoſitio enim intelligitur de quantitate digitorum, quoad multitudinem: aſſumptio & concluſio quoad magnitudinem. Tertius, ſi mutatur qualequid in hoc aliquid. Vocat Ariſtot. in Categoria Subſtantiæ Qualequid, ſubſtantias vniuerſales: & Hocaliquid ſubſtantias ſingulares. Homo eſt qualequid, Petrus hocaliquid. Cuius diſcriminis rationem explicat ſapientiſsimè Cardinalis Caietanus in Categorijs. Exemplum huius fallaciæ. Petrus eſt alius ab homine, ſed Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt alius à ſe. In hac enim fallacia ita ſumitur hoc nomen Homo ac ſi eſſet ſingulare, & non potiùs vniuerſale; comprehendens ſuo ambitu & Petrum, & alios homines.

Quæſtio circa præcedentia.

QVæritur, an poſsit reddi probabilis aliqua ratio numeri harum fallaciarum, quare ſcilicet captiones in dictione poſitæ non ſint plures his, quas enumerauimus? Oportuit ſanè hanc quæſtionem in hunc locum differri, quo facilior eſſet ſolutionis intelligentia. Vtemur autem diui Thomæ laboribus more noſtro. Is ergo in libello Fallaciarum ita reſpondet quæſtioni. Cùm enim omnis fallacia duabus partibus conſtet, nempe cauſa apparentiæ, & cauſa non exiſtentiæ; & præterea in fallacijs q̃ pertinent ad voces cauſa apparentiæ ſit vnitas vocis, ſicut cauſa nõ exiſtentiæ eſt rerum ſignificatarum magna diuerſitas: profectò quot modis poterit vocis vnitas rebus inter ſe maximè diſsidentibus accõmodari, tot erunt in dictione fallaciæ. Vnitas autem nominis eſt gemina, vera ſcilicet, & apparens, quam diuus Thomas appellat phantaſticam, id eſt imaginariam. Apparens vnitas vocis eſt inter hoc nomen Homo & Petrus. Nam (vt Ariſtoteles in Categorijs docet) omnis ſubſtantia videtur ſignificare hocaliquid, id eſt rem determinatam: cùm tamen ſecunda ſubſtãtia, ut homo, non ſignificet hocaliquid, ſed qualequid: id eſt prædicatum vniuerſale, multiſque commune. Ex hac vocis vnitate ſimulata conſurgit fallacia figuræ dictionis. At vera unitas vocis duplex eſt, alia quæ actu multiplicem ſignificationem admittit, alia quæ ſola poteſtate. Ea autem vox dicitur actu multas ſignificationes inuoluere, quæ tametſi nihil mutetur, eademq́; permaneat, multa ſignificat. Vt hæc vox Taurus & montem ſignificat, & animal quoddam. Inſuper hæc oratio, Littus arat, eadem permanens, ſecundùm vocem multa ſignificat. Sed illa dicitur multiplicem ſignificationem ſola poteſtate habere, quæ ſi aliqua ratione mutetur, ſortietur varias ſignificationes. Motùs enim eſt actus exiſtentis in potentia, &c. vt hęc vox Occidi ſi variè mutetur ſecundùm accentum, varias habebit ſignificationes. Igitur ſi talis unitas fuerit, qua actu multas ſignificationes recipiat, conſtituitur prima & ſecunda fallacia. Prima quidem ſi vna vox fuerit: ſecunda verò ſi oratio. At ex uoce ſola poteſtate multiplici colliguntur tertia & quarta captio: tertia ſi fuerit oratio, quarta ſi vna dictio. Quare autem ex multiplici in potentia colligantur fallaciæ alio ordine, quàm ex multiplici actu, expoſitum eſt cap. 6. Hinc efficitur ordo captionum. Primum enim locum obtinent illæ, quæ pertinent ad vnam re uera vocem; quæ verò

Quare tot fallacię in dictione numerentur.

Apparens vnitas.

Quæ vox verè & actu multiplex cenſeatur.

Vox verè multiplex, ſed poteſtate.

rò a d fucatè vnam,poſtremum.Ideo enim appellatur Figura dictionis,quia ex vnius vocis ſpecie,atque imagine fallit. Porrò fallaciæ Homonymiæ & Amphibologiæ præcedunt fallacias Compoſitionis,& Diuiſionis, atque Accentus,quia actus præfertur potentia.

De captionibus extra dictionem, primumq́; de Accidentis fallacia. Cap. 8.

SEd quoniam ita à principio diuiſimus , vt alios ſophiſtarum locos diceremus in vocibus ipſis hærere , de quibus ſatis eſt dictum,alios ex rebus aſſumi,de ipſis quoque dicamus.Omnes enim percurrẽdi ſunt, quandoquidem cœpimus. Hæ igitur captiones , quæ vt præfati ſumus ab his qui hæc tractant (quamuis ſine vocibus à ſophiſtis minimè vſurpentur) Extra dictionem , ideò appellantur, quia non ex vocibus,ſed ex rebus petuntur,ſeptenario numero continentur. Prima dicitur Accidentis; ſecunda Ex dicto cum adiectione, ad id quod ſimpliciter & abſolutè dicitur;ſeu(vt antiqui,non ita quidem Ciceroniani, ſed noſtræ ætatis hominibus doctiores,loquuntur)à dicto ſecundùm quid, ad dictum ſimpliciter:tertia ignorantiæ Elenchi:quarta Petitionis principij: quinta Conſequentis:ſexta Ex non cauſa , vt cauſa : ſeptima Ex multis interrogationibus ac ſi eſſet vna. Nam autem aliqua huius numeri cauſa reddi poſsit, dicemus in 14.cap. Nunc de fallacia Accidentis dicamus.

Quid ſit fallacia Extra dictionẽ, & quotuplex ſit.

Res quę in diſputationem ueniunt.

Principiò illud notandum eſt,eorum quæ in diſputationem veniunt,alia ſolo nomine differre,ut veſtis & indumentum;alia nomine & ratione, vt homo & brutum; alia denique nomine diſtingui,& præterea rationem partim eandem , & partim diuerſam habere,vt homo & animal. Quicquid enim ponitur in definitione animalis,ponitur in definitione hominis:ſed aliquid ampliùs huius definitio continet.Huiuſmodi etiam ſunt homo & riſibile : nam homo in definitione riſibilis ponitur,nõ è diuerſo.Deinde obſeruandum eſt, ex attributis accidentarijs quædam ad primas notiones pertinere,ut eſſe album,aut rufum:quædam ad ſecundas notiones, ut eſſe genus,aut ſpeciem. His poſitis,facilè erit accidentis captionem definire, eiuſque modos recenſere.

Quid hæc captio ſit.

Fallacia accidentis eſt,eorum quæ in diſputationem veniunt accidentarius nexus,ex quo id quod de vno dicitur,transfertur quoque in alterum.Exẽpli cauſa,Homo eſt riſibilis,riſibile eſt proprium,ergo homo eſt proprium . Sit igitur prima regula.

Prima regula circa hanc fallaciam.

In rebus primi generis poteſt ſolùm committi fallacia accidentis in his,quæ pertinent ad ſecundas notiones . Vt Veſtis eſt indumentum,indumentũ eſt neutrius generis,igitur veſtis eſt neutrius generis.Item Homo eſt animal rationale,ſed animal rationale eſt definitio,ergo homo eſt definitio . Secunda regula.

Secunda.

In rebus ſecundi generis poſſunt committi fallaciæ in accidentibus,quæ pertinent ad primas & ſecundas notiones:vt Homo eſt ſapiens,ſapiens eſt accidens,(ſaltẽ in cõcreto)ergo homo eſt accidens. Item Cognoſco venientẽ,ſed veniens eſt Coriſcus, ergo cognoſco Coriſcum. Si enim cognoſcam aliquem obuiam mihi venire, ignorem autem illum eſſe Coriſcum,antecedens erit verum,& conſequens falſum . Tertia regula , In rebus tertij generis poteſt eſſe vſus huius captionis,& quidem ſatis

Tertia.

frequens;tam in rebus ſecundarum notionum , vt Homo eſt animal, animal eſt genus,ergo homo eſt genus,quàm primarum,ut Omnis homo eſt animal,ſed aliquod animal eſt quadrupes,ergo aliquis homo eſt quadrupes .

Diſ-

Difficultates.

QVid eſt, quod ait diuus Thomas in hoc capite, hanc eſſe fallaciam accidentis, Iſte canis eſt pater, & eſt tuus, ergo eſt pater tuus, cùm dixerimus ſupra eſſe fallaciam compoſitionis & diuiſionis? Reſpondetur, nihil mirum eſſe, ſi vnus & idem ſyllogiſmus ad diuerſas fallacias pertineat. Docet enim diuus Thomas in hoc loco, hunc ſyllogiſmum, Petrus eſt alter ab homine, ſed Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt alius à ſe, peccare fallacia accidentis, & fallacia figuræ dictionis. Vna, eademq; captio ex diuerſis fontibus manat.

Altera difficultas. Quare hic ſyllogiſmus, Iſte canis eſt pater, & eſt tuus, ergo eſt pater tuus; eſt fallax: & hic alius, Iſte homo eſt ſubſtãtia, & eſt rationalis, ergo eſt ſubſtantia rationalis; eſt bonus? Reſpondetur, hoc argumentum non poſſe diſſolui, niſi exponatur primùm ea quæſtio, quam Ariſtoteles 2. Periherm. tractat, An ſcilicet à partibus prædicati compoſiti ad totum prædicatum; ſimiliterque à toto ad ſingulas partes efficax argumentum ſit. Explicat hanc quæſtionem Caietanus 2. Periherm. lect. 6. & 7. Sed fortè breuius quinque regulis diſſoluetur: ſi primùm annotauerimus, partes prædicati compoſiti aliquando conſtituere vnum per ſe, ut animal & rationale conſtituunt hominem; homo autem & alia huiuſmodi ſunt entia per ſe: aliquãdo verò conſtituere vnum per accidens, ut homo & albedo conſtituunt hominem album; itemq; Muſicum & album, conſtituunt Muſicum album. Hoc igitur probè ſtabilito ac fixo, hi canones recipi debẽt. Primus. In his quæ conſtituunt vnum per ſe argumentari licet à partibus ad totum, & à toto ad partes: ut Eſt animal, & eſt rationale, ergo eſt animal rationale: contra etiam, Eſt animal rationale, ergo eſt animal, & eſt rationale. Nihilominus offert ſe argumentum in hunc canonem. Cenſent enim plerique viri docti, Totum non diſtingui à ſuis partibus ſimul ſumptis. Quare apud ipſos (ſaltem identicè) nihil aliud eſt homo, quàm ſua anima, ac ſuum corpus: at quã quam anima & corpus conſtituant vnum per ſe, non poſſunt de homine diuiſim prædicari, etiam in ſenſu identico. Hoc enim pronunciatum falſum eſt, Homo eſt ſuum corpus: itemque hoc aliud, Homo eſt anima: alioqui filius Dei in triduo fuiſſet homo, cùm haberet animam ſibi vnitam, & corpus etiam, à ſe inuicem tamen disiuncta. Ergo ſaltem illi qui defendunt prædictam opinionem, non poſſunt hunc canonem approbare. Reſpondetur, immò poſſe, quia poterunt dicere, non eſſe intelligendum quando antecedens eſt ſolùm verum in ſenſu identico. Quare cùm illa enuntiatio, Homo eſt anima & corpus coniuncta, ſolùm ſit vera in ſenſu identico, non oportet ſingulas attributi partes ſeparatim de homine efferri, etſi vnum per ſe conſtituant. Reſpondetur ſecundò, ideo non approbari illam conſequentiam, qui prædicatum debet ſignificari vt totum reſpectu ſubiecti; at in conſequente cùm ſumatur corpus ſolùm, aut ſola anima, neutrum ſignificatur vt totum: & ita quæuis pars conſequentis eſt falſa: ſubindeque totum conſequens. Igitur ſi illa conſequutio eſt mala, ob hũc alium defectum eſt mala, & non ex defectu regulæ. Omnes enim canones Dialectici, aliquam conſequutionem approbantes, intelligendi ſunt, niſi ea conſequutio aliunde vitietur. Quare hęc argumentatio eſt optima, Homo eſt anima & corpus, ergo homo eſt animatus, & homo eſt corporeus. Secundus canon. Interdum bene argumentamur à partibus totius compoſiti, quod eſt vnum per accidens, ad ipſum totũ, & è diuerſo; vt Eſt homo, & eſt albus, ergo eſt homo albus: item-

Longa diſputatio coniũctis, diuiſiſque prædicatis.

Primus canõ de his attributis.

Qui totũ à ſuis partib. ſimul ſumptis diſtingui negant, quid de ſuperiori canone ſentiunt.

itemque Petrus eſt homo albus, ergo Petrus eſt homo, & Petrus eſt albus. Sed quando id erit? Sit tertius canon. Quotieſcunque eandem retinebunt vocabula ſignificationem, quum erunt ſeparata, quam habebant ſimul ſumpta, non erit inanis illatio: vt patet in propoſitis exemplis. Efficitur hinc toties eſſe malam argumentationem, quoties vocabulorum ſignificatio modò in hãc, modò in illam partem voluitur. Exemplum inutilis argumẽti a partibus ad totum: Iſte canis eſt pater, iſte canis eſt tuus, ergo iſte canis eſt pater tuus. Nam in propoſitione illa vox Tuus ſignificat te eſſe dominum eius, in conſequente verò, te illi ſubdi tanquam parenti. Aliud exemplum vanæ collectionis à toto compoſito ad partes, Hoc eſt Leo pictus, ergo hoc eſt Leo, & eſt pictum: antecedens verum eſt, conſequens falſum. Nam in antecedente illa dictio Leo, non ſignificat Leonem, ſed Leonis imaginem, propter illam vocem Pictus ei additam: at in conſequente, quoniam in eadem enuntiatione Categorica nihil ei additur, ſignificat viuum Leonem; quia analogum abſolutè prolatũ pro ſignificato nobiliori accipiendum eſt. Quartus canon. Siue ex partium mutua coaptatione, coagmẽtationeq; fiat vnum p ſe, ſiue potiùs vnum per accidens, nunquam recta efficietur concluſio, ſi ſequatur nugatio, tam explicita, quàm implicita. Vnde non ſequitur, Petrus eſt animal, ſed Petrus eſt animal rationale, ergo Petrus eſt animal rationale. Item non ſequitur, Petrus eſt homo, & Petrus eſt rationalis, ergo Petrus eſt homo rationalis. Hæc enim eſſet nugatio implicita, ſicut ſuperior explicita; quia in hac inutilis, ſed occulta repetitio accidit (in homine ſiquidem iam clauditur rationale) in ſuperiori aperta. Ex quibus iam intelligitur, quid reſpõdendum ſit ad argumentum initio difficultatis propoſitum.

Quartus.

Quot modis aliqua enũtiatio poſsit dici accidentaria.

Tertia difficultas. Ex his quæ in vltimis verbis huius capitis ſcripſimus, ſequitur, cõmitti fallaciã accidẽtis in hoc argumẽto, Brutũ eſt animal, ſed animal eſt rationale, ergo brutum eſt animal rationale. Probatur autem non committi. Nam maior eſt enuntiatio per ſe, minor eſt neceſſaria, ut docuimus lib. 4. cap. 13. in difficultatibus. Reſpondetur, accidentis captionem in eo ſyllogiſmo inueniri, quia illa enuntiatio, Animal eſt rationale, eſt accidentaria. Licet enim, quòd attinet ad libros Prior & Poſter. ſit neceſſaria, cùm æquipolleat particulari, & eius contradicens ſit impoſsibilis; ueruntamen quòd attinet ad libros Elenchorum, eſt accidentaria: quia omnis enũtiatio, cuius ſubiectum eſt vniuerſale, & ei non poteſt addi nota vniuerſitatis, hoc loco accidentaria iudicatur. Quemadmodum apud Ariſtotelem hęc propoſitio, Homo exiſtit in rerum natura, eſt neceſſaria, & ſanè in hoc libro debet accidentaria iudicari, cùm ex ea captioſa argumentatio, & quidem pertinens ad locum accidentis, colligatur: ut in hoc ſyllogiſmo, Antichriſtus eſt homo, ſed homo exiſtit, ergo Antichriſtus exiſtit.

De captione à dicto ex parte, ad id quod abſolutè dicitur. Cap. 9.

Huius fallaciæ definitio.

BIfariam ſolent nomina rebus imponi. Nonnunquam enim abſolutè eas nominamus, interdum autem cum adiectione. Philippum ſiquidem Regem eſſe dicimus, cùm eius imaginem non uocemus Regẽ, ſed Regẽ pictũ. Ergo ſi ob eã cauſam alicui rei nomen ſimpliciter conuenire colligimus, quia cum adiectione cõuenit, id

huius

huius captionis,quam explicare volumus,proprium eſt. Et quoniam doctrinæ auidum lectorem inſtituendum ſuſcepi,dabo operam,vt ei quàplurimùm proſim. Quare ſi longior fuero,nihil a meo inſtituto aberrabo. Malo enim,vt reliquiarum ſit potiùs aliquid,quàm vt non ſaciatus lector diſcedat. Quatuor igitur modis aliquid poteſt nominibus addi:primùm, ita vt rei ſignificatæ diffinitionem non mutet,vt homo albus. Nihil enim minùs conuenit hominis definitio homini albo,quàm ſi albus nō uocaretur. Secundo,ita ut tollat eius definitionem, vt quum dico, Homo mortuus. Illa enim vox mortuus deſtruit hominis definitionem;nempe ſubſtantiam corporeā, animatam, &c. Idem aſſero de homine in potentia:nam illa dictio, in potentia, tollit quodammodo eius definitionem. Tertio,quando vt non omninò tollat, minuit tamen ſatis rationem eius,cui additur,& ad certam partem comprimit: vt albus dentibus. Is enim qui dentibus ſolum eſt albus,albedinem habet; ſed tenuiſsimè. Quarto, quum rei definitionem mirùm in modum amplificat, diſtrahit, atque dilatat;ita videlicet,vt non modo rei illi conueniat,cui nomen abſolutè prolatum verè conueniret;ſed multis præterea alijs:vt hæc oratio,Deus exiſtimatus.Non enim is ſolum qui verè eſt Deus,exiſtimatus Deus; ſed is etiam qui non eſt : vt Iupiter à Gentilibus.

Quot modis addita mēta proponantur

Nunc hæ aſſertiones notentur. Prima. Si id quod additur eſt primi generis,nulla fallacia eſt,cùm argumentemur à parte ad totum in modo: vt Eſt homo albus,ergo eſt homo. De quo iam diximus lib.7.cap.5.Secunda aſſertio. Si argumentamur ab addito ſecundi,tertij,& quarti generis,committitur fallacia, de qua nunc diſputamus. Idq; tripliciter. Primum quando additum tollit rationem, vt Eſt homo mortuus,ergo eſt homo:itemque Semē eſt poteſtate arbor,ergo ſemen eſt arbor.Secundò quando minuit,vt Aethiops eſt albus dentibus, ergo Aethiops eſt albus. Ad hūc modum refertur hæc argumētatio: Sapiens vult permittere malum,ergo ſapiens vult malum. Non enim ſemper vir ſapiens tenetur(quamuis facilè id poſsit)malis occurrere,ſed licet nonnunquam viro prudenti ea permittere,vt meliorem corrigiendi occaſionem captet. Igitur ſapiens malum permittit, cùm alioqui malum nec directè (vt aiunt)uelit,nec indirectè. Ad extremum ſi additū nimis diſtrahit rationem eius, cui additur,tertius huius captionis modus comperietur:vt orichalcum eſt aurum exiſtimatum,atque apparens,ergo orichalcum eſt aurum.

Prima aſſertio.

Secunda.

Dubitationes.

PRima eſt contra ſecundum modum huius captionis. Nam bene ſequitur, Iſte eſt ſimus naribus,ergo eſt ſimus: quare ergo non ſequetur,Iſte eſt albus dentibus,ergo eſt albus?Reſpondetur. Quia non eſt par ratio. Dantur enim accidentia, quæ tantùm poſſunt vni parti conuenire,vt ſimitas ſolùm naſo,& criſpitudo capillis: in huiuſmodi autem accidētibus poteſt ab una parte totum denominari ſimpliciter, vt Capilli huius hominis criſpi ſunt,ergo ipſe eſt criſpus. Cæterùm ex accidentibus quæ per totum ipſum diffunduntur,ut candor,non poteſt totum ab vna particula denominari,vt fabam non dices nigram ex hilo, quod in eius ſummitate nigricat.

Aliquādo ex vnius partis accidēte totū ipſum tale uocatur.

Altera dubitatio. Num ſicut à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter committitur fallacia,ita quoque à dicto ſimpliciter ad dictum ſecundùm quid? Reſpondetur, ſæpe id accidere, vt ſi ita argumentemur,Iſte eſt albus,ergo eſt albus vnguibus

Alia fallacia ſub ſuperiore cōprehenſa.

An-

Antecedens enim verum eſt,& conſequens falſum,in quibuſdam artificibus,quorũ vngues ſtatim nigreſcunt.

De ignorantia Elenchi. Cap. 10.

ELenchus eſt ſyllogiſmus contradictionis:id eſt ſyllogiſmus, quo inferimus contradicentem enuntiationis conceſſæ. Vt ſi tu concedas, omne animal habere ſenſum tactus;& probem ego, aliquod animal eo carere. Quare ſi diſputans ſophiſta fingat ſe contradicentem enuntiationis negatæ inferre, cùm id minimè præſtet, ad hunc locum eius dolus pertinet.Ignorat enim, aut ſe ignorare ſimulat verã cõtradictionis rationem.Itaq; explicare oportet,quid ſit contradictio:quæ ita definitur. Contradictio eſt affirmatio & negatio eiuſdem rei & nominis,ad idem, ſecundùm idem,ſimiliter,& in eodem tempore. Quare primùm iſtæ non ſunt contradicentes, Homo eſt animal,lapis non eſt animal; quia non ſunt affirmatio & negatio eiuſdem de eodem. Et dicitur rei & nominis, quia alioqui non apparebit contradictio;vt in iſtis, Marcus ambulat,Tullius non ambulat; deinde neque iſtæ repugnant,Senarius eſt duplus ad ternarium,& non eſt duplus ad octonarium; quia non ſunt affirmatio & negatio ad idem.Tertiò neque iſtæ,Hic homo gracilis eſt duplo maior illo pumilione,& non eſt duplo craſsior illo. Quartò à contradicentium ratione longè abſunt hæ orationes Cœlum mouetur in orbem,& cœlum non mouetur ſurſum neque deorſum;quia moueri non accipitur in vtraque ſimiliter. Demum neque iſtæ contradicunt, Tu ambulabas heri,& non ambulabas nudiuſtertius;quia ad aliud & aliud tempus referuntur.Quot ergo leges ad veram contradictionem ſeruari oportet,tot modis poteſt committi fallacia ignorationis Elenchi; ſi eas tranſgrediamur. Vnum tamen exemplum ſufficiat.Per te Socrates eſt albus, at non eſt albus quoad vngues,ergo eſt albus,& non albus.

Contradictionis definitio.

Quot modis ſint huius captionis.

Obſeruatio.

Dubia huius capitis lib.4.cap.6.tractata reperies.

De Principij petitione. Cap. 11.

TVnc temporis principium peti dicitur, quando id quod à principio probandum fuerat,poſtulatur. Quod quidem ſi manifeſtè agat ſophiſta, ridiculus erit,potiùs quàm fallax.Vt ſi quis probaturus hominem non ambulare, roget ſibi id ultro à reſpondente concedi,maximi riſus excitabuntur. At latenter Principium quinque modis peti ſolet,ut diuus Thom. in opuſ.de Fallaſc.docet.Primus eſt,ſi ad probandum aliquid de definito, petatur de diffinitione, aut è diuerſo.Vt ſi oſtenſurus ſophiſta omnem currere,petat omne animal rationale currere.Secundus quando id quod in ſpecie dubium eſt, poſtulatur in genere:ut ſi ad probandum omnem hominem eſſe album, petatur omne animal eſſe album. Tertius quando quod de genere controuerſum eſt, petitur de ſingulis eius formis & ſpeciebus: ut cùm demonſtraturi omne animal moueri,petunt omnem hominem,omneq; brutũ moueri. Quartus ſi ad probandum aliquid coniunctim, petitur diuiſim:ut quum ad oſtendendum medicinam eſſe ſcientiam ſani,& ægri,petitur medicinam eſſe ſciẽtiam ſani, & ſcientiam ægri. Denique tum hæc captio locum habet,ſi ad probandum

Definitio huius captionis.

Quinque modis præſens fallacia acidit.

dum hoc eſſe relatum illius, petatur illud eſſe relatum huius: ut ſi quando diſputatur, an diametrum commenſuretur lateri, poſtuletur latus commenſurari diametro. Hos modos collegit diuus Thomas ex 8. lib. Topic. ferè in ultimis paginis.

Argumenta in ſuperiora.

An receſſitæ argumentationes malæ ſint.

PRimùm. Quomodo huiuſmodi argumenta vt captioſa reprehenduntur, ſi optimi quique ſyllogiſmi ad aliquem eorum reduci poſsint. Nam hic ſyllogiſmus bonus eſt, & in Barbara; Omne animal rationale currit, omnis homo eſt animal rationale, ergo omnis homo currit. Reſpondetur, hos modos argumentandi non appellari captiones, quòd peccent in forma, aut materia; ſed quòd malè ſint probationes. Videntur enim probare, & non probant; quandoquidem id quod probandum eſt, petunt. Sed profectò nec ſolutio iſta dubitatione caret, præſertim cùm præſtantiſsimæ demonſtrationes probent, aliquid competere definito, quia conuenit definitioni: vt Omne animal rationale eſt riſibile, ſed omnis homo eſt animal rationale, ergo omnis homo eſt riſibilis. Quadruplex eſt huius argumenti ſolutio. Prima eſt, hos quinque modos non eſſe captioſos, nec in eis re uera committi petitionem principij: ſed tantùm iuxta vulgi opinionem. Ariſtot. 8. Topic. loco citato huic ſolutioni videtur fauere. Acturus enim de Petitione Principij, ait, ſe iam dixiſſe in Analyticis, id eſt 2. Prior. c. 12. quid eſſet principium petere ad veritatem: ſed tunc velle ſe de petitione principij ad opinionem agere; & è veſtigio aſsignat hos modos, quos tradidimus. Sed dices: Quæ igitur erit uera principij petitio? Exiſtimo, quum quis eiſdem penitùs verbis aſſumit, quod eſt probaturus: ut innuit diuus Albertus Magnus 2. Prior. Item uerò propriam, veramq; principij petitionē iudico, quum quis in eadem argumentatione unam rem per aliam probat, & è diuerſo. Vt ſi probaturus, omnem hominem eſſe riſibilem, ita argumentetur: Omnis homo eſt animal rationale, ergo omnis homo eſt riſibilis. Et negante aduerſario antecedens, illud probet, Omnis homo eſt riſibilis, ergo omnis homo eſt animal rationale. Secunda ſolutio eſt diui Thomæ hoc loco. Quando argumentamur ex definitione ad definitum, ex genere ad ſpeciem, &c. quia definitio eſt notior definito, & genus ſpecie, non committi petitionem principij: & eodem pacto nec quando argumentamur ex vno relato ad aliud, ob eam ſolum cauſam, quia non poteſt illud ſine iſto cognoſci. Quando verò ex his argumentamur, non quia aut notiora ſint, aut ſine eis illa, quæ probaturi ſumus, cognoſci non poſſunt; ſed quia rogamus à reſpondente, ea concedi: tunc demum principium peti. Tertia ſolutio eſt Cardinalis Caietani. 1. Poſter. cap. 3. quæſt. 1. ad medium. Propriè autem ea pertinet ad primū modum petitionis principij. Itaque dicit, definitionem & definitum poſſe duobus modis conſiderari: primo ſecundùm ſe, & ita ſemper peti principium, quum à definitione ad definitum proceditur. Nam quòd attinet ad rem ipſam, nihil aliud eſt homo, quàm animal rationale; nec animal rationale, quàm homo. Quare idem omninò eſt, probare hominem eſſe riſibilem, quia eſt animal rationale, ac oſtendere hominem eſſe riſibilem, quia eſt homo. Secundo poſſe conſiderari reſpectu noſtri. Qua conſideratione docet, nullum eſſe vitium quidpiam de definito per definitionem probare, quia diffinitio totam eſſentiam definiti clarè ac perſpicuè ſignificat: definitum verò implicitè & inuolutè. Quare qui probat, aliquid de definito per definitionem,

Prima ſolutio.

Secūda ſolutio.

Tertia ſolutio.

nitionem, non probat ignotum per ignotius, ſed notum per notius: nec idem per ſe ipſum, ſed per aliud ſecundum rationem, aut modum ſignificandi. Deniq; offert ſe mihi quartus modus reſpondendi, qui rem ipſam manifeſtiùs explicat. Omnium ſanè accidentium, quę de re aliqua dici poſſunt, duo genera inueniũtur. Nã alia propria ſunt, ab ipſiusq; rei eſſentia, natura'ue manant, ut facultas ridendi ab eſſentia hominis fluit; vis autem ſentiendi à cuiuſque animalis natura. Alia ſunt, quæ contingenter rebus conueniunt, ut ambulare, aut ægrotare homini. Quocirca ſi definitio tanquam medium accipiatur, ad probandum aliquod accidens primi generis illi rei cõuenire, nulla eſt petitio principij, ſaltem quoad noſtram cognitionem, ſed eſt optima ratio demonſtrandi: ſi uerò ad probandum aliquod accidens ſecundi generis, frequenter in illud vitium incidimus; etiam reſpectu cognitionis noſtræ. Quia cùm talia accidentia non competant definito ratione eſſentiæ, non eſt neceſſe, ut nobis notior ſit eorum connexio cum eſſentia & definitione, quàm cum ipſo definito. Quare ſi probentur per definitionem, petetur principium, non modo vulgi opinione, ſed ſapientium quoque.

Quarta ſolutio.

De captione Conſequentis. Cap. 12.

Primus modus huius fallaciæ.

DVobus modis poteſt committi fallacia Conſequentis, primo quando ſicut ex antecedente ſequitur conſequens, ita ex conſequente infert ſophiſta antecedens: ut ſi animal currit, mouetur; ergo ſi mouetur, currit. Secundo quando ſicut ex oppoſito conſequentis ſequitur oppoſitum antecedentis, ita ex oppoſito antecedentis infert oppoſitum conſequentis: vt ſi Plato currit, mouetur; ergo ſi non currit, non mouetur.

Secundus.

Dubia huius capitis.

DVO ſunt argumenta, quibus uidetur oſtendi, ſecundum modum non eſſe captioſum. Primum, quia Ariſtoteles 1. Poſter. cap. 10. ita ait: Si affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio erit cauſa negationis. Ergo ſi ex hac affirmatione, Plato currit, ſequitur hæc, Plato mouetur: ex negatione curſus ſequetur negatio motus. Alterum. Ariſtoteles j. de Animo cap. 1. ita argumentatur: Si anima non habet aliquam operationem propriam, id eſt, in qua non vtatur corpore tanquam organo, non poteſt à corpore ſeparari; id eſt, exiſtere extra corpus: ergo ſi habet operationem propriam, poterit ſeparari. In qua argumentatione ex oppoſito antecedentis oppoſitum conſequentis vult Ariſtoteles effici. Reſpondetur ad primum argumentum cum Cardinali Caietano 1. Poſterior. c. 13. quæſt. 6. aliud eſſe inferre, aliud (ut ita dicam) cauſare, aut efficere conſequens. Et quidem quando affirmatio infert affirmationem, non eſt neceſſe ut negatio inferat negationem. Hic enim eſt ſecundus modus præſentis captionis. At quando antecedens eſt cauſa propria & adæquata conſequentis, tunc ex Ariſtotele ſi affirmatio ſit cauſa affirmationis, negatio debet eſſe negationis cauſa. Quod profectò quum vſu veniet, non erit ſophiſma, ex oppoſito antecedentis oppoſitum conſequentis inferre. Sed addo ego, non modo licere argumentari ex oppoſito antecedentis ad oppoſitum conſequentis, quando antecedens eſt propria cauſa conſequentis; ſed etiam quando eſt proprius & adæquatus eius effectus: vt bene ſequitur, Luna patitur eclipſim, ergo Luna eſt è regione

Nũ aliquã do ex antecẽdẽtis negatione liceat cõſequentis negationem colligere.

Additamẽtum.

Solis,

Solis,& terra interpoſita eſt. Et optima quoque eſt argumentatio, Luna non patitur defectum,ergo terra non eſt interiecta. Similiter reſponderi poteſt ad ſecundum argumentum,dicendo,ibi Ariſtotelem non commiſiſſe vllam fallaciam,quia habere operationem propriam,eſt cauſa propria,aut effectus proprius rei ſeparabilis: & nō habere operationem propriam, eſt cauſa propria, aut effectus rei non ſeparabilis. Vnde & affirmatio infertur ex affirmatione,& ex negatione negatio. Chryſoſtomus Iauellus (vt eſt in omni quæſtione diligens) 1. de Animo quæſt. 10. tres alias ſolutiones aſsignat. Quare autem liceat in bona argumentatione, ex oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis procedere, & non è diuerſo, explicat idem auctor 1. Phyſic. quæſt. 11.

De Fallacia ſecundum non cauſam vt cauſam. Cap. 13.

VT docet Ariſtoteles 2. Prior. cap. 12. captio hæc committitur ſæpiſsimè in ſyllogiſmis ducentibus ad incommodum, quum ſcilicet ventum eſt ad conſequens falſum, & quærentes vnde falſitas illa prouenerit, tribuimus cauſam erroris alicui enuntiationi, quæ re uera non eſt eius cauſa. Verbi gratia. Si quis ita argumētetur, Omne animal habet tactum, & omnis homo eſt animal, ſed nullum brutum eſt homo, ergo nullum brutum habet tactum: ac deinde ſic in reſpondentem inuehatur. Hoc conſequens eſt falſum, ergo eſt falſum propter illam enuntiationem, Omne animal habet tactū; nam aliæ veræ ſunt & certiſsimæ: is peccat hac fallacia, quia falſitas huius conſequentis non erat tribuēda illi enuntiationi; ſed vitio conſequētiæ.

De Fallacia ex pluribus interrogationibus ac ſi eſſent vna tantum. Cap. 14.

FAcilè hac captione vtuntur ſophiſtæ, quando propoſita aliqua interrogatione, quæ voce quidem ſimplex eſt, & ſenſu multiplex: ſi vnica reſponſio adhibeatur, falſitatis arguunt reſpondentem. Vt ſi percunctetur ſophiſta, num homo & brutum ſint rationalia. Si reſpondeatur, non eſſe, argumentabitur ipſe, Ergo homo non eſt rationalis. Si reſpondeatur eſſe, continuò colliget, Ergo brutum eſt rationale. Quare pluribus interrogationibus plures adhibendæ ſunt reſponſiones.

Dubium circa ſuperiora.

QVæritur, vnde ſumatur numerus harum fallaciarum extra dictionem. Reſpondet diuus Thomas opuſc. de Fallacijs cap. 8. ipſarum numerum ex varijs entis diuiſionibus colligi: quibus ignoratis, deceptiones accidunt. Etenim ens aliud per ſe, aliud per accidens: ex ignoratione cuius diuiſionis ſumitur fallacia accidentis. Deinde aliud perfectum, aliud imperfectum: quam diuiſionem parum comprehendunt, qui ab eo quod abſolutè, ad id quod ex parte ſolùm tale dicitur, argumentantur. Item aliud oppoſitum, aliud ſecùs. Parum equidem id intelligit, qui falſo Elencho pro uero capitur. Quartò aliud idem, aliud diuerſum. Qui autem *Numerus captionū inueſtigatur.*

R 2 princi-

principium petit, accipit idem, tanquam diuerſum. Quintò aliud prius, aliud poſterius. Qui verò conſequentis captione irretitur, exiſtimat prius ſequi ex poſteriore, vt poſterius ex priore efficitur. Sextò aliud cauſa, aliud effectus. Penultima autem fallacia tribuit rationem cauſæ & effectus ijs, quibus tribuenda non eſt. Denique ens aut unum eſt, aut multa: & in poſtrema captione multa ut vnum accipiuntur.

Quòd inſtes ex Ariſtotele 1. Elench. & diuo Thoma in hoc opuſculo, & fallaciam accideutis procedere ex ignoratione eiuſdem & diuerſi. Reſpondetur, uerum id etiam eſſe, ſed primam radicem illius fallaciæ eſſe ignorantiam eorum, quæ per ſe, aut accidentariò rebus conueniunt. Nam quia ignoramus, quæ ſint idem ex accidenti, quæ verò per ſe, inde contingit accidentis locus. De Fallacijs igitur ſatis.

CIRCA

CIRCA OMNES SVPERIORES libros additamenta.

De vocabulis Artis. Cap. 15.

FInem hoc loco inſtitutionibus noſtris impoſuiſſem, niſi tria mihi dicenda ſupereſſent, quibus minimè explicatis, ridiculus fortaſſe nonnullis, & contemnendus viderer. Reprehendent enim me quidam ob multa vocabula, quibus in ſuperioribus libris vtor, vt vniuocum, prædicatur, maior, minor, prædicamentum, denominatur, ſubalterna, &c. alij accuſabunt, quòd Ariſtotelem ſophiſtarum more (ita enim plerique ſentiunt) aliquando per textus citauerim: nec deerūt tandem, qui mihi ſuccenſeant, quòd lib. 1. cap. 1. nonnihil Ariſtotelis gloriæ derogauerim. Qui ſanè, ut taciturnitate mea freti, nos iure contemnere videantur, non committam. Defendam enim me potiùs, & altiùs repetita oratione, partes meas agam.

Hic etiā ordo defenſionis erit in his tribus capitibus.

Fateor quidem, vocabulorum elegantiam, ſententiarumq́ue venuſtatem ad ſe quodammodo lectoris animum rapere, ac ne faſtidiat continere. Sed relicta ipſarum rerum difficultate, in eo omnem curam & cogitationem ponere, ut grandi eloquentia, ingenti facundia, ſumma verborum ac ſententiarum pompa, res abſtruſiſſimas tractes; id ego non tantùm fieri non debere, aut poſſe, ſed à Ciceronis (qui iſtis pro Deo ferè eſt) opinione, alienum puto. Illi tamen pręſertim ab ſcholis mihi, aquæ & ignis interdictione, eijciendi videntur, qui eo vſque in hoc errore proceſſere, vt nullam prorſus difficultatem, niſi quæ verbis Ciceronianis, aut Græcis ſaltem agitari poſsint, tractant. Nam grauiora dubia, quæ plura doctrinæ adiumenta deſiderant, eloquentiæ prætextu relinquunt; & diſputationes Dialecticas cum maximo eorum, qui tantùm Latinè ſciunt, detrimento reſpergunt. Quos tamen ne eloquētiæ odio, ac non magis veritatis amore reprehendiſſe videar, rationibus vtar firmiſsimis, & teſtes citabo non contemnendos, utq; Iuriſperiti dicūt, omni exceptione maiores. Primùm cùm Theologi res difficiles, omniumq́ue difficillimas tractent, quas vt ad Paulinum ſcribens diuus Hieronymus ait, Plato doctus neſciuit, Demoſthenes eloquens ignorauit, & (vt ego ſentio) Latinæ linguæ Princeps Cicero ne ſomniare quidem potuit: vnde obſecro eis erunt petendæ voces? Quòd ſi Theologis eam quam negare non poſſumus, facultatem concedimus, vt pro rei difficultate vocabula diu in ſcholis vſitata retineant, quamuis non ſint elegantiſsima; cur obſecro, Dialecticam ita polimus? quaſi verò deceat dominam vulgaribus ornamentis indui, pediſſequam aut emeius famulatum neglecto, in ſe ornanda dies ac noctes conſumere: itemq́ue illam temperato dictionis genere, ac puro, Latinoq́ue ſermone eſſe contentam; huic verò horridæ, ac ſi cum illius pulchritudine conferatur, ſordidæ arti, ne Atticè quidem loquentes ſatisfacere. Sed quoniam non omnes, qui hanc artem addiſcunt, Theologiæ ſunt initiandi, de alijs etiam diſciplinis dicamus. An Medici quum ad ſuæ artis quæſtiones explicandas Latinis vocabulis indigent, ex vno Cicerone ea colligunt? Rariſsimas quidem diſputationes abſoluerent, ſicut rariſsima ſunt, aut nulla potiùs, quæ de Morbis, ac Pharmacis Cicero ſcripſit. Num qui ius Pontificiū, aut Imperatorium tractant, ita ſuper-

Primę reprehēſioni reſpōdetur.

Prima ratio, qnia Dialectica eſt aliarū diſciplinarum organum.

ſtitioſè Ciceroniana verba quęrunt? ſed ne Hiſtorici quidē, nec Mathematici, nec Morales, aut Naturales Philoſophi, aut Metaphyſici in tantas ſe vnquam anguſtias coniecerunt, vt res ſibi ſubiectas Tullianis ſolùm verbis tractari poſſe dixerint. Alioqui nūquam ternarium, aut binarium nominarent; quia his vocabulis nunquam vſus eſt Cicero. Si igitur Dialectica harum diſciplinarum organum eſt, cuius erit mentis ſic iuuenes in Logica erudire, vt quum ad Phyſicā, Medicinam, Ethicam, aut Theologiam tranſeunt, omnes quas audierant voces, obliuiſci debeant; oporteatque præclariſsimarum ſcientiarum magiſtros, quum à Dialecticis diſputationibus venientes auditores recipiunt, vim quodammodo affe rre ſenſibus, ex eorumque animis verborum cognitiones, quibus olim imbuti fuerant, extorquere? Deinde Cicero de Bonorum, Malorumque finibus lib. 3. nimium vſum Græcarum vocum reprehendit, niſi cùm longo iam vſu tritæ ab omnibus tanquam Latinæ habentur. Iſti contra vocabula Græca omnium Latinorum ore decantata, ab ſcholis abigunt; quæ autem in hæc vſque tempora Latinis inaudita fuerunt; ab Athenis ad noſtra gymnaſia pertrahunt. Non dicunt Syllogiſmus, ſed Raciocinatio; non Perihermenias, ſed de Interpretatione; non liber Elenchorum, ſed de ſophiſtarum reprehenſionibus: cōtra autem Aequipollentię nomen in Iſodynamiam mutauerunt, Syllogiſmi probabilis in Epicherema, Concluſionis tandem in Symperaſma: ſcilicet quia vulgi, puerorumque admirationes, clamores, & plauſus quærunt: ſi autem communia, receptaque nomina in lectionibus ſuis adhiberent, cùm de rebus ipſis nihil admirabile, nihil ſplendidum, nihil denique proprium, quod dicere poſsint, habeant, nulla reſtaret eis occaſio gloriandi. Nunc uerò, quamuis exiliter diui Thomæ, ac Latinorum interpretum ſcripta percipiant, ſi quid tamen fortè arripuerint, illorum ad ſe Philoſophiam transferunt; atque (ut reliqui fures) eorum quæ cœperunt ſigna commutant, ſic ij, cùm illorū ſentētijs tanquam proprio Marte inuentis gloriari velint, nomina tanquam rerum notas mutant. Inde autem id, quod maximè optant, facilè conſequuntur; nimirum vt pueris, qui uix ex Grammaticis exceſſerunt, opinioſiſsimi videātur; cùm ipſi nullam vnquā, quæ eo nomine digna ſit, opinionem excogitauerint. Iam uerò aliud, immò verò & alia vitia in huiuſmodi vocabulorum ſcrutatoribus, manifeſta ſunt. Aliquando enim neceſſe habent his uocabulis vti, quibus ſcholaſtici Theologi ſæpe utuntur, vt quum de vniuerſis, alijsque huiuſmodi diſputant, & quoniā minimè eis uti aſſueuerūt, Deus bone? quàm tardè (ne ineptè dicam) id faciunt? Sed alij ſunt, qui ut ſcitiſsimè ab his vadis emergant, definitiones pro his, quæ diffinitionibus ſubiecta ſunt, proferunt. Haud dicunt Ens, ſed id quod eſt. Ab his ego quærere ſoleo, quum affectionem aliquam entis de ipſo ente demonſtraturi erunt, quo ſint vſuri medio, ſi diffinitionem, quę medium demonſtrationis eſſe debuerat, ſubiectum fecerunt. Egregiè profectò Hiſpaniæ ornamentum Quintilianus 8. lib. Inſtitutionum cap. 3. hos in eligendis uocabulis cunctatores reprehendit. Non uideo (inquit) cur tantopere aſpernemur hæc uocabula Ens & Eſſentia, niſi quòd iniqui aduerſus nos iudices ſumus; ideoq; ſermonis paupertate laboramus. Item Ariſtoteles in Categoria Relatorum ſæpe noua facienda eſſe uocabula docet, quum ad res explicandas nullæ ſuppetunt uoces. Quid ergo reprehenduntur Latini commentatores, ſi ad res, Ciceroni incognitas, explicandas, Latinas uoces poſt eius ſecula inuenerunt? Denique ſi Grammatici quicquam certi de Latinis uocabulis ſtatuiſſēt, poſſemus eorum præiudicia & tenere, & ſequi; ſed nihil eſt ipſis incertius. Alius enim lapides ueteres præponit Ethymologiæ, alius Ethymologiā lapidibus præfert, alius profert ex antris Cimmerijs codices manu

[Margin: Secunda quia nimius Grę cum vocum vſus vitandus.]

[Margin: Tertia ratio ex incommodis.]

[Margin: Quintiliani ſententia.]

ſcri-

ſcriptos (quaſi uerò omnes qui literas in ſicilibus ſculpebant, aut libros olim ſcribebant, eſſent eruditiſsimi, aut inter eos non eſſent de vocabulis diſſenſiones, vel certè omnibus librarijs vnus præeſſet Cicero, qui eos operantes inſtrueret, eorumque errata corrigeret) huic ſolus Cicero probatus eſt auctor, illi etiã Cęſar, atq; Salluſtius; hic quum unam uoculam in Cicerone deprehenderit, iam omnibus quaſi uenalem proponit, alter clamat, una hirundine non ſatis indicari uer: alius denique nulla Ciceronis, aut alterius ſapientis auctoritate ductus uocabula fingit, ut Perionius, qui unionem pro unitate ſcripſit: nimirum quia id ipſis licet, diuo Thomæ non licet. Quòd ſi hæ quæſtiones eſſent ut illæ, quæ apud Philoſophos, aut Theologos agitantur, libenter eos pateremur: ſed de minutiſsimis quibusq; uocibus ita digladiari, ac ſi de animi ſalute ageretur; & in huiuſmodi diſputationibus longiſsima uitæ ſpatia inſumere, damnoſum eſt ualde Reipublicæ.

Verùm ut omnem excuſationis uiam noſtris aduerſarijs præcludamus, quoniam Ciceronis imitatione gloriãtur, docẽdum eſt eos, nec cum Cicerone ſentire, nec eius Philoſophicam libertatem imitari. Nam lib. 3. de Finibus, ubi quædam Latinis antea inaudita uocabula erat prolaturus, ſic ait; Quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur, cogitans in omni arte cuius uſus vulgaris, communisque non ſit, multam nouitatem nominum eſſe, cùm conſtruantur earum rerum vocabula, quæ in quaque arte uerſantur. Itaque & Dialectici & Phyſici verbis utuntur ijs, quæ ipſi ſcientiæ nota ſunt. Geometriæ, Muſici, Grammatici etiam more quodam loquuntur ſuo. Itẽ ipſæ Rhetorem artes, quæ ſunt totæ forenſes, ac populares, verbis tamen in dicẽdo vtuntur, quaſi priuatis, ac ſuis. Atque ut omittam has artes elegantes & ingenuas, ne opifices quidẽ tueri ſua artificia poſſent, niſi vocabulis vterentur nobis incognitis, uſitatis ſibi. Quin etiam agricultura, quæ abhorret ab omni politiore elegantia, tamẽ eas res, in quibus verſatur, nominibus notauit nouis; quò magis hoc Philoſopho faciendum eſt. Ex his Ciceronis verbis perſpicuum fit, quã Ciceroniani ſint, qui res Dialecticas tantùm Oratorijs uerbis tradendas exiſtimant. Sed properemus ad reliqua. Inſuper in eodem libro ait, Philoſophum ſi afferat eloquentiam, non eſſe aſpernandum; ſi non habeat, non eſſe ab eo admodùm flagitandam; dùm tamẽ complectatur uerbis quod vult, & dicat planè ut intelligatur. In eodem præterea libro ſic ſcribit, Omne quod de re bona dilucidè dicitur, mihi præclarè dici videtur. Iſtiuſmodi autem res dicere ornatè velle, puerile eſt: planè autem & perſpicuè expedire poſſe, docti & intelligentis eſt uiri. Item in eodẽ uolumine ex Catonis perſona ait, Re enim intellecta, in uerborum uſu faciles eſſe debemus. Et 4. lib. de Finibus, Cur (inquit) cũ de re conueniat, non malumus uſitatè loqui? Et lib. 2. de Finib. Torquatum ridens ait; Loquuntur ipſi bene Latinè, ſed parum planè. Iam verò in Oratore ad Brutũ expende quid dicat, Res autem ſic ſe habet (vt breuiſsimè dicam quod ſentio) compoſitè, & aptè ſine ſentẽtijs dicere, inſania eſt; ſententioſè autẽ ſine verborum ordine & modo, infantia: ſed eiuſmodi tamen infantia, vt ea qui vtantur, non ſtulti homines, homines haberi poſsint, ſed etiam plerunque prudentes. Hæc ille. Vocat autem hoc loco infantiam, id quod partim facundiæ, & eloquentiæ, atque omnino opponitur loquacitati. Et in eodem libro ſic ſcribit, In Philoſophia res ſpectantur, nõ verba pẽduntur. Et I. Officiorũ ſic legimus, Ne ut quidam Græca verba inculcantes iure optimo rideamur.

Loci in quibus Ciceronimiã Grammaticorũ reb. Philoſophicis tractandis ſuperſtitionẽ deteſtatur.

Ita quidem Cicero docuit, ita Quintilianus ſenſit, ita Ariſtoteles ſcripſit. Sed non erit inutile, quibus etiam uocabulis vſus fuerit Cicero, explicare. Hinc enim

Ciceroniana quædã vocabula.

minos diui Thomæ ſcripta infament; quoniam in ipſis hæc nomina deprehendunt, Scibile, Affirmatiua, Deſcriptiua, Entitas, Aequinitas, &c. Apertiſsimè enim demõſtrabo his ſimiles voces, aut multò duriores in Cicerone reperiri. Lib. enim 2. de Finib. Opinabile vocat, quod opinione tenetur: & lib. 2. de Inuentione Ignorabile nominat, quod poteſt ignorari. Quid igitur impedit, ne quod ſcientia comprehẽdi poteſt, ſcibile appellamus? Deinde 1. de Inuentione vtitur his vocabulis, Deliberatiua, Definitiua, Tranſlatiua, Ratiocinatiua: & lib. 2. Comparatiua & Aſſumptiua. Quodnam itaq; peccatum eſt dicere, definitio deſcriptiua, aut enuntiatio affirmatiua? Demum lib. 3. Epiſt. Famil. epiſt. 7. Apij, Lentuliq; eſſentias, vocat Appietatem & Lentulitatem. Quid eum acturum fuiſſe putas, ſi de æqui, entisq; natura ſcripſiſſet? Entitatem profectò & equinitatem non eſſet veritus dicere, niſi ſuauius aliud occuriſſet. Iam hęc mitto, ad alia enim mea feſtinat oratio. Quis ex his viris bonis peccato animo legeret duum Thomam, neceſsitudinis vocabulum, pro neceſsitate, aut viſum entẽ, & firmitudinis argumenti pro eius efficacia? At Cicero de Inuentione lib. 2. ferè ad finem, plùs vicies vtitur neceſsitudinis voce, vt neceſsitatem explicet. Et quemadmodum diui Thomæ diſcipuli neceſſarium diuidunt in id quod ſimpliciter, ac omninò neceſſarium eſt, & id quod ex Hypotheſi: ita Cicero duplicem facit neceſsitudinem, vnam ſimplicem & abſolutam, aliam ex adiectione. Item in vtroque libro de Inuentione paſsim ait, hoc', illudue argumentum parum habere firmitudinis. Denique ſi diui Thomæ aduerſarij omnia Ciceronis opera, & non duos, aut ad ſummũ tres eius libellos vidiſſent, inueniſſent equidem infinitas prope voces, quas ipſi vt ſordidas habent; nempe defectiuũ pro mãco, habilitatẽ pro aptitudine, artium ieiunitatem pro ignorantia, beatitatem pro beatitudine, continuatum pro eo quod minimè interruptum eſt, dulcitudinẽ pro dulcedine, admirabilitatem pro admiratione, condecentiam pro conuenientia, ſalutariter pro ſalubriter, germanitatem pro fratrum mutua neceſsitudine, & mulieroſitatem pro amore mulierum. Vt autẽ eorum inanis timor omnib. innoteſcat, locum unum Perionij in medium proferã. In libro Perihermenias, vbi ad modificatarum enuntiationum explicationem valdè id expediebat, vix auſus eſt dicere, poſsibile, aut non poſsibile; ſed quod fieri poteſt, aut quod fieri non poteſt: & tamen in eodem capite ſæpe vtitur vocabulo Impoſsibile. Quodq; mirabilius eſt 1. Prior. cap. 11. vbi non vſqueadeo neceſſariũ videbatur, poſsibilis nomen ſæpe admitrit. Illud tamen riſum mihi prorſus mouet, quod quum aliquam minùs elegantem dictionem in aliquo Grammaticorum reponiunt, continuò illum excuſant, ac vſum fuiſſe dicunt ea figura, quæ Barbaralexis nominatur: at in diuo Thoma nullum omninò excuſationem recipiunt.

Diui Aurelij Auguſtini iudicium.

Sed quamuis id minimè propoſueram, diuum Aurelium Auguſtinum, vel omnibus Gentilibus & Grãmaticis reclamantibus, Ciceronem, Ariſtotelemque ingenij acumine ſuperantem, ut hanc nobis litem dirimat; vtque pro iuſtiori parte ſententiam ferat, deprecabor. Bonorum, inquit, ingeniorũ inſignis eſt indoles, in verbis verũ amare, nõ verba. Quid enim prodeſt clauis aurea, ſi quod volumus aperire nõ poteſt? aut quid obeſt lignea, ſi hoc poteſt, quãdo nihil quærimus, niſi patere quod clauſum eſt? O egregium viri, & ſancti, & docti iudicium, quod 11. cap. 4. lib. de Doctrin. Chriſtiana habetur. Item lib. de Vera Religione cap. 46. ſic ait: Veritas cunctis rebus præponẽda eſt. Et lib. 2. cõtra Creſconiũ Grammaticũ, ac hęreticũ Donatiſtã cap. 1. ſic ſcribit: Si Demoſthenes clariſsimus Oratorũ, cui verborũ tanta fuit cura, quanta rerum auctoribus noſtris, cùm tamen ei nonnullam locutionis inſolentiam

Aeſchi-

Aeſchines obieciſſet, negauit ille in eo poſitas eſſe fortunas Græciæ, illône, an alio uerbo vſus fuerit: quantò minùs nos laborare debemus de regulis deriuandorum nominum, quando ſiue hoc, ſiue illud dicamus, intelligitur ſine ambiguitate quod dicimus, quorum non in expolitione ſermonis, ſed in demonſtratione veritatis eſt maior intentio? A nobis itaque ſtat doctiſsimus hic, & ſanctiſsimus Eccleſiæ Doctor. Potuiſſem quoque ad Hieronymi tribunal aduerſarios noſtros pertrahere, ſed veritus ſum ne, ſi liuentes eius ſcapulas recordarentur, timore perterritum nobiſcum eũ ſenſiſſe dicerent.

His ita expoſitis, ad duo alia, quæ mihi reſtant, capita properabo; ſi tamen priùs iuuenes Dialecticos admonuerim, ut quum magiſtros ſuos Grãmaticantes vident, eos omninò contemnant; ad aliorumq; ſe diſciplinam transferant: & quum à lectione domum redierint, omnia quæ à magiſtro ſuo contra diuum Thomam, non Philoſophicè (quum enim de rebus, non de vocibus, eſt controuerſia, nihil tale ſuadeo; nec diſſuadeo quidem) ſed Grammaticè dictata reperient, ſtatim deleant. Illud denique cogitent, nullum ex his hominibus aut noſtra ętate, aut maiorum memoria inſignem Theologum, aut Iuriſperitiſsimum euaſiſſe. Deus mihi teſtis eſt, me hæc (quãtùm exiſtimo, prauum enim eſt cor hominis & inſcrutabile) non liuore, aut cuiuſquam odio ſcribere; ſed miſericordia motum, quòd videam tot præclariſsima ingenia in vno Cicerone exprimendo occupata. At ſi miratur quiſpiam, cur cùm ego hunc Neotericorum vſum tantopere reprehenderim, ipſe quoque voces quibus illi contra morem Doctorum vtuntur, vſurpem: huic ego facilè reſpondebo. Aut enim cum Terentio dicam, morem gerendum fuiſſe Thaidi, id eſt, noſtræ huic ætati ac ſeculo: aut cum diuo Hylario, in vitium me vitio alieno coarctatum eſſe conquerar: aut tandem quadam diui Gregorij ſimilitudine me communiam. Nam quemadmodum is qui porrecta manu iacentem quempiam eleuare cupit, ipſe ſe aliquãtulùm inclinet oportet; ſic qui repueraſcentes Philoſophos excitare volui, eorum in eligendis vocabulis curioſitatem; ſi non omninò, tamen aliqua ex parte, debui imitari.

Reſpõſio pro aucto re.

De Textibus & Capitibus. Cap. 16.

QVod autem mihi ſecundò obijci poteſt, apertiùs refelletur. Primùm enim grauiſsimi quique viri per textus Ariſtotelem citant. Deinde nullum ego Ariſtotelis librũ in textus diuiſum affero, ꝑter libros Metaphyſicorũ. Id aũt hoc conſilio feci. Pleroſque enim interpretes ac tranſlatores, qui eos in capita diuidunt, legi, & vix reperi vnum, cui cum altero quidpiam eſſet commune: at qui textibus vſi ſunt, vnam perpetuò diuiſionem ſeruauerunt. Nec me hæc ſola cauſa, ut per textus citarem Metaphyſicam impuliſſet, niſi vidiſſem, nullam eſſe Metaphyſicæ è Græca in Latinam linguam verſionem, quæ à pleriſque in his Valentinis ſcholis recipiatur. Ex Dialecticorum autem & Phyſicorum uoluminum tranſlatoribus (quãuis & inter ipſos quoque de capitibus diuidendis ſit magna diſſenſio) Perionij trãſlationem à Nicholao Gruchio emendatam ſequor; quia ea ſola à Valentinis noſtris recipitur. Quare quum in ſuperioribus libris ſcripſimus, hanc, illãmve ſententiam haberi in tali, aut tali libro, aut capite, non iuxta Boëthij, aut Argyropili, ſed iuxta Perionij ſectionem intelligatur; niſi quum apertè aliud admonemus.

Secũda reprehenſio ni reſpondetur.

iuxta Perionij ſectionem intelligatur;niſi quum aperte aliud admonemus. Cæterùm quum librum Perihermenias, aut Elenchorum citauimus, non potuimus Perionium ſequi:primùm quia diuus Thomas duos libros Perihermenias,& totidem Elenchorum facit;Perionius verò vnum de Interpretatione inſtituit. Deinde ipſa capitum,aut librorum diuiſio in Elenchis in vna, eademque Perionij tranſlatione, iuxta varia Typographorum ingenia variatur. Deinde lectorem moneo, Quintum Metaphyſicorum per capita citari, quia in eo libro nō tam numerus capitum,quã tituli & inſcriptiones rerum, in quouis capite tractatarum,conſiderantur.

De Ariſtotelis, Græcorumq́ moribus. Cap. 17.

Tertiæ reprehenſioni reſpondetur.

SEquitur, vt iuxta ſuſceptam à me prouinciam, illud quod vltimo loco me tractaturum dixi,perſequar. Poſtquam enim primus liber excuſſus eſt, rogatus ſum ab amicis,vt quod de Topica Dialectica in eodem libro cap. 1. dixi,firmioribus rationibus ſtabilire,ne lectoris animus fluctuaret. Id igitur nunc præſtabo, vtar que primùm rationibus, deinde autem grauiſsimis teſtibus. Quòd non priùs aggrediar, quàm lectori perſuaſerim, nullum à me auctorem citari,cuius verba ex ipſius fonte non ſumpſerim. Eorum.n.inſolētiam reprobo,qui mille auctores,in cuiuſuis ſententiæ aut probationem,aut reprehenſionem afferunt; quos tamen ſi conſulere cupias,citiùs in Ebuſo ſerpentes inueneris,quàm quod ex illis citatur. Quamobrem nullis omninò laboribus,nullius ſumptibus ipſe peperci, ut auctorum libros viderem,nullumq́; in his meis inſtitutionibus teſtem adducerem,quem non legiſſem. Vnum tamen Beroſum Chaldæum excipio,quem cùm in hac ciuitate minimè repertiſſem,vt ab alijs referri ſolet,ita à me lib. 1. cap. 1. eius ſententia fuit tranſcripta. An nudiuſtertius librum reperi: nec tamen mihi videtur, ita generatim loqui, ut citatur.

Prima ratio ex ſciētia Adæ.

Ad reliqua igitur nunc progrediar,meque ad meum munus,penſumq́; reuocabo:oſtendamque non fuiſſe Ariſtotelem primum Dialecticæ, etiam Topicæ,inuētorem. Equidem,ut noſtri Theologi 1. parte quæſt. 94. art. 3. docet,nulla eſt ſcientia quam primus homo à Deo non receperit. Quin etiam diuus Thomas addit,nihil quod ſub ſcientiam humanam cadere poſsit,& in primorum principiorum generalitate,aut virtute contineatur,ipſi Adam ignotum fuiſſe. Sed(vt conſtat)ipſe Adam à paradiſi amœnitate exclusus, ſceleris ſui veniam obtinuit, fuitque deinceps vir prudentiſsimus & ſanctiſsimus:ergo ea docuit filios ſuos,quæ ipſis vtilia admodùm futura intelligebat:maximè cùm multis ſeculis vnà cum filijs in hoc mundo vixerit; eosque ſummo amore complecteretur. Inter ea autem quæ apprimè ad hominum diſciplinam conducunt,præcipuum eſt,quid inter neceſſariam rationem & probabile argumentum interſit,cognoſcere: Vagabitur enim errore animus frequentiſſimè,ſi aut veriſimilia tanquam certa arripiat, aut certa ut probabilia tantùm negligat. Ergo probabiliſsimum eſt,eas præceptiones,quas Adam de his rebus nouerat, filijs ſuis tradidiſſe. Quòd ſi ille hoc egit, nulla probabilitate conſtat,poſt eius mortem omninò eam diſciplinam eſſe extinctam: pręſertim cùm in Orbe ſemper aliquis vir ſanctus, & multi doctiſsimi fuerint; priorumque ingenia noſtris eſſent acutiora.

De-

Deinde quàm ſit Ariſtotele antiquior Moyſes, nemo eſt qui ignoret; & tamen Alexandrinus Philo (quem diuus Hieronymus in Cathalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum, & diuus Auguſtinus contra Fauſtum, vt diſertiſsimum laudant) Tomo 1. lib. 6. cuius titulus eſt, Deterius meliori inſidiatur, aſſerit, priùs diſſerendi facultate munitum fuiſſe Moyſen, quàm cum Aegyptiorum ſophiſtis diſputaret. Dialecticam autem nihil aliud vult eſſe Cicero, quàm artem & ſcientiam diſſerendi. Iam verò Salomon omnibus qui ante eum fuerunt, & poſt eius ſecula orti ſunt, (nihil de Apoſtolis, eorùmque ſimilibus tracto) doctior fuit, ac proinde à diuo Ambroſio in lib. de Salomone cap. 1. omnium hominum ſapientiſsimus dicitur: quomodo ergo credibile eſt, artem de quauis re propoſita in vtranque partem diſputandi incognitam ei fuiſſe? Salomon autem longo temporis interuallo Ariſtotelem anteiuit. Regnauit enim in Iudæa multò ante quàm Sardanapalus Aſſyriorum monarchiam acciperet. Sardanapalus autem (ut conſtat) totam Mædorum, atque Perſarum monarchiã præceſsit. Ariſtoteles verò tempore Darij Condomani, ultimi Perſarum Regis, & Alexandri Magni Macedonis primi Græcorum monarchæ, floruit. Itaque pluſquã quingentis annis Salomon Ariſtotele fuit antiquior. Et quidem (vt Sacra hiſtoria refert) ex vniuerſis regnis ad Salomonis ſapientiam experiendam, audiendamq; cõfluebant. Nonne ergo ſatis, ſuperque probabile eſt, hanc diſſerendi facultatem, quæ tantopere ad alias diſciplinas conducit, ab eo illos recepiſſe. Ad hæc diuus Thomas 2. 2. q. 51. art. 2. ad 3. tantùm agnoſcit duas Logicas, (quomodo autem accipiẽdum ſit duas eſſe Dialecticas, aliud dicendi tempus magis idoneum dabitur) vnam Analyticam, alteram Topicam, vel Inuentionis: at 1. Metaphyſi. lect. 3. non obſcurè teſtatur, ante Ariſtotelis tempora Logicas eſſe inuentas: ergo nec primus fuit Ariſtoteles, qui Inuentionis artem reperit, nec qui aduerſus ſophiſtarum nugas diſſerere docuit. Tandem ex his quæ lib. 1. cap. 1. teſtata reliquimus, perſpicuum eſt, vetuſtiorem eſſe demonſtrationis cognitionem ipſo Ariſtotele: ergo intelligebant homines, quàmuis fortaſſe non ita perfectè, aliquando eſſe probabilia, & non neceſſaria argumenta.

Secũda ratio ex Moſis ſapiẽtia. — *Tertia ratio ex Salomonis doctrina ſumpta.* — *Quarta ratio ex diui Thomæ autoritate* — *Vltima ratio ſatis probabilis*

Quod ſi in nos ipſiuſmet Ariſtotelis teſtimonium afferas, qui vltimo cap. Elenchorum Topicam artem, & eam quæ ſophiſtis reſpondere docet, à ſe inuentas eſſe gloriatur, magnasq; ſibi eo nomine haberi gratias poſtulat, reſpondebimus ſtatim, neminem in ſuis laudibus incorruptum teſtem videri; niſi à Spiritu Sancto agatur. Verùm in hac parte homines Græci minori fide digni ſunt. Nam in ſeipſis laudãdis, alijſque contemnendis, perpetuò habiti ſunt loquaces. Proferam autem eos auctores, qui, vt ego ita ſentirem, effecerunt, eorũmq; dictis tanquam luminibus opinionẽ meam illuſtrabo. Initio quidem quàm ſint in omni hiſtoria liberales Græci, ita ut perinde ei ſit verè, ac falſè ſcribere: vetus illud Satyrici Poetæ dicterium explicat.

Ariſt. teſtimoniũ eleuatur. — *Græcorũ natio mendax.*

--& quicquid Græcia mendax
Audet in hiſtoria.

Iuuenalis Satyra 10

Lactantij etiam Firmiani id confirmat autoritas, qui 1. lib. Diuinarum inſtitutionum cap. 15. incredibile eſſe ait, quantas mendaciorum nebulas Græcia excitauerit. Idẽ quoque Flauius Ioſephus 1. libro Contra Appionem multis argumentis demonſtrat. Sed de hac re conſulendum exiſtimo eloquentiſsimum Theologum & Epiſcopum Cano libro 11. de Locis Theologicis, ubi plurimos laudat auctores, qui fidẽ in hiſtoria Græcis abrogauerunt; ac eam nationem ſemper ad mentiendum fuiſſe

prom-

promptulam docuerunt. Cęterùm hæc, quia non ſunt huius temporis, in aliud relinquamus, propriùsque id, quod ad ſcientiarum pertinet inuentionem, explicemus. Græci quidem illud habent proprium, vt alienis laboribus magnam ſibi gloriam quærant. Nulla enim diſciplina eſt, nulla ſcientia, nullaque omnino ars, cuius inuentionem non ſibi, ſuisque arrogent, cùm certè ne vna quidem ars ſit aut ſcientia, quã Græcus quiſquam primùm inuenerit. Mentiar ni ita ſe res habet. Geometriam & Aſtronomiam ipſi ſibi vendicant; at Ioſephus 1. Antiquit. cap. 4. docet, filios Noë Geometria, Aſtronomiaque præditos fuiſſe. Literas à ſe primùm inuentas aiunt; at Viterbienſis Annius in procemio Breuiarij Philonis id grauiſsimis productis auctoribus improbat. Phyſicam ſe primos excogitaſſe autumant; at idem Annius Macrobij teſtimonio eos refellit. Ethicam, quæ de iuſtitia naturali agit, non aliũde, quàm ex Græcia initium habere dicunt; at beatus Pater Ambroſius capit. 7. epiſtolę ad Romanos ex profeſſo docet, Græcos ex Hebræis iuſtitiam naturalem didiciſſe, ſicut ex Græcis Romani. Theologiam naturalem è Græcia in totum orbem manaſſe prædicant; at in librum 5. Beroſi, & in lib. Catonis de Originibus idem Annius ſcribens, elegantiſsimè eorum iactantiam reprobat. Denique Græci omnium nationum geſta ſuis contribulibus applicant. Quid multa? Diogenes Laërtius initio libri de Vitis Philoſophorum, non Philoſophiam modò, ſed hominum etiam genus ex Gręcia proceſsiſſe ſcribit; quo profectò nihil arrogantius dici poterat. Lege Euſebium lib. 10. Præparationis Euangelicæ cap. 2. Probat nanq; ibi, nullam artem, aut ſcientiam à Græcis inuentam fuiſſe. Nec ei ad id probandũ Clementis teſtimone defuerunt. Sed quod peius eſt, in eodem libro cap. 1. oſtendit. Euſebius multa aliorum ſcripta Græcos homines ſibi vſurpaſſe, ac libros etiam integros ab alijs æditos, nomine proprio vulgaſſe. A quo ſanè latrocinio nec Platonem ipſum (qui multò fuit iuſtior & modeſtior Ariſtotele) liberum eſſe patitur. Denique diuus Thomas lib. 4. de Regimine Principum capit. 4. Ariſtotelem multa antiquis Philoſophis impoſuiſſe, & aſſerit, & latè probat. Sed latiùs, id præſtat Iauellus tractat. 7. de Platonis politica, & alijs in locis. Si igitur graues rationes ſunt, quæ Ariſtotelẽ non fuiſſe inuentorem efficiunt, & nulla quæ eũ fuiſſet probet, ſi Græcorum pręterea fides in hiſtoria magna ex parte fracta & debilitata eſt, ſi aliorũ ſibi labores tribuere, alijsque, vt reprehendendi & obiurgandi occaſionem habeant, multa imponere ſolent; quid mirum eſt, ſi Ariſtoteli ſe de huius ſcientię inuentione glorianti, ac eam gloriam alijs inuidenti, fides non habetur? Et (vt ſemel finiam) Cicero in Bruto, omnes artes & inuentas & perfectas fuiſſe in Gręcia ante Oratoriam facultatem docet; at Ariſt. in fine Elenchorum, Rhetoricã ſe antiquiorem eſſe concedit; enumeratque auctores Gręcos, qui in ea uehementer excelluerunt: ergo ſi Ciceroni credimus, omnes Logicę artes ante Ariſt. tẽpore & inuentæ ſunt, & in Gręcia viguerunt. Itaque ſuperiora argumenta probant, prius in orbe inuentas eſſe ſcientias, atq; artes quàm in Gręcia: hoc autem vltimum ex Ciceronis auctoritate collectum, etiam in Gręcia eas Ariſtotele antiquiores facit. Hęc eò dixi pluribus, ne quiſquam me abſque vlla cauſa hanc Ariſtoteli gloriam denegaſſe arbitretur.

Ariſtotelis laudes.

Bene-

Benedictus igitur ſit Deus, qui hæc Commentaria vnà cum quæſtionibus in Valentinæ vrbis Cęnobio anno 1572. in feſto Beati Vincentij Ferrarij Confeſſoris, eiuſdem ciuitatis ac Cœnobij quondam filij, nunc autem in cœleſti patria aduocati finiri conceſſit. In ipſis autem quicquid à me ex profeſſo, aut obiter dictum eſt, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ correctioni ſubmitto. Nec id ſolum, ſed ſi quicquam fortè per oſcitantiam contra diui Thomæ doctrinam ſcripſi, omninò reuoco Nolo enim meas tenebras tãtæ luci præferre:& quem patronum mihi morienti adeſſc cupio, non audeo viuens contemnere. Oramus autem lectorem, vt apud ſupremum Iudicem oret pro nobis.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS,
Apud Franciſcum Zilettum.
M D LXXXII.

LEGATORIA
ROMA
Via
dei Monti di Cr.ta, 53
Tel. 6224613
UMBERTO VALLETTA